

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

X.

SEQUENTIAE INEDITAE.

Liturgische Prosen

des

Mittelalters

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,

S. J.

Leipzig.

O. R. Reisland.

1891.

SEQUENTIAE INEDITAE.

Liturgische Prosen

des

Mittelalters

aus

Handschriften und Wiegendrucken.


Dritte Folge

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves,


S. J.



Leipzig.

O. R. Reisland.

1891.


THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE
LIBRARY

Vorwort.

Da auch dieses Heft eine bloſse Fortsetzung der beiden zunächst vorausgehenden ist, würde ich demselben überhaupt keinerlei einleitende Worte vorausschicken, wenn es nicht angezeigt schiene, auf einige Punkte aufmerksam zu machen, die Zweifel hervorrufen könnten und, wie ich aus den Anzeigen und Besprechungen öffentlicher Blätter ersehe, zum Teile hervorgerufen haben. So ist in einem englischen Referate bedauert worden, daſs die Herkunft der Handschriften durch die lateinischen Ortsnamen bestimmt worden, die in manchen Fällen in den Nachschlagewerken unauffindlich seien. Es ist ja richtig, daſs die vorhandenen Lexika dieser Art ausnahmslos auch von relativer Vollständigkeit noch weit entfernt sind. Indes möchte ich doch dieser geringen Unbequemlichkeit halber nicht gerne die bündige und einheitliche Bezeichnung der Quellen zum Opfer bringen, um so weniger, als es nach Abschluſs des gesamten Werkes leicht sein wird, den zahlreichen nötigen Indices ein kurzes geographisches Verzeichnis beizugeben.

In einer deutschen Zeitschrift ist bemerkt worden, daſs ich eine bereits von Mone benutzte Handschrift des Stiftes St. Paul im Lavantthale mit einer völlig verschiedenen Nummer bezeichne. Es hat dies seinen Grund in dem Umstande, daſs seit Mones Besuch der Handschriften-Katalog der Abtei zweimal umgearbeitet wurde, leider jedesmal unter Änderung der bisher üblichen Signaturen, so daſs es mir schwer fiel, von Mone benutzte Handschriften wiederzufinden. Auch die von mir gegebene Bezeichnung ist, da bei meiner Anwesenheit in St. Paul ein neuer Katalog im Werden war, nicht die definitive; die gewählte ältere wird es indes auch nach Einführung des neuesten Katalogs ermöglichen, die betreffende Handschrift unschwer aufzufinden.

Ähnlich bin ich genötigt, auch für Reims mich der alten Signaturen zu bedienen, da die behufs Beschreibung der Handschriften und Drucklegung des Katalogs vorgenommene neue Ordnung und Numerierung noch der Bestätigung des zuständigen Ministeriums bedarf und Änderungen selbst während der Drucklegung nicht ausgeschlossen sind. Es war also sicherer, die alte Nummer beizubehalten, die dank der Konkordanz stets aufzufinden sein wird, als die neue zu wählen, die möglicherweise durchaus irrig werden konnte. Alte, nicht mehr geltende Signaturen tragen gleichfalls die Handschriften des Wišerhader Domkapitels; da neue nicht vorhanden, ist man glücklich, wenigstens mittelst der alten die Handschriften einigermaſsen kennzeichnen zu können. Gar keine Signaturen trugen zur Zeit meines dasigen Aufenthaltes die Handschriften der in Neuordnung begriffenen Stiftsbibliothek zu Schlägl, der Stadtbibliothek zu Lübeck, der Stiftsbibliothek zu Xanten u. a. m.

Die Seitenzahl habe ich den Quellennachweisen durchgehends nicht beigefügt, weil von allen Handschriften, die ich bisher benutzte, ein starkes Drittel, wenn nicht die Hälfte, nicht foliiert war. Da somit die an sich sehr wünschenswerte Angabe nicht durchführbar war, habe ich der Gleichmäſsigkeit halber die Seitenzahl auch dort nicht bemerkt, wo dies möglich gewesen wäre, um so mehr, als die Stelle eines Hymnus oder einer Sequenz in einer liturgischen Handschrift auch ohnedies an der Hand des Kalendarium leicht zu finden ist.

Endlich ist in einer französischen Zeitschrift darauf hingewiesen, daſs ich bei den deutschen Quellen entnommenen Hymnen die Breviere und Missalien aus der Zeit des Wiegendruckes zu vernachlässigen scheine. Dies ist ja teilweise, nämlich bezüglich des südlichen Deutschlands, richtig und erklärt sich aus dem Umstande, daſs für diese Gegenden gedruckte Meſsbücher und Breviere nicht selten und bei der groſsen Anzahl handschriftlicher Quellen auch weniger unentbehrlich sind. Anders verhält es sich mit jenen Gegenden Deutschlands, in denen die Reformation die alten liturgischen Drucke so gut wie die Handschriften zu Seltenheiten gemacht hat. Hier bin ich den Druckwerken ebenso sorglich nachgegangen wie den Manuskripten. Dasselbe ist der Fall mit anderen Gegenden, zu denen merkwürdig genug auch Frankreich gehört, dessen älteste liturgische Drucke, und zwar

die Breviere, weit mehr noch als die Missalien, zu den libri rarissimi gehören, so zwar, daſs dieselben für eine ganze Reihe von Sprengeln unica sind, für eine andere Reihe, namentlich südfranzösischer Diöcesen, überhaupt nicht mehr vorhanden scheinen.

Unter den diesem Bande einverleibten Prosen verdient ein ganz besonderes Interesse die Sequenz No. 65, die der inhaltreichen und wertvollen Handschrift 263 der Stadtbibliothek von Laon entnommen ist. Es zeigt dies vielleicht einzige Beispiel, daſs die Ideen des heiligen Krieges, die damals die Welt so mächtig bewegten, auch in der liturgischen Poesie nicht ohne Wiederhall blieben, indem nicht nur in den Votivmessen Sequenzen „contra paganos“ (vgl. Kehrein 882) vorkommen, sondern auch Lieder zum Gedächtnis der siegreichen Thaten der Kreuzfahrer wenigstens zeitweise in die Liturgie Eingang fanden.

Ein weltliches Lied aus der Zeit der Kreuzzüge, das aber seiner Form nach späteren Ursprunges sein dürfte als die Sequenz und wohl der zweiten Hälfte des zwölften Jahrhunderts angehört, findet sich in einer Handschrift der Stadtbibliothek von Chartres (341). Da unser Lied in dem Verzeichnisse Wattenbachs (Zeitschrift f. deutsch. Altertum XV. 469 ff.) fehlt und lateinische Kreuzzugslieder überhaupt selten sind, mag dasselbe hier eine Stelle finden.

1. Exsurgat gens Christiana,
Exsurgat et romphea,
Tuba clangat ut insana,
Vibretur et lancea;
Fulgeat galea,
Feriat framea,
Strepant arma ferrea;
Dissipetur gens pagana
Et propellatur profana
Lex ab orbis area.

2. Assurgat gens Gallicana,
In armis praecipua,
Gesta legat veterana
Parentum perspicua;
Audeat ardua,
Augeat strenua,
Penset, quod est vacua
Terra sancta, fides sana,
Doctrina foetens vesana
Plebi nequam cernua.

3. Veni, gens ultramontana
De tota Italia,
Adversus Maurorum fana
Currens ut egregia;
Natio regia,
Facito grandia
Pugnando pro patria;
Gesta legens Titiana
Recenset Vespasiana
Et haec pone studia.

4. Tu consurge, gens Germana,
Robusta, belligera,
Hispana coloniana,
Ad certamen prospera;
Viscera lacera,
Verbera vulnera
Discerpendo viscera:
Audi [et] gens Anglicana,
Freta carinis complana,
Ad Bethel accelera.

5. Accurre tu, gens Hispana,
Velox et intrepida,
Grananina vora grana
Acie pro valida;
Percute perfida,
Perime morbida,
Ut mundentur sordida;
Vicina tibi montana
Et valles et loca plana
A secta tam foetida.

6. Transsilvana, cissilvana
Surge gens Hungarica,
Cum Sclavica cum Alana
Tuos arcus explica;
Frange schismatica,
Ure haeretica,
Dissipa paganica,
Mahometum cum Diana,
Sua prava falsa lana,
Quaere tibi coelica.

Zu bemerken ist zu dem Liede, daſs 4, 3 leider verderbt ist. Die Handschrift bietet sehr deutlich ispana (iſpañ) coloniana. Da aber die spanische Nation kurz darauf (5, 1) angeführt wird, liegt zweifellos ein Verschreiben vor. Aber welches? Soll coloniana soviel heiſsen als Coloniensis, und haben wir uns an Stelle von Hispana einen deutschen Stammesnamen zu denken? Allein welcher konnte von dem Schreiber füglich mit Hispanus verwechselt werden? Oder sollen wir statt Hispanus Hibernus lesen, wozu das sofort folgende gens Anglicana recht gut passen würde? Alles Fragen, die sich ebenso schwer beantworten lassen als die, wie wir den vorletzten Vers des ganzen zu erklären, beziehungsweise zu emendieren haben. Ich muſs mich, wie so oft, bescheiden, den Text so vorzulegen, wie er uns überliefert ist.

Ich benutze schlieſslich diese Stelle, um Herrn Ulysse Robert, Inspecteur général des Archives et Bibliothèques de France, auch öffentlich meine aufrichtige Erkenntlichkeit auszudrücken für die zuvorkommende Weise, in der er meine Arbeiten zu fördern und zu unterstützen bereit war.

Dublin, den 13. November 1890.

Guido Maria Dreves.

I.

DE TEMPORE.

1. Dominica 1. Adventus.

1a. Ecce gratulemur
nos Christiani

1b. Sanctum exspectantes
adventum Dei,

2a. Qui miseratus
laborem et dolorem
protoparentis,

2b. Arte serpentis
de sancta paradisi
sede labentis,

3a. Omnem vero
posteritatem
secum corruisse dolens

3b. Et sibi pie
propitiari
atque misereri volens

4a. Venit Dei filius,
ipse non alius,
procedens a patre;

4b. Venit, ut propter mortalem
hominem sumeret
carnem de virgine

5a. Et redimeret illum
hostis fraude perditum,

5b. Factum servum faceret,
homo factus, inclitum.

6a. Nunc et nos
comprecantes redempti
Dei misericordia

6b. Caveamus nobis
ab omni malitia.

7a. Et viventes
juste ac pie
nos praeparemus,
nos purificemus,

7b. Ut totius
mundi judicem
cum virtute
magna venientem

8. Sentiamus
delictis ignoscentem.

Trop. ms. Cameracense saec. 10/11. Cod. Cameracens. 79. — 3a, 1; 4a, 1; 6b, 1; 6b, 2; 7b, 3 haben je eine Silbe weniger als die Gegenzeile; 6a, 1 hat sogar in der Gegenstrophe kein paralleles Glied; die Melodie beginnt in 6b mit den Neumen, welche in 6a über comprecantes stehen.

2. Dominica 2. Adventus.

1a. Concurramus devoti

1b. Obviam redemptori,

2a. Qui ad nos venire
properat,

2b. Ut omnem languorem
auferat.

3a. Ecce tempus
prope est et dies,
quando Deus
rex noster veniet

3b. Et nos factos
crimine miseros
perenniter
liberos faciet.

4a. O mira, celsa et pia
4b. Dei misericordia!
5a. Tu ergo, clemens
pater omnipotens,
nos consolare,
nos laetifica.
5b. Absterge culpas,
tenebras, lacrimas,
mentem excita,
cor purifica.
6a. Quatenus cum sanctis
et electis omnibus
6b. Dilectus filius
tuus unigenitus
7a. Tunc in nobis,
cum venerit,
paratam,
7b. Cultu sibi
purissimo
condignam,
8. Inveniat mansionem.

Trop. ms. Cameracense saec. 10/11. Cod. Cameracens. 79.

3. Dominica 3. Adventus.

1a. Excita Domine magnam
1b. Potentiam veniens tuam.
2a. Ut salvos facias,
2b. Quos jam creaveras.
3a. Manifesta et publica
3b. Ad adspectum divinitas
4a. Incarnata prodeat,
4b. Quae peccata diluat.
5a. O pia largitas
et indulgentia,
5b. O larga pietas
miseris miserans,
6a. Salva, libera
faciemque tuam
6b. Nobis demonstra,
salusque cita
7. Erit et certa.

Trop. ms. Cameracense saec. 10/11. Cod. Cameracens. 79. A. — Trop. ms. Cameracense saec. 11/12. Cod. Cameracens. 61. B. — 1a hat eine Silbe weniger als 1b. — 6b, 2 salusque vita A. — 7. Erit et vera B.

4. Dominica 4. Adventus.

1a. Diem natalem
Domini suscepturi
1b. Et sanctum ejus
ortum celebraturi
2a. Sic nos aptemus,
. . . .
Ut decenter celebremus.
2b. Sordes pulsemus,
corda sanctificemus,
conscientias mundemus.
3a. Ut a dignis
. . . . . .
dies dignus digniter
exaltetur
3b. Et Dominus
immaculatus
a servis immaculatis
honoretur.
4a. Tunc enim turba
. . . .
exsultabit angelica.
4b. In die illa
pax annuntiata,
plebs gaudebit catholica.
5a. Ab ipso igitur Christo
postulemus.
5b. Ut in adventu illius
. . . .

6a. Detur nobis
pax et vita

6b. Cum laetitia.
. . . . . .

Trop. ms. Cameracense saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Cameracens. 79. — Die Sequenz hat, wenn man nicht eine ungewöhnliche Vergewaltigung des Textes voraussetzen will, einen unvollkommenen Parallelismus. Die vorstehende Abteilung ist auf Grundlage der Melodie vorgenommen, welche bestätigt, dafs in der Gegenstrophe durchgehends ein Glied eingefügt ist, das in der Strophe fehlt, und umgekehrt. Ein vollständiger Parallelismus liefse sich herstellen, wollte man 2b, 2; 3b, 2 und 4b, 2 als Interpolationen unterdrücken, ein Verfahren, das 4b, 2 nahelegt, 2b, 2 nicht verbietet, aber 3b, 2 zu gewagt erscheinen läfst. Die . . . . in 2a ff. bedeuten somit keine Lücken.

5. Dominica 1. Adventus.

Salve parens,
quod ex Maria
sine semine est natum
in orbis salute
sancto ventre;
salva per adventum tuum
cunctam creaturam.

Prosar. ms. Laudunense saec. 12. Cod. Laudunens. 263. — Einstrophige Sequenz wie das bekannte Grates nunc omnes. Titel derselben „Ostende nobis“.

6. Dominica 2. Adventus.

1. Laus tua, Deus,
semper est recolenda,

2a. Ac nuntianda
in cunctis
populis gloria

2b. Gratiae tuae,
indulgens
omnium debita.

3a. Te gloriosa quaesumus
pietas,
relaxa jam nostra
delicta.

3b. Te oramus, perpetua
dignitas,
quae est nostra salus
aeterna.

4a. Cui referre gloriam

4b. Valet mens nulla debitam.

5a. Laus in excelsis
tibi sit, hodie
clara vox nostra resonat.

5b. Aula coelestis
magna recipiat
gaudia ab ecclesia.

6a. Laeta resultet
plebs in aula tua,

6b. Ut mereamur
ingredi atria

7a. Hierusalem,
quae est superna nostra

7b. Mater sancta
et nutrix semper pia,

8. Ut nos recipiat
in saecula.

Prosar. ms. Laudunense saec. 12. Cod. Laudunens. 263. — Titel der Sequenz: Laetatus sum. — 2a, 1 Atque annuntianda gegen den Vers; entweder zu lesen wie oben, oder atque zu unterdrücken. — 6b, 1 sq. Ut mereamur, poscens, ingredi gegen den Vers, es sei denn, dafs 6a zwei Silben fehlen.

7. Dominica 3. Adventus.

1. Angelorum
ordo sacer,

2. Dei sereno vultu
semper jucundate,

3. Qui laude ipsius
super favum dulci
pasceris in aevum.

4. Cursum vitae nostrae
nunquam stabilem
tuis supplicationibus
commenda Deo,

5. Qui, licet excelsus
regnet in coelis,
infima terrae
pius intendit.

Trop. ms. Sangallense saec. 10/11. Cod. Sangallens. 381. A. — Trop. ms. Mindense anni 1024 Cod. Berolinens. IV° 11. B. — Prosar. ms. Laudunense saec. 12. Cod. Laudunens. 263. C. — Titel der Sequenz, die keinerlei Parallelismus aufweist, Laudate Dominum in A, in C dagegen Excita Domine, in B ohne Titel. — C hat keine Absätze zwischen 1 und 2, 4 und 5; dagegen Absatz nach 5, 2 in B. — 2, 1 sq. semper vultu BC. — 3, 2 semper favo dulci A. — In der St. Galler Handschrift steht die Sequenz hinter Magnum te Michaelem, wohin sie inhaltlich gehört; warum C sie für den Advent ansetzt, ist nicht ersichtlich.

8. Dominica 4. Adventus.

1. Dicat exsultans
omnis creatura

2. Atque super omnes
plebs Christiana
exspectans beata
nativitatis
dominicae gaudia,
quae nostrae causa
redemptionis magnam
fert Dei gratiam.

3. Nam ex primi parentis culpa
confusa est natura,

4. Quae per Dei manum munda
plasmata fuerat
atque incorrupta.

5. Sed ne periret dignitatis
humanae substantia,

6. Subgestione serpentina
ad mortem per feminam
sauciata,

7. Est per Mariam
restituta gratia.

8. Quae fuit digna
audire salutantis
Gabrielis famina:

9. Ave, sacra et benedicta,
paritura Dei verbum,
cujus faciem exspectat
universa terra.

Prosar. ms. Laudunense saec. 12. Cod. Laudunens. 263. — Titel der Sequenz „Veni Domine“. Nach Ausweis der Melodie enträt dieselbe des Parallelismus, obschon ein solcher aus dem Text allein allenfalls herstellbar wäre. — 2, 7 magna. — 2, 8 gratia.

9. In Dominicis Adventus.

1a. Exsurgamus cum sit hora,
Lucet enim jam aurora
Veri solis praevia,

1b. Cedit umbra prophetalis,
Terminatur vox regalis
Succedente gratia.

2a. Excitentur dormientes
Et propinquum sentientes
Lumen verum gaudeant,

2b. Dissolvatur nox peccati,
Ut instantem verbi nati
Diem omnes videant.

3a. Ecce venit rex virtutis,
Ut antiquae servitutis
Gravem tollat sarcinam,

3b. Ut dissolvat jugum vetus,
Ecce venit ut mansuetus
Deus super asinam.

4a. Nunc fideles currant chori
Et occurrant salvatori,
Adest enim cominus;

4b. Ramos, vestes sternant ei
Et clamantes ut Hebraei:
Benedictus Dominus.

5a. Jam venisse praedicatur
Et venturus exspectatur
In die novissima;

5b. Nos venturum deprecemur,
Ne pro malis judicemur
Digni morte pessima.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 180. A. — Miss. ms. Cameracense saec. 14/15. Cod. Cameracens. 179. B. — Miss. ms. Cameracense saec. 15. Cod. Cameracens. 223 C. — Miss. Cameracense imp. Parisiis 1542. D. — 2b, 1 Dissolvantur D.

10. De Adventu DN.

1a. Alta coeli sunt curvata,
Ima terrae sublimata
Super orbis cardinem,

1b. Adae lapsus reparatur,
Evae pudor expiatur
Per Mariam virginem.

2a. Nazareth stat sub clausura,
Cui cedunt cuncta jura
Triumphantis curiae;

2b. Gabriel dum ait Ave,
Ejus intrat in conclave
Rex aeternae gloriae.

3a. Infinitum terminatur,
Verbum simplex copulatur
In adolescentula,

3b. Stupet omnis creatura,
Silent omnis artis jura
In hac verbi copula.

4a. Dum fit verbum substantivum
Accidentis susceptivum,
Duplatur simplicitas;

4b. In diversum idem cedit,
Dum ab uno non recedit,
Alteratur unitas.

5a. Peregrinat a natura,
Dum in Dei transit jura,
Hominis conditio;

5b. Quae sint vincla, quae junctura,
Deum jungens cum factura,
Nulla novit ratio.

6a. In humana et divina
Cum sit haec natura bina,
Unum est suppositum;

6b. Plenitudo fit inanis,
Sitit mare, famet panis
Nec datur oppositum.

7a. Judex reo est unitus,
Homo Deo et conjunctus
Est in hac hypostasi;

7b. Hic est dives et egenus,
Dum hic homo fit, quod Deus,
Ponitur in exstasi.

8a. Solis lumen nube tectum
Nostrae nubis fit objectum
Nec hebet in lumine;

8b. Indefectum dat effectum,
Nostrum vergat ad profectum
Sol ortus de virgine.

Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523. — Das ganze Lied, vor allem Strophe 3b, erinnert an das geistreiche Gedicht des Alanus ab Insulis, dessen Rundreim ist: In hac verbi copula Stupet omnis regula. Str. 7 macht bei der sonstigen Formvollendung sehr den Eindruck einer Interpolation.

11. In Nativitate DN.

1a. Exsultemus hodie
Ad praeclara gaudia

1b. Nec odas laetitiae
Deleat tristitia.

2a. Nam Christus apparuit,
Quem Maria genuit
Et puella.

2b. Virgo prolem edidit
Nec pudorem perdidit,
Ecce stella,

3a. Quae descendit
ab Eoo cardine,
Geniti de virgine
Fit praesaga.

3b. Cujus satis
claro rutilamine
Renitet ex ordine
Bethlem plaga.

4a. Ad custodes gregum fuit
et cantus symphonia,

4b. Coeli cives canunt Deo
in excelsis gloria.

5a. Stella magos invitavit,
quae non luxit antea,

5b. Hinc pastores, hinc et magi
currunt ad praesepia.

6a. Adoremus regem natum
In praesepi collocatum
Sed cingentem omnia,

6b. Demus myrrham, thus et aurum,
Illum personemus trinum,
Unum in essentia.

7. Cui sit laus et gloria
In supernorum curia.

Trop. ms. Cameracense saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Cameracens. 79 A. — Trop. ms. Cameracense saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Cameracens. 61 B.

12. In Nativitate DN.

1a. Grates nunc omnes
reddamus Domino Deo,
qui sua nativitate
nos liberavit
de diabolica
potestate.

1b. Grates nunc omnes
reddamus aeterno patri,
pro sua qui pietate
mundo salutem
de matris contulit
puritate.

2a. Grates nunc omnes
reddamus flamini sancto,
pro sua quod bonitate
mundum lustravit
ab idolatrica
vanitate.

2b. Grates nunc omnes
reddamus simplici Deo
et trino liberatori
clementissimo
nostroque benigno
salvatori.

3a. Grates nunc omnes
reddamus virgini matri,
de cujus fecunditate
auctor salutis
cum vera prodiit
deitate.

3b. Grates nunc reddant
angelicae potestates
et coelestium virtutes
omnipotenti
pro liberatis at-
que salvatis.

4. Huic, oportet,
ut canamus
cum angelis semper:
gloria in excelsis.

Cod. Universitatis Pestinens. s. sign. saec. 15. — Eine Erweiterung der bekannten kurzen Weihnachtssequenz (Kehrein, No. 6); die fünf eingeschalteten Halbstrophen wiederholen sämtlich die Melodie von 1 a.

13. In Nativitate DN.

1a. Mater Dei novo more
Fecundata sacro rore
Castitatis salvo flore
Profert numen,

1b. Ut a lecto sol aurorae
Surgit mane cum nitore,
Sic ab alvo puriore
Verum lumen.

2a. Mater mirae castitatis,
Consolamen desolatis,
Nato summae pietatis
Nos respexit.

2b. Alvum subit castitatis-
Sacrum flamen deitatis
Et in claustro puritatis
Requiescit.

3a. Pater summus meliorem
Praeelegit in amorem
Castitatis et honorem
Conservavit.

3b. Virgo parit novum florem,
Tam suavem dat odorem,
Per quem lapsos in dolorem,
Confortavit.

4a. Verbum patris humanatur
Et in matre reclinatur,
Mundum praesens consolatur
Incarnata deitas.

4b. Joseph justus admiratur,
Quod sic mater impraegnatur,
Quod intacta reseratur
Et parit virginitas.

5a. Venter matris tam dilectus
Est a Deo praeelectus,
Talis illi placet lectus,
Quo nullus suavior.

5b. Per hunc Satan est ejectus,
Sic florescit ordo rectus,
Salus datur et profectus.
Homo fit liberior.

6a. Vas insigne, vas probatum,
Templum Deo dedicatum,
In quo Deus clausit natum,
Sicut docet litera.

6b. Templum intus adornatum
Talem habet principatum.
Quod non fuit violatum
Et parit puerpera.

7a. Jesu, fructus summi patris,
Pia prece piae matris
Ne permittas nos cum atris
Damnari daemonibus.

7b. Sed extremo fine vitae
Nos in Eden tuam mitte,
Ubi pax est sine lite
Cum sanctis fidelibus.

8. Bona mater, pia, mitis,
Novus hortus novae vitis,
Nos ab antro trahe Ditis,
Portum nobis da salutis
In coelesti curia.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. — 5b, 2 Sic possescat (sic). Hs.

14. In Nativitate DN.

1a. Aulam intrat virginis
Verbum patris coelitus,
Ut salutem hominis
Restauret divinitus.

1b. Nutu patris mittitur
Ab arce siderea,
Claudens cuncta clauditur
Carne sub virginea.

2a. Rore sancti spiritus
Maduit virginitas,
Quam replevit coelitus
Sumpta carne deitas.

2b. Sic pudoris lilium
Gabrielis nuntio
Fit Christi sacrarium,
Templum, obumbratio.

3a. Rubus igne, virga flore,
Vellus rore

3b. Ante partum et in partu
Et post partum

4a. Consignando mysticant
Sanctitatem virginis
Et fecundam indicant
Ex amore flaminis.

4b. Horum typo claruit,
Quod solem justitiae
Stella Jacob protulit
Ex Jesse progenie.

5a. Austro leni tumuit
Virgo Sion filia,
Quae Messiam genuit
Operante gratia.

5b. Nil pudoris marcuit
Matris sub officio,
Lux de luce micuit,
Sol de stellae radio.

6a. Ave nucis sementiva,
Botrus Cypri et oliva,
Flos campi convallium;

6b. Porta clausa, fons signatus,
Virga florens, austri flatus,
Rosa, crocus, lilium.

7a. Aula verbi singularis,
Scala coeli, stella maris,
Templum sancti spiritus;

7b. Germen Sion, radix David,
Clausus hortus, quem intravit
Splendor patris coelitus.

8a. Summa mundi spes, Maria,
Esto nobis dux et via
Ad coeli palatium,

8b. Natum tuum perduc, stella,
Ut det nobis, interpella,
Spiritale gaudium.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123.

15. In Nativitate DN.

1a. Alto consilio
Divina ratio
Restaurans hominem
Immittit coelitus
Vim sancti spiritus,
Qua replet virginem.

1b. Pectus virgineum
Coelo capacius
Totum et integrum
Claudit interius
Illum, qui Deus est
Et Dei filius.

2a. Visitatur sede de supera
Babylonis filia misera,
Persona filii missa non altera
Venit Jesus, nostra laetitia.

2b. Moratus est fletus ad vesperum,
Matutinum ante luciferum
Castitatis egressus uterum
Nostrae carnis sumpsit mortalia.

3a. Nube carnis majestatis
Occultans potentiam
Pugnaturus armaturam
non assumit regiam
Sed praetendit inimico
mortalem substantiam.

3b. Capit Deus temporale
nascendi principium
Et pudoris non amittit
virgo privilegium
Nec post partum emarcescit
castitatis lilium.

4a. Ardet rubus sed ardenti
Non nocet vis elementi,
Flamma nihil destruit;

4b. Sic virgine pariente
Partu nihil destruente
Virginitas floruit.

5a. Solvitur Abrahae
sera promissio,
Jam fere saeculi
decurso spatio
Nobis locutus est
Deus in filio.

5b. Cum ei carminis
expletur litera,
Rex, inquit, veniet
de sede supera,
Qui praesens hominum
judicet opera.

6a. Cum non salvet hominem
Legis observatio,

6b. Deus orbem visitat
ortu necessario.

7a. Nec per legem gens salvatur,
Nec mortuus suscitatur
Per praemissum baculum,

7b. Donec praesens Elisaeus
Et in carne verus Deus
Visitavit saeculum,

9. Quoniam ex te Christus
natus est in arva,
De te mater casta
processit, Maria.

Prosar. ms. Laudunense saec. 12. Cod. Laudunens. 263 A. — Grad. ms. Compendiense saec. 14. Cod. Parisiens. 13729 B. — 3b, 5 sq. castitatis emarcescit lilium A. — 4a, 1 rubum B. — 7b, 1 Donec venit Elisaeus B. — 7b, 2 et in carne praesens Deus A. —

16. In Nativitate DN.

1. Praecelsa
celebrantes solemnia

2a. Persolvamus
voce praeclara
ac nova cantica;

2b. Fraterna pax
Domino grata
resultet carmina.

3a. Declarant
hodie nova mysteria
coeli secreta;

3b. Maria,
virgo perpetua, Domini
mater est facta.

4a. Angelica
jam turba resonat
modulamina
dulcia cantans:

4b. Gloria
sit per saecula,
pax, quibus bona
constat voluntas.

5a. Eja intona
nostra tinnula frequens
musica,

5b. Canta cantica
voce, choro, tympano,
cithara.

6a. Sic clamans cernua
sua fert Domino
munera:
Tibi gloria,
trinitas,
creans omnia.

6b. Virtus, potestas
nunc et per
cuncta saecula
Genitori, nato
neumatique sancto
maneat.

7a. Tua sunt
etenim universa,
quae condidit tua dextera,
coelica, terra et aqua.

7b. Tibi lux
famulantur et umbra.
terra parit tua sata,
mare tenet tua jussa.

8a. Digneris nunc, quaesumus,
flagrantia
sumere vota.

8b. Facinora expurga,
miserias
repelle cunctas,

9a. Et tua gratia
mentes nostras
et corpora sic dirigas,

9b. Ut judex veniens
permansuram
nobis concedas gloriam.

10. In qua tibi laudes canat
nostra caterva,
Alleluja
resonans per saecula.

Trop. ms. Novalicense saec. 11. Cod. Oxoniens. Douce 222.

17. In Nativitate BMV.

1. Summa

2a. Stirpe genita,
virgo Maria,
regum sanctorum
filiola,

2b. Hodie rosa
de spinis acutis
Evae orta est
mollissima.

3a. Quae stipitem
vetustae noxae
flore gratiae
obumbrabat,

3b. Hanc venturam
signaverant jam
saecli recentis
exordia.

4a. Nam virgo exstiterat
arida,
Ante Caïn
quam polluisset eandem
humore
fraterni sanguinis,
libera livoris flamma
nec calens
libidinis macula.

4b. Te viri et feminae
praedicant
Castitate
sequentes coeli reginam,
seu chorus
sub lege principum
vel novorum stemma patrum,
inter quos
tu rutilas maxima.

5a. Te sicca virgula
Aaron monstrat
sitibundo
cortite turgens gemmula.

5b. Sic casto corpore
filium gignens
protulisti
coelis et terris germina.

6a. Hierusalem filia
tu, genitrix Dei,
simplicibus
columbarum oculis
splendes nitida.

6b. Sola exemplo sine
nec prius similem
visa ades
nec habere sequentem,
alma Maria.

7a. Quam frequentes
celebrant angeli
in tuo natali
hunc diem solemnem,
stella lucida.

7b. Nos gregatos
fragiles homines
sub tua viscera
jugiter tuere,
pia Maria.

Trop. ms. Sedunense saec. 10. Cod. Londinens. Add. 19768. — 5a, 4 trudens gemmula Hs.

18. In Purificatione BMV.

1. Qui purgat animas
et corpora sancta,

2a. Hodie
sine macularum
contagia

2b. Legem per
se datam conservans,
hic Mariam,

3a. Genitricem suam,
ad templum cum
hostiarum munere

3b. Venire voluit,
bis geminum
deferentem alitem.

4b. Per quod edocemur,
cognoscere
mysticam virtutem.

4b. Turtur castitatem
nam, columba
praetendit mutuam

5a. Dilectionem,
quibus plenam
exstitisse credimus
beatam
genitricem ipsam, fieri
pro quo hospes meruit

5b. Altitonantis
municipis,
qui clausam ingrediens
adiit
per Ezechielem praedictam
portam gloriosam.

6a. In cujus
obsequio senex,
anus gratulabunda
propheta occurrunt dare
gloriam Deo.

6b. O porta
coeli, per Aaron
et praefigurata
virga, consumens flore
serpentis vira.

7a. Nos tibi cum voto cordis
parere studentes
adsumus, unicus
tuus nostra
relaxet ut facinorum
crimina per primam
virginem datam.

7b. Quo purgatis mentibus et
nos tui consortes
effecti, mereamur
recipere
ipsum in mentis arcana
per eum mundata
atque purgata.

8a. O trinitas perfecta, in qua
sola manet laus, nos tuos
clientulos agnitos tecum
[semper] mansuros
fac ut adeamus
ovilia, ubi degunt
monachorum agmina.

8b. Jam harmonicis cantilenis
paene exactis precamur,
ut exituri a saeculo
reperiamus
tuam praesentiam;
antiquum hostem amove,
ut possimus subire

9. Te duce coeli regna;
completa nostra camoena
tecum canamus, Domine,
perpetim jubilamina.

Trop. ms. Novalicense saec. 11. Cod. Oxoniens. Douce 222. — 6a, 2 senes Hs. — 7b, 6 mandatam Hs. — Die Abteilung von Str. 8 an ist zweifelhaft, da die Handschrift mit 8b, 6 und 9, 2 Alinea eintreten läſst. Ist diese Abteilung der Handschrift richtig, so ist der offenbar vorhandene Parallelismus nicht über Str. 8 hinauszuführen.

19. In Circumcisione DN.

1. Verbum, legibus
nullis debens quidquam,
solvere venit
non literam sed dare

2a. De superna patria,

2b. De parentis dextera,

3a. Petens olim nostra
exsilia,
non linquens sua;
virgo eligitur
fecundanda regia.

3b. Fit mater ignorans
consortia
de coelo plena,
coelibatum Deo
dedicat pusiola.

4a. Hac non est inventa
decens sponsa
Deo magis congrua.

4b. Vermis hic de manna
scatens Christus,
natus est ex femina,

5a. Et lapis
de monte sine manibus

5b. Editus
puer absque complexibus.

6a. Namque legi solverat
obnoxia
primordia jam cernere
et die octava

6b. Aptant non ex homine
vocabulum,
sed sacro quod angelo
est mundo inditum.

7a. Circumciditur
puer Jesus,
fit legi subditus,
qui dedit eam patribus.

7b. Circumcisio
primum sacra
Abrahae posita
post Jesum torpet vacua.

8a. Lux ingens orta,
propterea
non sunt condenda
omnia nova.

8b. Vetus sopita
sis pagina,
cubes intacta
superat nova.

9a. Per quam est culpa
spoliata
et prima origo
redempta
morsque triumphata.

9b. Exsultet Deo
angelica,
laetetur Christo plebs
haec ima,
laus o quam inclita!

10. Gloria patri sit summa
ejusque proli sit aequa,
Flamini par quoque
in saecula.

Tropar. ms. Cameracense saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Cameracens. 79. A. — Tropar. ms. Cameracense saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Cameracens. 61. B. — 1, 2 quidquid AB. — 1, 4 litera B. — 6a, 1 solveret A. — 8b, 3 cubes = cuba? — 9b, 4 haec usia B. — 10, 2 sqq. fehlen B.

20. In Epiphania DN.

1. Hanc diem tribus
Dominus signis
illustrat:

2a. Puer nobis veniens
de supernis
et induens mortalia

2b. In praesepe ponitur,
adorandus
monstratur stella praevia.

3a. In Oriente
cernentes nova lumina

3b. Persarum reges
adcurrunt dare munera

4a. Nato, qui cum patre
regit cuncta saecla

4b. Et gubernat, montes
etiam ponderat.

5a. Aurum, thus et myrrham
deferentes
regi, veram carnem
assumpsisse
typice praedicant.
Jordanis hodie
retro subtrahit undulas,

5b. Johannes expavit,
salvatorem
tingere, clamans: me
magis tu lava;
de coelo intonat
genitor, filii
placet, inquit, gloria.

6a. Et sanctus
spiritus columbae specie
comparem
se clamitat.
Hodie nuptiales
thalamos Dominus
sanctificavit
vertens in vinum flumina,

6b. Stupidos
vetustatis latice,
subito
efficiens
sapidos, omnibus et
propinavit sanctae
praemia vitae
porgens sanguinis pocula.

7a. Quaesumus,
jam nos respice tu,
pater, et viam patriae
supernae demonstra,

7b. Ut recto
semper gradientes
curru mereamur regna
scandere praecelsa.

8a. Tu, patris filius,
humilis populi
audi vocis cantica,

8b. Et sancto petimus
flamineo spiritu
voces nostrae concinant,

9. Ut tibi jugiter
concinentes
veniant ad gaudia.

Trop. ms. Novalicense saec. 11. Cod. Oxoniens. Douce 222. — 2b, 1 Praesepe ponitur. — 3b, 2 reges (hodierna mystica) adcurrunt, gegen das Versmafs. — 6a, 1 sq. sancto spiritu . . . speciem; Überschufs von zwei Silben. — 7a, 4 super et demonstra.

21. De Epiphania DN.

Dominica infra Octavam.

1. Replet nova
dies laetitia
fidelium corda,

2a. Natus est Deus in qua
pauper in terra,
ut nos superna
ditet gloria.

2b. O nimis admiranda
talis gratia,
stupet humana
mens ad haec dona.

3a. Haec sunt annuntiata
per angelum gaudia,

3b. Salus est nobis orta
in urbe Davidica.

4a. Felix Maria
proferens
haec mundo miracula,
lactans eum,
per quem es creata.

4b. Mater intacta,
post partum
manens inviolata,
nato tuo
supplices commenda.

5. Cum quo per saecula
laetemur sempiterna.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1534.

22. De Epiphania DN.

Infra Octavam.

1a. Orta lux mirifice
Praevisa prophetice
Nunc lucis deificae
Monstrat ortum.

1b. Hac magus instruitur,
Herodes concutitur,
Ad Jesum gens ducitur,
Pacis portum.

2a. Stella prodit puerum,
Conditorem siderum
Et ultorem scelerum,
Deum fortem.

2b. Quem mystico munere
Monstrat cuncta regere
Et tandem redimere
Nos per mortem.

3a. Hic aquis abluitur
Et aquis infunditur
Virtus, qua diluitur
Adae noxa.

3b. Columba conspicitur,
Vox patris complectitur
Natum, qua dignoscitur
Ejus doxa.

4a. Johannis praeconium
Profert testimonium,
Et sumit initium
Lex amoris.

4b. Laetatur convivium,
Cum facit officium
Vini liquor fontium
Melioris.

5a. In virginis clausula
Sponsae sine macula
Dulci nubit copula
Verbum patris.

5b. Abluens piacula
Nostra solvat vincula,
Protegens in saecula
Prece matris.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1534.

23. De Epiphania DN.

1a. Coeli multifariam
Narrant Dei gloriam
Pariente virgine,

1b. Lux ad caulas mittitur,
Stella magis oritur
Novo lucens lumine.

2a. Christo nato desinunt
Loqui vaticinia,
Et ad cunas concinunt
Angeli pro venia.

2b. Voces a pastoribus
Audiuntur superae,
Sed Chaldaeis regibus
Innotescit sidere.

3a. Ad utrosque coeli fantur,
Sed Judaeis voces dantur
Et signa gentilibus;

3b. Ad utrosque fantur caeli,
Genti tamen infideli
Sunt signa pro vocibus.

4a. Haec est dies signis praestans,
Christum vere manifestans
In aetate qualibet:

4b. Manifestans Christum vere,
Quando sibi complacere
Pater eum perhibet.

5a. Manifestans etiam,
Quando jubet hydriam
Vinum dare nuptiis;

5b. Manifestans iterum,
Quando trium munerum
Signatur mysteriis.

6a. Aurum regem praedicat,
Thus Deum significat,
Myrrha dandum tumulo;

6b. Felix regum trinitas,
Quae sic trinum visitas
Triplici munusculo.

7a. O virgo perpetua,
Tu stella praecipua,
Quae ducis ad Dominum;

7b. Tu mentes illumina,
Gloriosa Domina,
Dulcis virgo virginum.

Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572. Cod. Ambianeus. 132. — Mel.: Veni sancte spiritus mit Wiederholung des vorletzten Chorals.

24. De Cruce DN.

1a. Salve, crux, vitale lignum,
Arbor sacratissima,

1b. In qua morte mortem vicit
Gloriosa victima,

2a. Agnus sine macula
Solvens mortis vincula

2b. Perditos coelestia
Revocans ad gaudia.

3a. Per lignum mors intraverat,
Et anguis astutia

3b. Genus nostrum nudaverat
Immortali gloria;

4a. Sed per lignum Dominus
Primae matris facinus
Ratione delens mira

4b. Unicam, quem genuit,
Incarnari voluit
Et mactari morte dira.

5a. Christus ergo moritur,
Sed peremptus superat
Tenebrarum castra;

5b. Sanguis vitae funditur
Et redemptus properat
Peccator ad astra.

6a. Hujus namque crucifixi
Fuit serpens indeserto
Quondam aeneus figura,

6b. Quem Moyses ligno statuit,
Ut cessaret ignitorum
Anguinum laesura.

7a. Serpente viso morsorum
Sanabantur vulnera,

7b. Et cruce Christi reorum
Abolentur scelera.

8a. O quam dulcis hostia,
Quanta jam laetitia,

8b. Pacis intrant limina
Redemptorum agmina.

9a. Hujus nunc virtute crucis

9b. Trahe nos ad regnum lucis

10a. Emundatos
a peccati macula
Et perennis, Jesu bone,

10b. Fac participes coronae
Per aeterna
saeculorum saecula.

Prosar. ms. Glastoniense saec. 12. ex. Cod. Londinens. Calig. A XIV. — 6b, 1 in ligno statuit.

25. De Armis DN.

1a. Gaude, Sion speciosa,
Gaude, mater gratiosa,
De votivis canticis,

1b. Quantum potes, tantum gaude,
Pleno plausu, virgo, plaude,
Nec gaudere sufficis.

2a. Per te vicit magnus leo,
Natus Deus qui de Deo,
Christus, gigas orbiger,

2b. Vicit armis sanctitatis
Et cruore deauratis,
Quem effudit armiger.

3a. Arma Christi passionis,
Arma verae cautionis
Veneremur laudibus,

3b. Dies quorum solemnis agitur,
Et de Christi triumpho plauditur
Singulari plaudio.

4a. Haec sunt arma quibus miles
Christus solvit nos exiles
Ab inferni faucibus,

4b. Unde gaudent coelorum sidera
Et laetantur quaecunque cetera
Christi sub imperio.

5a. Hasta sancta, cuspis vitae,
Quo rex regum vicit rite,
O beata lancea,

5b. Ista hasta, illud lignum,
Stabit prope crucis signum
In summa sententia.

6a. Cum nos judex judicabit,
Nationes separabit
Districto judicio,

6b. Clavi sancti tunc fulgebunt,
Inter arma apparebunt
Judicis aspicio.

7a. Felices cochilidones
Fructus sancti colligones
Beati Christigeri,

7b. Clavi dulces et fecundi,
Clavi boni et jucundi
Fructus sunt fructigeri.

8a. Botrus Cypri est expressus,
Christus tritus atque fessus,
Per haec torcularia,

8b. Bibant omnes hinc credentes
Puritatem, sitientes
Hac cella vinaria.

9a. Arma dudum vilipensa,
Nunc in laudes sunt protensa
Vivaci memoria,

9b. Quibus Christus militavit,
Militando triumphavit
Laudanda victoria.

10a. Sub figuris haec latebant,
Quae sub velo tunc valebant
Et sub signis tunc placebant,
Sed nunc sunt in patulo.

10b. Virga magos abdicavit,
Mare rubrum separavit,
Petram aquis fecundavit
Moysi officio.

11a. Ecce virga hasta ista,
Qua transfixus agonista,
Christus noster salutista
Nos solvens damnamine;

11b. Clavis cordis David cinxit
Cytharista, sic depinxit
Venas Christi, quibus tinxit
Nos sacrato sanguine.

12a. Bone victor, rex coelorum,
Christe decus angelorum,
Vera salus beatorum,
Miserere famulorum,
Miserere miseris.

12b. Fons exundans miserendi,
Salus nostra resurgendi,
Miserere, lux videndi,
Miserere, spes vivendi,
Miserere parvulis.

Miss. ms. Superioris Altae anni 1493. Clm. Monacens. 974 B. A. — Clm. Monacens. (ol. Superioris Altae) 9508 saec. 15. B. — Mel.: Lauda Sion B.

26. De sancta Lancea.

1a. Ave, ferrum triumphale,
Intrans pectus tu vitale
Coeli pandis ostia;

1b. Fecundata tu cruore,
Felix hasta, nos amore
Per te fixi saucia.

2a. Florens cruor, quem fuderunt
Artus Christi, quos foderunt
Clavorum fixoria,

2b. Fusa per te ac rigata
Et per clavos solidata
Nostra sint praecordia.

3a. Salve, Jesu Nazarene,
Tu pro nobis mortis poena
Affectus injuria,

3b. Placa patrem majestatis,
Ut in aevum cum beatis
Nos coronet gloria.

Miss. ms. Mellicense 991. saec. 15. — Aus der Messe de quinque vulneribus DN.

27. In Festo sancti Salvatoris

quando a Judaeis ejus imago percussa fuit die IX. Novembris.

1a. Ave, Jesu, salus mea,
Crucifixus a Judaea
Crucis in patibulo,

1b. Qui livore dirae gentis
Diu dolens in tormentis
Moreris pro populo.

2a. Et hoc totum fit pro pomo,
Quod praesumpsit primus homo
Manu temeraria;

2b. Ne periret creatura,
Tu creator inde dura
Pateris supplicia.

3a. Pro me totus perforatus,
Pro me totus saturatus
Opprobriis omnibus,

3b. Inde latens illud aurum
Mihi fundis in thesaurum
Manibus et pedibus.

4a. Vertex spina cruciatus,
Clavo manus, pedes, latus
Cuspidis aculeo;

4b. Vulnus illud omne sanat,
Unde nobis unda manat
Liquore sanguineo.

5a. O quam felix apertura,
Quae per aevum permansura
Regna nobis aperit,

5b. Pretiosus iste sanguis,
Per quem victus ferus anguis
Se confusum reperit.

6a. Sic te passum carne Jesum,
Cruciatum, vinctum, caesum
Atque plagis lividum,

6b. Ne puniret flammis atris
Exspirans in manus patris
Pro me tradis spiritum.

7a. De te clamat Jeremias:
O vos omnes, qui per vias
Transitis, attendite,

7b. Si sit dolor huic dolori,
Quo compellor ita mori,
Similis, adspicite.

8a. Circumire possum polum,
Mare magnum atque solum,
Nusquam te reperio,

8b. Nisi solum crucis ara,
In qua pati tot amara
Fecit te compassio.

9a. Ibi pascis, care meus,
Ibi dormis, alme Deus,
Cubans in meridie,

9b. Exprobratus, subsannatus,
Totus membris cruentatus
Filiis perfidiae.

10a. Nam pro me tu flagellaris
Et in cruce lacrimaris
Sed felici lacrima;

10b. Funde fontem lacrimarum,
Fac, ut pro te sit amarum
Cor tristis et anima.

11a. Absit mihi gloriari
Nisi cruce singulari,
Ubi vera gaudia;

11b. Pelle morbum, da salutem,
Fuga crimen, da virtutem,
Pia crucis hostia.

12a. Te sanante sim sanatus,
Te salvante sim salvatus
Dono sancti spiritus.

12b. Tu, quis donas esse donum,
Dona nobis finem bonum
Et felicem exitum.

13a. Jesu dulcis, esto mecum,
Sume, precor, vota precum,
Natus alma virgine;

13b. In hoc tristis vitae salo
Nos defende hoste malo,
Salus nostra, Domine.

Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523.

28. In Resurrectione DN.

1. Surgente Christo
de sepulchro

2a. Hymnos atque
laudes demus et
paschalia

2b. Praecinentes
annuntiemus
magnalia.

3a. Munera populi
exsultantes tollite in
atria

3b. Coelica dicentes:
quia regnavit a ligno
veritas.

4a. Quae confregit claustra
saevi tyranni gehennalia,

4b. Protoplasti patris
divinitus perimens vincula.

5a. Quem creavit
mundi condens figuram;
hujus stirps ut vidit,
quod venisti Deus
ac frangens tartara
praepotenti dextera:

5b. Solus, Christe,
tuos exhilarans en
requisitos servos
redemptos, vetera
crimina diluens,
duc ad nova gaudia.

6a. Qui tenens
justorum foedera
dare fulgentia
consona
voce simul intonantia:

6b. Laetentur
sidera lucida,
terrae exsultent et
maria,
quod verum sumentes azyma

7a. Epulemur
passione Christi,
Respuentes
vetera fermenti,
coetibus
nexi surgentium
sanctorum testium,
surgere
nostra quoque corpora.

7b. Sic vivamus,
socii, possimus
Ut virtutem
capere divinam
ac Jesum
cernere fulgentem
proprio decore,
qui regit
angelica agmina.

8a. Exsultet ergo
fidelis turba clamans:
Salvator,
quod in nos plasmasti, tu
confirma.

8b. Venturus item
judicare orbis cuncta,
praesentem
salva tuo cruore
catervam.

9a. Quo fruamur aeterno festo
celebrando verum pascha,

9b. Cum transcundo ministrabis
coenam famulis; beatae

10. Caritatis
Trinitati gloria.

Trop. ms. Novalicense saec. 11. Cod. Oxoniens. Douce 222. — 5b, 2 hen. — 7b, 5 atque Jesum.

29. Feria III. Paschatis.

1. Cane, cuncta

2a. Nunc caterva
mystica
odas debitas

2b. Christo, tuas
qui tersit
sanguinis unda

3a. Criminum culpas
et concessit
polorum regna,

3b. Confregit portas
infernales
nec non infera.

4a. Suosque liberans
delevit
mortem turpissimam,

4b. Vexit ad supera,
cruore
quos redemerat,

5a. Paradisiacam
aperuitque januam,

5b. Clausa quae fuerat
hominis primi per culpam.

6a. Parce, rex pie,
et exterge
nostra cuncta scelera.

6b. Da nobis clara
frui vita
ac poni in gloria

7. Nunc et per cuncta
saecula.

Grad. ms. S. Magdalenae Bisuntin. saec. 11. ex. Cod. Bisuntin. 78. — 4a, 3 Überschufs von einer Silbe. — 6b, 2 perfrui Hs.

30. Feria III. Paschatis.

1. Pangite celsa voce,
puro corde quoque, eja

2a. Socii, votiva
nunc celebrantes gaudia,

2b. Promite praeclara
haec Jesu Christi trophea.

3a. Lustrentur pectora,
patescat
vox indivise socia.

3b. Resultent organa,
conclamet
mens puritatis conscia.

4a. Devotioque pia
consurgat
ante Deum cernua,

4b. Ab inferis Domino
depromat
resurgenti talia:

5a. O bone rex, ave,
inclite in gloria,
Dum spolia
vendicas
tibi tartarea,
Leviathan
faucibus eruta.

5b. O bone rex, salve,
nunc patris in dextera,
Dum vitia
diluis
nostra letifera
exhibita
debiti venia.

6a. Tu sanctis triumphalem
post victoriam
perpetua
tribuis praemia.

6b. Virtutum quoque nobis
da propitius
post vitia
pia charismata.

7a. Ereptis tradis munera
sempiterna,
das requiem praeparatam,
quo teneant
luciflua jugiter
moenia.

7b. Adducis nos Niliaca
secus freta,
Jordanica cingis unda,
florentia
virtutibus tribuis
gramina.

8a. Perfrui
tu dedisti
his luce tua;

8b. Da quoque
nobis, coram
te geri grata.

9a. Ut sicut
illis tribuisti
perennia [praemia],

9b. Concedas
nobis ita regna,
quo semper tuba nostra

10. Te laudet per saecula.

Grad. ms. S. Theoderici saec. 12. Cod. Remens. 169. A. — Miss. ms. S. Remigii saec. 13. Cod. Remens. 122 B. — Prosar. ms. S. Theoderici saec. 15. Cod. Remens. 179. C. — Mel.: Christi hodierna pangimini omnes una. Die meisten Abweichungen von diesem Originalschema erklären sich durch eine sorglichere Gliederung; Str. 8 ist gekürzt, 9a vielleicht lückenhaft.

31. Feria III. Paschae.

1a. Ecce triumphat
novus homo

1b. Mortem, quam dedit
vetus pomo.

2a. Agnus innocens
vivit immolatus,

2b. Vincit occisus,
regnat crucifixus.

3a. Morti succumbens
perimit mortem
vitae potentia

3b. Atque resurgens
zabulon vincto
spoliat tartara.

4a. Victor redit
Alpha et O,
gemit Satan,
plaudit homo.

4b. Poli gaudent
nunc repleri,
sua damna
flent inferi.

5a. Haec dies, in qua
potenter dira
Pharaonis
destruxit imperia,
Conferens nobis
viventium regna,

5b. Adest, inclita
David excelsi
victoria
quondam praefigurata.
En microcosmo
conferuntur aethra.

6. Ubi simus per saecula.

Miss. ms. Vindocinense anni 1457. Cod. Vindocinens. 16. A. — Grad. ms. Vindocinense saec. 14. Cod. Vindocinens. 121 bis B, letzteres unvollständig. — 1, 2 novus actor A. — 4a, 2 A et Oo.

32. Dominica V post Pascha.

1a. Ave leo fortissime,
Mortis victor altissime,
Fidelis salus animae,

1b. Paschalis laudis victimae
Sono vocis laetissimae
Pangamus celeberrime.

2a. Nunc illucet festivitas,
In qua Christi benignitas
Oves redemit perditas,

2b. Haec praeclara jucunditas
Jucundaque felicitas
Et felix immortalitas.

3a. O quam mira dignatio
Dignaque admiratio,
Pater non parcit filio,

3b. Quem pro mundi flagitio
Dedit mortis supplicio,
Ut esset nostra portio.

4a. Sed triumpho potentiae
Mortem vincens tristitiae
Surrexit tertia die.

4b. Hostem frangens superbiae
Cruore carnis propriae
Claustra rupit nequitiae.

5a. O agnus invisibilis
Decoreque spectabilis
Et virtute mirabilis,

5b. Qui es potens et humilis,
Serenus et terribilis,
Splendor desiderabilis.

6. Te petimus mente pia
Per haec festa paschalia,
Fac nos tecum in gloria
Resurgere ad praemia.

Miss. Fontebraldense imp. Parisii 1534. Mel. vermutlich: Veni sancte spiritus mit Zusatz für Str. 6.

33. In Festo Pentecostes.

1a. Veni, sancte spiritus,
Qui es Dei digitus,
Dona nobis coelitus
In te recta sapere.

1b. In hac die visita
Corda tibi subdita,
Nulla valent merita
Sine tuo munere.

2a. Mitte tuis famulis
Ignem, quem discipulis
Misisti dans singulis
Dona tuae gratiae.

2b. Mira haec est gratia
Continentis omnia,
Qua vocis scientia
Datur ignis specie.

3a. Turbae pavent gentium,
Quia linguis omnium
Vox sonat dicentium:
Laus tibi sit, Domine.

3b. Putant esse stolidos
Atque musto madidos
Igne tuo fervidos,
Spiritus paraclite.

4a. Sanctum pneuma, petimus
Da pacem, dum vivimus,
Dele, quae peccavimus
Corde, verbis, opere.

4b. Tuum esse dicimus,
Quidquid boni facimus,
Tibi benedicimus
Nunc et omni tempore.

Grad. ms. Remense saec. 12. Cod. Remens. 261. add. saec. 12 ex.

34. In Festo Pentecostes.

1a. Quinquagena lux illuxit,
Ex quo surgens suos duxit
Christus ad coelestia,

1b. Reseravit ibi caelum,
Sed hic solvens legis velum
Patefecit invia.

2a. Doctor spirans ab aeterno,
Die splendens hodierno
Repentino munere,

2b. Fluxum cordis et timorem
Sacrum tersit per amorem
Novo dato foedere.

3a. Non hic Sina tectus nube,
Non hic terror, non hic tubae,
Non hic micant flumina,

3b. Sed ignitae linguae dantur,
Ut ignita proferantur
Doctrinarum fulmina.

4a. Corda gaudent, voces sonant,
Linguae modos dulces donant
In Dei magnalia,

4b. Sed loquelis tam diversos
Plebs insana putat mersos
Gravi tremulentia.

5a. Quos objurgans obloquentes
Petrus verbo fraenat mentes
Fideli constantia

5b. Et Joele teste docet,
Quod in laudem viros vocet
Spiritus praesentia.

6a. Linguas pravae nationis
Circa turrem Babylonis
Confudit superbia,

6b. Sed hoc signo, quo praestatur
Omnis lingua, decoratur
Humilis ecclesia.

7a. Praedicandus erat mundus,
Excolendus Christi fundus,
Jacienda semina;

7b. Ni communes essent linguae,
Non proferret solum pingue
Pretiosa germina.

8a. Septiformis consolator,
Innocentum consecrator,
Peccatorum venia,

8b. Vitae portus, fons amoris,
Sempiterni lux splendoris
Viantium praevia.

9a. Da cor rectum, fidem bonam,
Linguam tibi dare pronam
Sacrae laudis munia;

9b. Ornet actus vita pura,
Propagetur jugi cura
Morum sanctimonia.

10a. Tu, qui servos Jesu Christi
Nova luce perfudisti
Nova donans munera,

10b. Nos transactos post labores
Inter vitae prossessores
Coelestis adnumera.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123.

35. In Festo Pentecostes.

1a. Lux insignis,
Ardens ignis,
Jesu Christi spiritus,

1b. Peccatorum
Qui cunctorum
Exsistis paraclitus.

2a. Summa exstas essentia,
Nam, ut credit ecclesia,
Deus es et spiritus:

2b. Deus propter unitatem,
Flamen propter trinitatem
Coaequalem poenitus.

3a. Tu creator non creatus
Es nec pater neque natus,
Sed procedens spiritus;

3b. Ab utroqae tu procedis
Et a nullo tu recedis
Nec es ulli subditus.

4a. Par utrique potestate
Et ubique majestate
Es complendo omnia;

4b. Tu persona trinitatis,
Quae das dona unitatis
Cum omnipotentia.

5a. Tu amor es et pietas
Et est tua proprietas,
Virtutum dare genera;

5b. In te subsistunt omnia,
Per te solvuntur noxia
Pacisque constant foedera.

6a. Tu divina
Disciplina,
Columbina
Tu doctrina
Ignisque es et unctio;

6b. Quos vis, pungis,
Quos vis, ungis
Et compungis,
Quos perungis,
Sic per te fit salvatio.

7a. Nunc, spiritus
Alme, veni
Et funditus
Cuncta leni
Nobis adversantia;

7b. Et qui donis
Es septenus,
Fac ut bonis
Tuis plenus
Sit grex tuus, Alleluja.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123.

36. In Festo Pentecostes.

1a. Hodierna die clara
Incolatus nostri ara
Immoletur hostia,

1b. Quinquagena lux venerat,
Qua Aegyptum exierat
Fugiens saevitia

2a. Pharaonis grex fidelis,
Opem adepta e caelis,
Cum transiret maria.

2b. Montis Sina ad radices
Suas demittunt cervices
Trahentes suspiria,

3a. Sonant voce tonitrua,
Crebra mittuntur fulgura,
Turba pavet nescia,

3b. Quid protendat miraculum,
Quod agit ante populum
Spiritus praesentia.

4a. Lex caritatis traditur
Et Moyses imbuitur
Divina scientia;

4b. Sic hodie apostolis,
Multis datur Christicolis
De supernis gratia.

5a. Linguas ignis adspiciunt,
Dona mira percipiunt,
Corda sunt ardentia.

5b. Amor patris et filii,
Veri dator consilii,
Septiformis gratia,

6a. Praesentibus infunditur,
Fortitudo tribuitur,
Caritas, clementia;

6b. Suavitas et bonitas,
Intellectus, jucunditas,
Dona sunt insignia.

7a. Resurrexit et ascendit,
Pro injustis qui descendit,
Suis donans talia;

7b. Dono tali profecerunt,
Qui capere meruerunt
Spiritus solatia.

8a. Hujus diei carmina
Nulla comprendit pagina
Laudis excellentia;

8b. Verax sine fallacia,
Felix sine miseria
Bona praestans dulcia.

9a. Servos Jesu nos custodi,
Doce, rege et exaudi
De precum instantia;

9b. Qui culparum es venia,
Vera nobis da gaudia
In aevum manentia;

10a. Ut quae tua processio
Sit de patre et filio,
Norit amicitia.

10b. Hoc tua praestet gratia,
Quae cunctis erit omnia
In aeterna gloria.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. — 8b, 3 praestans divina Hs.

37. **Dominica post Octavam Pentecostes.**

1. Voce jubilantes magna

2a. Regi summo devote
per saecula

2b. Personemus maxima
laudum vota.

3a. Coelum, sidera,
luna, sol et omnia
aethera,

3b. Tellus, aera,
mare, ignis, fontesque
(et) flumina,

4a. Omnis creatura
concelebrare
non desinit

4b. Laude continua tis
cuncta, creator,
magnalia.

5a. Majestas
cujus et unica
decenter
in patris gloria.

5b. Quem laudant
superna jugiter
agmina
voce dulcisona.

6a. Cui proclamant:
sanctus, sanctus, sanctus,
Deus, Hosanna.

6b. Quem decet omnis
laus, honor et virtus,
salus (et) gloria.

7a. Aurem tuam
nobis inclina,

7b. Supplicibus
veniam dona,

8. Ut te collaudemus
in saecula.

Miss. ms. Whitbiense saec. 14. Cod. Oxoniens. Miscell. Liturg. 390.

38. De Ascensione DN.

1a. Sursum sonet laudis melos,
Rex virtutum scandit caelos
Coelesti potentia,

1b. Hoste nostro triumphato
Et inferno spoliato
Scandit cum victoria.

2a. Lauda, coelum, et congaude,
Redemptori nostro plaude
Jubilo laetitiae,

2b. Para thronos principales,
Leva portas aeternales,
Ut intret rex gloriae.

3a. Quis est iste gloriosus,
Sua forma speciosus
Mira pulchritudine?

3b. Hic est rerum procurator,
Adae lapsi reparator
Gratuito munere.

4a. Quid est istud, quo vestitur,
Cur majestas operitur,
Quae non eget tegmine?

4b. Haec est vestis illa pia,
Caro sumpta de Maria
Sine viri semine.

5a. Cur est vestis laeerata
Et hinc inde concavata,
Quasi tincta sanguine?

5b. Hae sunt plagae, quas portavit,
Hic est sanguis, qui manavit,
Moriens pro homine.

6a. Quis tam magnus comitatus,
Tam solemnis apparatus,
Quo procedit rex vallatus
Tanta multitudine?

6b. Hae sunt animae beatae,
De inferno liberatae,
Quae fuerunt captivatae
Parentali crimine.

7a. Ergo cantent in hac die
Tres coelestes hierarchiae
Nato virginis Mariae
Laudes et praeconia,

7b. Qui naturam conjugatam,
Sua morte reparatam,
Quasi sponsam adornatam
Transduxit ad propria.

Miss. Zagrabiense imp. Venetiis 1511. A. — Miss. ms. Praedicatorum imp. Venetiis 1523. B. — Im ersteren Texte, der der ursprünglichere zu sein scheint, fehlt Str. 3b, die hier aus B ergänzt ist; leider beweist 3b, 3, dafs an der Strophe in B geändert worden. Letzteres bietet einen erweiterten, nach Inhalt und Form verschlechterten Text mit folgenden Varianten: 1a, 3 Sublimi potentia. — 1b. Totus coeli potentatus Exit illi laureatus Summa cum laetitia.

2a. Jubilant et admirantur,
Laude simul jucundantur
Circa haec magnalia;

2b. In dulcores sonant voces,
Distinguuntur per cohortes
Astra coeli fulgida.

3a. In amorem exardescunt,
Quaerunt sic et expavescunt,
Et respondent, qui cognoscunt
Jesu mirabilia.

3b. Quis est iste gloriosus,
Sua forma speciosus,
Tamquam rex victoriosus
Tanto fulgens lumine?

Nun folgt ohne Gegenstrophe 3b des Textes, dann 4a und 4b ohne Variante. — 5a, 2 inde rubricata. — 5b, 1 portavi. — 5b, 2 manavi, beides Korrekturen wegen des folgenden moriens. — 6a, 1 Quis est iste. — 6a, 2 Tam sublimis. — 6a, 3 praecellit. — 6a, 4 Quasi cinctus agmine. — 6b, 4 Pro parentum crimine. — Dann:

7a. Ergo cantent in hac die
Tes coelestes hierarchiae
Nato virginis Mariae
Laudes et praeconia,

7b. Qui moriens hostem stravit
Et infernum spoliavit
Et de morte triumphavit
Resurgens cum gloria.

8a. Sic naturam reparavit
Et ruinas restauravit,
Nobis sanctos sociavit
Aequa dans fastigia.

8b. Nunc ascendit sic patenter,
Coelos penetrat potenter
Et transcendit excellenter
Omnium cacumina.

9a. Pater stringit, amplexatur
Unigenitum, affatur,
In quo solo jucundatur,
Cui dedit omnia.

9b. In dextra jam patris sedet,
Unde sanctas mentes replet
Et conformes sibi praebet
Tribuens charismata.

10. Rex benigne, nos conforta,
Semper tibi nos comporta,
In te ipsum nos transporta,
Qui adimples omnia.

39. De Ascensione DN.

1a. Sursum corda sublevemus
Et triumphum personemus
Salvatoris hodie,

1b. Quem coelestis hierarchia
Dulci laudat symphonia
Titulo victoriae.

2a. Nam infernus spoliatur,
Paradisus reseratur
Crucis cum victoria,

2b. Libertati captus datur,
Orbis terrae gratulatur,
Gaudet coeli curia.

3a. Victor surgit, animatur,
Planctus matris commutatur,
Conresurgunt omnia,

3b. Regi praeda copulatur,
Scandit coelos, exaltatur
In paterna gloria.

4a. O qui cantus angelorum,
Quae sunt festa supernorum
In coeli palatio,

4b. Quo regina, coeli porta,
Per quam mundo lux est orta,
Cernitur cum filio.

5a. Pie Jesu, forma mores,
Pelle pestes et errores,
Nos videre coeli flores
Da post haec exsilia.

5b. Dulcis Jesu, supplicamus,
Ut te laeti videamus,
Cum Maria gaudeamus
Et sanctis in patria.

Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572. Cod. Ambianens. 132. — Mel.: Lauda Sion, ausgewählte Choräle.

40. De Ascensione DN.

1a. Inferni fracto carcere
Surgens victor de funere
Christus, vita viventium,

1b. Vitae recludit limina,
Viae tollit discrimina,
Via Christus et ostium.

2a. Hac in die praecipue
Panduntur coeli januae,
Diriguntur itinera.

2b. Cum nostrae carnis portio
Ferente Dei filio
Levatur supra sidera.

3a. O beati discipuli,
Quorum merentur oculi
Videre vivum denuo,

3b. Videre sursum evehi,
Ut oculatae fidei
Radice stent perpetuo.

4a. Ut in fide firmissimi,
Spe concepta longanimi,
Quae sursum sunt, desiderent;

4b. Ut fidem et spem habitas
Concomitetur caritas,
Qua sine non proficerent.

5 a. Sic fundatur ecclesia,
Sic spondentur coelestia
Deorsum militantibus,

5 b. Sic angulari lapide
Tandem locato provide
Sit unum ex disparibus.

6 a. Christus lapis in angulo,
Qui ex utroque populo
Facit rem unam publicam,

6 b. Dum verbo carnem sociat,
Inter naturas mediat
Humanam et angelicam.

7 a. Jesu, qui tantae gloriae
Carnem assignas hodie,
Carnis honor et gloria,

7 b. Sic carnem doce conteri,
Quod tua non sit oneri
Secuturis vestigia.

Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572. Cod. Ambianens. 132.

41. De ss. Trinitate.

1 a. Te patrem ingenitum,
Te filium unigenitum,
Spiritum paraclitum,
Trinum unum dominum
Omnipotentissimum
Atque clemensissimum
Laudemus cum jubilo.

1 b. Ignis sancti spiritus
Inflammet nos divinitus,
Cor illustret coelitus
Natus Dei inclitus,
Patris virtus muniat
Intus et purificet,
Ut mens privetur nubilo.

2 a. Te, summa Deus trinitas,
Simplex una deitas,
Laudet omnis spiritus;
Coelum, terra, maria,
Poli luminaria,
Pennatorum genera
Tuas laudes intonant.

2 b. Te in arce coelica
Laudat vox angelica
Atque archangelica,
Supernorum agmina
Per distincta carmina,
Caritate flammea,
Hymnos dulces personant.

3 a. Viam pande miseris,
Triumphator nobilis,
Ut jungamur angelis
Absque naevi macula.

3 b. Vitam post hanc fragilem,
Mansionem stabilem,
Pacem ineffabilem
Da in coeli curia.

Miss. ms. Claustriburgense 958. saec. 15. — Mel. wohl Mundi renovatio.

42. De Corpore Christi.

Feria VI. infra Octavam.

1 a. Benedictus
Dei unigenitus
Sit quoque virginis genitus,
Formatus divinitus.

1 b. Verbum patris
Carnem matris assumpsit,
In qua Deus hominem sumpsit,
Per quam mortem consumpsit.

2 a. Hic in pabulum
Et in poculum
Se dat nobis in signaculum
Crucis salutiferae.

2 b. Panis in verum
Corpus et merum
In sanguinem transit verum
Divino sub opere.

3a. Assumendo non diffide,
Christum totum esse fide,
Vera tene et confide
In ejus praesentia,

3b. Ut errantem te reducat
Et viatorem te ducat,
Donec in coelum perducat
Ad ejus consortia.

Miss. Suessionense imp. Parisiis 1516.

43. De Corpore Christi.

Sabbato infra Octavam.

1a. Salve, vera salus mundi,
Per quam facti sumus mundi
A letali vitio;

1b. Salve, panis beatorum,
Cibus, potus viatorum
Veraque refectio.

2a. O quam mirum sacramentum,
Quo factum est alimentum
Hic, qui pascit omnia,

2b. Et quam profunda caritas,
Qua sua facit deitas
Omnia communia.

3a. Deus caput nostrae tribus,
Sanguis potus, caro cibus,
Coeli datur gaudium;

3b. Pellitur mors, vita datur,
Pace terra circumdatur,
Nam Christus in medium.

4a. Ergo surgamus ocius
Et purgemus attentius
Nostri cordis vasculum,

4b. Ut possimus suscipere,
Quod mundus nequit capere
Beatum hoc ferculum.

5a. Sic sumentes assumamur
Ab eo, ut uniamur
Membri sui corporis;

5b. Ut in fine coaequales
Sancti simus et sodales
Cum angelicis choris.

Miss. Suessionense imp. Parisiis 1516.

44. De Corpore Christi.

Dominica infra Octavam.

1a. Plebs fidelis, manus, corda
Munda sicque sursum corda
Ad Dominum,

1b. Qui te cibo panis veri
Pascit, qui manna veteri
Dat terminum.

2a. Hic panis est angelorum,
Vita viaque coelorum,
Animae refectio,
Per quem nobis adoptio
Datur Dei.

2b. Accedamus mundo corde,
Mente pura sine sorde,
Clara fide lucidi
Et caritate fervidi,
Fortes spei.

3a. Hoc est verum corpus Christi,
Sanguis merus, quibus tristi
Morte sumus liberati.

3b. Haec est nostra medicina,
Qua purgamur a sentina
Et ad divina signati

4. Simus Christo semper grati.

Miss. Suessionense imp. Parisiis 1516. — 2a, 4 Per quem. — 2b, 4 Et fehlt. — 3a, 2 quibus Christi. — 3b, 3 Et sumus ad divina.

45. De Corpore Christi.

Feria II. infra Octavam.

1a. In excelsis gloria
Ex Christi memoria
Sit, qui dat mysteria
Panis vitae.

1b. Hunc panem virgo tulit,
Potum natus obtulit,
Quem in sacra protulit
Crucis vite.

2a. Hic panis angelicus,
Potus evangelicus,
Dei quibus unicus
Nos reficit.

2b. Te proba, Christiane,
Qui frui vis hoc pane,
Nam fidem mentis sanae
Circumspicit.

3a. Cum concentu sensui
Non solum auditui,
Qui dat intellectui
Lumen verum.

3b. Quod sentis exterius,
Christus est interius
Et nil tenet verius
Cor sincerum.

4a. Corpus est, quod sumitur,
Et sanguis, qui bibitur,
Sub rebus his alitur
Vera fides.

4b. Purgatus omni sorde
Si sumas vero corde,
Caritate concorde,
Deum vides.

5a. Hic expellit inferos
Et ducit ad superos,
Consolatur miseros,
Fert virtutem.

5b. Dignis eum mentibus
Sumamus, ut coetibus
Nobis cum coelestibus
Det salutem.

Miss. Suessionense imp. Parisiis 1516. — 3a, 1 sq. ohne Sinn, verderbt. — 4b, 3 cum corde, ein sehr häufiger Schreibfehler in französischen Handschriften. — Mel. jedenfalls.: Laetetur ecclesia.

46. De Corpore Christi.

Feria III. infra Octavam.

1a. Tibi, Christe, splendor patris,
Filius intactae matris,
Honor sit et gloria,

1b. Qui corporis gloriosi
Sanguinisque pretiosi
Tui das mysteria.

2a. Pro fidei nutrimento
Et altaris sacramento
Tuum pascis populum.

2a. Sub tegmine specierum
Das in cibum corpus verum,
Sanguinem in poculum.

3a. Foris sensus hoc non sentit,
Sed pia mens huic asssentit
Et tenet veraciter,

3b. Quod hic verus homo manes,
Verus Deusque permanes
Regnans aeternaliter.

4a. Quem exspectamus venturum
Unicuique redditurum,
Quod gessit in opere,
Dum mansit in corpore,

4b. Nos sistentes tuae laudi,
Redemptor noster, exaudi,
Ut per haec mysteria
Nobis detur gloria.

Miss. Suessionense imp. Parisiis 1516. — 1b, 1 corpus. — 1b, 3 Cui das.

47. De Corpore Christi.

Feria IV. infra Octavam.

1 a. Hodiernae lux diei
Celebris in verbo Dei
Agitur memoria;

1 b. Decantemus in hac die
Sui corporis hostiae
Laudes et praeconia.

2 a. Omnis homo omni hora
Ipsum ora et implora
Ejus patrocinia,

2 b. Psalle, psalle nisu toto
Cordis voce, oris voto:
Ave, vera hostia.

3 a. Ecce panis angelorum,
Clavis David, quae coelorum
Patefacis ostia;

3 b. Fecundata modo miro
Matris fructu sine viro
Deitate socia.

4 a. Florens hortus gratiarum
Plenusque deliciarum,
Recta coelorum via,

4 b. Fusa coeli rore caro,
Riga nos cruore caro
Cum gratiae pluvia.

5 a. Salve, splendor firmamenti,
Tu caliginosae menti
Desuper irradia;

5 b. Placa mentes, salus mundi,
Ut tuam sumamus mundi
Coenam fide praevia.

Miss. Suessionense imp. Parisiis 1516. — 2 b, 2 Cordis votis ore voto. — 3 b, 1 mundo miro. — Die Mel. giebt 1, 1 an.

48. De Corpore Christi.

In Capite Octavarum.

1 a. Adoremus coeli regem,
Qui nos sicut pastor gregem
Cibo pascit coelico,

1 b. Nobis ex virgine natus
In redemptionem datus
Completo prophetico.

2 a. Conversatus in hoc mundo
Coenam de corpore mundo
Discipulis obtulit

2 b. Cibum, de sanguine potum
Propinavit, sic se totum
Escam illis protulit.

3 a. Sicque diebus singulis
In sacramento famulis
Carnem dat et sanguinem,

3 b. Ut sua passio cara
Suam in cordium ara
Imprimat imaginem.

4 a. Et per hanc ad se nos trahat
Et a mundo sic retrahat
Sequentes ejus viam;

4 b. Quam nobis donet sic sequi,
Ut mereamur assequi
Beatorum gloriam.

Miss. Suessionense imp. Parisiis 1516.

49. De Corpore Christi.

1 a. Participes sui facit

deitatis unio

1 b. Hos, qui digne sumunt Christum

vero sacrificio.

2 a. Celebratur in hac die
ejus institutio.

2 b. Exsultantes jubilemus
de tali convivio.

3a. Per quod digni habebimur
sanctorum consortio

3b. Et fruemur immortali
sempiterno gaudio.

4a. Ergo laudes Deo nostro
concinat haec concio

4b. Corde, voce si laudemus,
ejus magno praemio

5. Participamus.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. — Mel.: Sospitati dedit aegros.

50. De Corpore Christi.

1a. Laetabundus
Nunc cantet fidelis mundus
Alleluja.

1b. Qui immensam
Praeparavit nobis mensam,
Res miranda,

2a. Corpus suum praebuit
Ad vescendum, sic fluit
Sol de stella.

2b. Panis carne vertitur,
Ut in sacris legitur
Voce clara,

3a. Sic vinum in sanguine
Verbi modulamine
Pari forma.

3b. Nec sanguis in sumendo,
Caro nec in vescendo
Fit corrupta.

4a. Sic nos potat sanguine,
Sic nos pascit corpore
Valle nostra,

4b. Sic nos potu reficit
Ac repletos efficit
Carne sumpta.

5a. Ut in coena cecinit,
Fides nostra meminit,
Judaea non desinit
Esse caeca.

5b. Quo natura deficit,
Virtus verbi reficit,
Quae benigne perficit
Haec praedicta.

6a. Si corpus insigne
Sumpseris indigne,
Te ponis in igne,
Gens misera.

6b. Pater, accelera,
Da salutifera,
Jesum, quem genuit
puerpera.

Miss. ms. Pictavense saec. 15 in. Cod. Pictavens. 43. — Mel.: Laetabundus.

51. De Corpore Christi.

1a. Laetabundus
Decantet homo devotus,
Alleluja,

1b. Christi corpus,
In quod panis transit totus,
Res miranda.

2a. Sic clementer allicit
Et natos nos reficit,
Sol de stella.

2b. Corda summe perficit,
Confortat et reficit
Semper clara.

3a. Per hunc culpae pereunt
Et daemones exeunt
Pari forma.

3b. Hanc virtutem nequeunt
Ferre sed mox abeunt
Haec corrupta.

4a. Sub hac forma visitat
Justos et inhabitat
Valle nostra.

4b. In hac fide cespitat,
Qui mundana cogitat
Carne sumpta.

5a. Sed fides ingreditur,
Caritas amplectitur,
Ratio convincitur
Esse caeca.

5b. Nec naturae studio,
Nec artis ingenio,
Sed Deo stant medio
Haec praedicta.

6a. Christi mysteria,
Vim et magnalia
Cur non metuit
gens misera?

6b. Panis substantia
Non est in hostia
Sed quem genuit
puerpera.

Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572. Cod. Ambianens. 132. — Mel.: Laetabundus.

52. De Corpore Christi.

1a. Gaude, Sion, et laetare,
Leva vocem, cor mundare,
Dum parantur ad altare
Dei sacrificia.

1b. Genitori jubilemus,
Sanctum pneuma praedicemus,
Gratia quorum habemus
Christum in praesentia.

2a. In deserto manna pluit,
Quod velut rosa paruit
Et nutrimentum praebuit
Lapsis in penuria.

2b. Istud manna Christus fuit,
Quem virgo pura genuit,
Mundo vitam restituit
Vera factus hostia.

3a. Seipsum suis tradidit
Christusque morti subdidit,
Ne perderet, quos condidit,
Facta sunt haec omnia.

3b. Praedicemus ergo natum,
Ut per ipsum nobis datum
Sit cunctis regnum paratum
In coelesti patria.

Brev. ms. Fiscanense saec. 14. Cod. Rotomagens. 205. — Officium und Messe de Corpore Christi zugeschrieben saec. 14. — Mel. wohl: Verbum bonum.

53. De Transfiguratione DN.

1a. Nos toto conamine
Jesum decet carmine
Ex sua dulcedine
Venerari.

1b. Qui manente homine
In montis cacumine
Voluit clandestine
Transformari

2a. Coram tribus testibus
In carne viventibus
In candidis vestibus
Claro vultu,

2b. Et duobus vatibus
Illis apparentibus,
Hinc et inde stantibus
Miro cultu.

3a. Nube tectis modica
Vox patris deifica
Tonuit terrifica
Dicens rite:

3b. Hic filius, coelica
Lux, mundi spes unica,
Plenus est theorica,
Hunc audite.

4a. Nolite pavescere,
Hanc, donec a funere
Surgam, glisco condere
Visionem.

4b. Discatis hoc opere
Jactantiam fugere,
Hanc volo vos discere
Lectionem.

5a. Nam coelesti patria,
Quae gustastis, dulcia
Humilibus gaudia
Volo dari.

5b. Jesu, nos fac gratia
Humiles, ut propria
Queamus in gloria
His cibari.

Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572. Cod. Ambianens. 132. — Mel. = Laetetur ecclesia.

54. De omnibus festis DN.

1. Virginali thalamo
Dum processit filius,
Unde nos redimeret,
non habebat melius.

2a. Leges occultaverat
atque vaticinia,
Tandem patefieri
volens evangelia.

2b. Dat salutem languidis,
dat pacem et gaudia,
Quorum ad interitus
patebant suspiria.

3a. Vagit infans
artus in cunabulo,
Parvo lactis
satiatus pabulo.

3b. Super astra
regnat in coelestibus,
Qui dat escam
bestiis et avibus.

4a. Mundus intrat lavacrum,
Destruxit simulacrum,

4b. Per aquam et spiritum
Signat item genitum.

5a. Planum iter et acceptum
Tendens vadit in desertum,

5b. Hic tentatur, ne tentemur,
Sed a malis liberemur.

6a. Quoscunque terra parturit,
Fons, panis sitit, esurit,
Nec corporis edulium
Sed salutem fidelium.

6b. Traditus a discipulo
Capi, ligari vinculo,
Nec flagellari renuit,
Qui mori sponte voluit.

7a. Christi resurrectio,
Ad coelos ascensio,
Pia consolatio,

7b. Fit nostra redemptio,
Salus et protectio,
Pax et reparatio.

8a. Per fraudis osculum
Et fellis poculum
Redemit saeculum,

8b. Nos ergo sedulum
Canamus modulum
Sed non ad oculum.

9a. Sequens historia
Narrat haec omnia
Per evangelia,

9b. Nos ergo mutua
Dantes tripudia
Psallamus eia.

Miss. ms. S. Johannis Ambianens. saec. 15. Cod. Ambianens. 163. A. — Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572. Cod. Ambianens. 132. B. — 2a, 1 occuluerat B.

55. In Dedicatione Ecclesiae.

1a. Virginis matris annua
ecclesiae solemnia

1b. Virginis prolis integra
magnificent praecordia,

2a. Quam parit assidua
divinitatis gratia

2b. Haud quaquam serpentina
corrumpendam astutia.

3a. Hanc mundi vernantia
designavere primordia,

3b. Cum ex dormiente Adam
Deus formavit feminam.

4a. Hujus insignis gratia
olim praenotata
est in arca,

4b. Ad quam pacis olivam
columba detulit
ad vesperam.

5a. Huic veniens de Saba
mystice
conformatur regina,

5b. Quam sapientiae avidam
Salomon
reliquit stupidam.

6a. Tali signorum figura
mundo coelitus emissa

6b. Deus, qui fecit omnia,
natus carne virginea,

7a. Dilexit hanc
sua misericordia

7b. Et salvavit
bonitate gratuita,

8a. Mundans eam
sanguinis et sacri fontis
gratia,

8b. Ornans eam
fide, spe et caritate
gemina.

9a. Ut posset sine macula
illi aptari sponsa,

9b. Qui prae filiis hominum
est speciosus forma.

10a. Rex Christe, protege in terra,
quos adhuc gemens tua
parit sponsa,

10b. Et defunctos eo subleva,
qua ad dexteram stabit
haec regina,

11a. Ut sit audire cum illa:
Audi et vide, filia,

11b. Deum in sua gloria
per infinita saecula.

Cod. Oxoniens. Bodl. 572 add. saec. $^{11}/_{12}$. — 6a, 2 amissa.

56. In Dedicatione Ecclesiae.

1. Altissime Jesu Christe,
qui dignatus es munda

2a. Ex virgine Maria
carnem nostram
sumere immaculatam,

2b. Tu per feminam renovas
carnem nostram,
quae perierat per Evam.

3a. Tu nostra visitasti
infirma,
ut infirmas
sanus curares animas.

3b. Nam quamquam in humana
natura
apparebas,
tamen carebas macula.

4a. Tu nostri miserans
de superna
existi patria,
appetisti nostra.

4b. Caritate tua
nimis cara
tu nos dilexeras
ante omnia.

5a. Ergo tua
jugiter regnat
altissima divinitas;

5b. Servi formam
tu non dedignans
jungis tibi ecclesiam.

6a. O quis jam tanta
digna et pia
pietatis viscera,

6b. Has pie cantat
nunc ecclesia,
odas jugiter tuas

7a. Jubilans propter magna
dilectionis dona,
qua tu nos dilexeras,
nos tuum plasma,

7b. In tantum, ut pro nostra
tu morereris vita,
et reduceret vitam
mors, Christe, tua.

8a. Gaudet ecclesia
pia promere cantica

8b. Seque mundissimam
praebere studet hostiam.

9a. Dum mortificat
mala vitia,
gloriam
dum desiderat
mori propter tuam.

9b. Illam tu serva,
tu laetifica;
haec tua
dicitur sponsa
sanguine quaesita.

10a. Haec sacrata aula
dicitur ecclesia;

10b. Tu in illa bona
precantes exaudias.

11a. Quam protegas,
expostulant
praesentia
carmina,

11b. Ad gloriam,
Christe, tuam
per omnia
saecula,

12. Ut eis aeternam
dones vitam.

Trop. ms. Cameracense saec. 10/11. Cod. Cameracens. 79. A. — Trop. ms. Cameracense saec. 11/12. Cod. Cameracens. 61. B. — Eine Silbe Überschuß in **2**b, **1** und **4**a, **4**; durchgeführte Endassonanz in a.

57. In Dedicatione Ecclesiae.

In Octava.

1a. O felices et beati
Septies examinati,
Qui ad hujus sunt vocati
Festa domus.

1b. Haec est, inquam, domus illa,
Cujus opes et vexilla
Admiratrix est Sibylla,
Magna vates.

2a. Haec gyrando regionem
Dum adivit Salomonem,
Parvipendet Babylonem,
De qua venit.

2b. Aurum, gemmas et argentum
Per millenas vices centum
Defert gazas in augmentum
Sapienti.

3a. Et nos idem faciamus,
Sic confusa deseramus,
Ut ad pacem veniamus
Duce Christo.

4a. Hierusalem Salomonis
Et Sibylla Babylonis
Adhuc suis certant donis,
Quod sit majus.

3b. Incedamus iter amplum,
Hanc sequamur ad exemplum
Ut possimus esse templum
Dei vivi.

4b. Non est nostrum objurgare —
Plaudat coelum, terra, mare —
At nos eis congaudere
In aeternum.

Grad. ms. Marchianense saec. 14. Cod. Duacens. 114. A. — Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 123. B. — Mis. ms. Marchianense saec. 16. Cod. Duacens. 89. C. — Miss. Suessionense imp. Parisiis 1516. D. — 1 b, 3 erwartet man admirata est; die obige Konstruktion ist indes im Mittellateinischen nicht vereinzelt. — 4b, 3 Et nos eis AC.

58. In Dedicatione Ecclesiae

Cameracensis.

1a. Grato solve, plebs fidelis,
Vota, voces, carmina
In hac die, cum de caelis
Clara speras agmina

2a. Pete, lauda, contemplare,
Infer te coelestibus,
Urbem sanctam contestare,
Dignis claram civibus.

3a. Quo superni sponsa regis
Sion sponso fruitur
Et arcanis suae legis
Jugiter imbuitur.

4a. Hujus memor civitatis
Templum hoc ingredere
Et profanis abdicatis
Vitae callem sequere.

5a. Quibus dicata patronis
Domus ista jubilat,
Corde, psalmis rite bonis
Melos dulce personat.

1b. Aedem sacram contueri
Benignis auspiciis,
Quam laetaris confoveri
Mysticis initiis.

2b. Cernes illic, quam miranda
Civium est unitas,
Amor, quies, pax optanda,
Felix est suavitas.

3b. Abest moeror, procul dolor,
Nulla sunt dissidia,
Incolarum unus color,
Votorum concordia.

4b. Te juvabit Sunanitis
Coeli regem proferens
Et Johannes, praeco mitis,
Christum sibi praeferens.

5b. Summe Deus, poli rector,
Templum, plebem respice,
Pius nobis sis protector,
In coelis nos refice.

Miss. ms. Cameracense saec. 15. Cod. Cameracens. 179.

59. In Dedicatione Ecclesiae

Suessionensis.

1a. Juncta mente vocibus
Chorus iste cantibus
Persolvat praeconium,

1b. Omnis coetus cordibus
Lustratis criminibus
Dulce promat gaudium.

2a. Hac sacra basilica
Collaudatur coelica
Et perennis concio,

2b. Aula fit haec mystica
Infirmorum medica,
Lapsis consolatio.

3a. Non pretium suscipit
Pro sacris sed recipit
Vota cum virtutibus,

3b. Nullus eam decipit,
Sed seipsum inficit,
Qui hanc vendit opibus.

4a. Ejus pane vescitur,
Quisquis ibi patitur
Pro Christo supplicium,

4b. Scala Jacob dicitur,
Qua spiritus vehitur
Ad coeli fastigium.

5a. Militemus jugiter
Certantes viriliter
Contra mundi vitia,

5b. Leti ut salubriter
Consequamur pariter
Celsa coeli praemia.

Miss. Suessionense imp. Parisiis 1516. A. — Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572 Cod. Ambianens. 132. B. — „Sequens prosa dicitur in capite octabarum dedicationis ecclesie Suessionens. In qua per primas litteras versuum nomen episcopi, qui eam dedicavit, insinuatur: Johannes Mileti." A. Johannes Millet war Bischof von Soissons von 1443 bis 1503. „Ecclesiam cathedralem praesentibus plurimis dioeseos abbatibus dedicavit 25. Aprilis 1479" (Gallia Christiana IX (1751) p. 375. Damit ist die Abfassungszeit der Sequenz gegeben. — Mel.: Lucis orto sidere B.

60. In Dedicatione Ecclesiae.

1a. Templum cordis expiemus,
Nos qui templi recensemus
Praesentis encennia,

1b. Laus vocalis extra sordet,
Si cor intus non concordet
Carens immunditia.

2a. Constans tabernaculum
Lignis et lapidibus
Ejus est signaculum,
Quod constat fidelibus.

2b. Mentis receptaculum
Ornemus virtutibus
Ut sit habitaculum
Dei cum hominibus.

3a. Hoc est templum Dei carum,
Quo dispensat gratiarum
Dona deposcentibus,

3b. Hujus templi fundamentum,
Murus est et complementum,
Qui esse dat omnibus.

4a. Vide templum Salomonis,
Plus virtutum clarens donis
Quam structurae pretio,

4b. Hic exaudit Deus justos,
Arcet lupos gregis custos
Ab hoc domicilio.

5a. Jesu, noster salutaris,
Templi lapis angularis,
Discordes confoedera,

5b. Qui das templo sanctitatem
Nos per vitae puritatem
Perducas ad supera.

Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572. Cod. Ambianens. 132. A. — Miss. Suessionense imp. Parisiis 1516. B — Die Mel. in A besteht aus einzelnen Chorälen des Laudes crucis.

61. In Dedicatione Ecclesiae.

1a. Sponsa sponso desponsatur,
Quando Christo dedicatur
In terris ecclesia,

1b. Quae diversis sub figuris
Designatur in scripturis
Secundum mysteria:

2a. Arca Noe fabricatur,
Extra quam nemo salvatur
Sed perit diluvio;

2b. Regi David sociatur
Abysag, ut foveatur
Rex in ejus gremio.

3a. A Jacob scala cernitur
Tangens coelum nec spernitur
Sed lapis inungitur;

3b. Salomon aedificavit
Templum atque dedicavit
Domino ut legitur.

4a. Haec signant sub velamine
Mente mundam a crimine
Sponso nuptam gloriae,

4b. Cujus mira dulcedine
Perfruamur cum agmine
Triumphantis curiae.

Miss. ms. Romano-Franciscan. saec. 15. Cod. Londinens. Harl. 2967.

62. In Susceptione Reliquiarum.

1a. Ad honorem summi regis
Excitetur nostri gregis
Jucunda laudatio,

1b. Surge, surge, plebs devota,
Redde Deo nova vota,
Civitas Suessio.

2a. Christus quondam te Crispino
Decoravit et Rufino
Cum amborum fratribus,

2b. Novos patres mittens rursum,
Reparare tuae cursum
Vitae suis precibus.

3a. Sanctis semper grates age,
Qui te prima sua strage
Erexerunt in compage
Corporis ecclesiae.

3b. Factam extra sortem mortis
Te consortem suae sortis
Adduxerunt vitae portis
Et ad portum gratiae.

4a. Venerare voto pari
Patres, per quos visitari
Te recenter conspicis,

4b. Ipsos voce si commendas
Et si mentis mundes mendas,
Dulce carmen conficis.

5a. Venerare lignum crucis
Veterisque virgam ducis,
Insignem miraculis,

5b. Haec in mari viam stravit,
Illud novis demonstravit
Viam vitae populis.

6a. Virga vetus signis splendet,
Sed te nova totum pendet
Salutis negotium;

6b. Quidquid illa signis signat,
Haec exponit et assignat
Signorum mysterium.

7a. His duobus fulta signis
Et signis insignibus
Insignitur urbs insignis,
Nullis impar urbibus.

7b. Huc accedit, quod sanctorum
Praedita reliquiis
Romanorum et Graecorum
Se confert ecclesiis.

8a. Petro suo Roma gaudet,
Sed nec nostra minus audet
Gaudere Suessio;

8b. Gaudet enim tui, Christe,
Praecursoris et baptistae
Capite cum brachio.

9a. Paulo suo gaudet Roma,
Ista suo gaudet Thoma,
Cujus fulget vertice;

9b. Sed gaudendum plus est ei
Pro digito nostrae spei
Et salutis indice.

10a. Piae vocis organum
Sanctum sonet Stephanum,
Primus qui per clibanum
Passionis transiit.

10b. Martyr tanto clarior
Et in regno celsior,
Quo post suum proprior
Regem miles abiit.

11a. Veneremur et Thaddaeum,
Per quem nobis apud Deum
Grandis est fiducia,

11b. Et te, Marce, teque, Blavi,
Prosequamur cum suavi
Vocum consonantia.

12a. Nostri servant coenobitae
Caput Areopagitae,
Qui adeptus lumen vitae
Per doctorem gentium

12b. Et rimatus coeli vias
Erudivit mentes pias,
Cum distinxit hierarchias
Supernorum civium.

13a. Decus implet laudis hujus
Virgo mater, partus cujus
Jucundavit saeculum,

13b. Cujus peplo gloriamur,
Cujus laeti veneramur
Calceum, lac, cingulum.

14a. Gratulare tantis bonis,
Tota plebs Suessionis,
Dona domni Nivellonis
Servans cum laetitia.

14b. Pro mercede tanti dati
Die cursus consummati
Memoretur memorati
Praesulis ecclesia.

15a. In hoc simus ei grati,
Quod divinae pietati,
Supplicemus seduli,

15b. Ut eum suo pastor grege
Cum pastorum vivat rege
In saeculum saeculi.

16. Amen dicant singuli.

Miss. Suessionense imp. Parisiis 1516. „Dominica prima post festum beati Dionysii celebratur festum de Susceptione reliquiarum a Constantinopolitana urbe allatarum.“ — Nivello I hatte den Stuhl von Soissons inne von 1176 bis 1207, nahm 1202 das Kreuz, erhielt 1205 das Bistum Thessalonich und kehrte in demselben Jahre nach Gefangennahme Balduins von Flandern, Kaisers von Konstantinopel, Hülfe suchend ins Abendland zurück, reich beladen mit Reliquien aller Art. Auf der Rückkehr ins Morgenland starb er in Apulien den 14. September 1207. Unsere Sequenz ist daher aus dem Anfange des 13. Jahrh., vermutlich aus dem Jahre 1207.

63. De sanctis Reliquiis.

1a. Coeli regem veneremur
Et reginam deprecemur
Devotis affectibus,

1b. Matris natique capilli,
Hi tracti, suaves illi,
Nos ornent virtutibus.

2a. Lac virginis eximiae,
Panniculi infantiae.
Linteus pedes lavantis,

2b. Praesepe regis humilis,
Tunica inconsutilis
Cor veri probant amantis.

3a. Columna, quae erigitur,
Vincula, quibus stringitur,
Nos solvant nexu criminum.

3b. Flagella cum purpurea
Veste, corona spinea
Medela peccaminum.

4a. Sceptrum, crux, clavus, spongia,
Ferrum lanceae, copia
Tam pretiosi cruoris,

4b. Sudarium et sepulchrum,
Corpus condens Christi pulchrum,
Nos servent omnibus horis.

5a. Tabellum digni tituli,
Sanguis veri miraculi
Mentes in fide confirment;

5b. Valor Moysi virgulae
Et mandatorum tabulae
Concorditer haec affirment.

6a. Dignus Dei baptista
Et sacer evangelista,
Re clari et nomine,

6b. Petrus et Paulus socii
Nobis adsint propitii
Extremo examine.

7a. Andreae, Bartholomaei
Et Jacobi Zebedaei
Nos commendet memoria;

7b. Thomae, Jacobi Alphaei,
Philippi, Lucae, Matthaei
Nobis adsint suffragia.

8a. Stephanus, Dionysius,
Georgius, Mauritius
Nostri sint intercessores;

8b. Laurentius, Vincentius,
Lucianus, Eutropius
Assidui protectores.

9a. Clemens, Cosmas, Damianus,
Quintinus, Maximianus
Curent in nobis morbida;

9b. Nicasius, Cornelius,
Christophorus et Blasius
Succurrant prece fervidi.

10a. Gereon, Leodegarium,
Crispinum, Exsuperium
Suppliciter invocemus;

10b. Hippolytum et Vitalem
Victoremque triumphalem
Sublimiter commendemus.

11a. Panthaleonem credimus,
Petrum martyrem novimus
Passos pro Christo dira,

11b. Et Candidum purpuratum
Ac Innocentium statum
In hac vincendi lyra.

12a. Sic Martinus Turoniae,
Ludovicus rex Franciae
Nos juvent vice sedula;

12b. Ludovici, Marsiliae
Civis, clarent quotidie
Toti orbi miracula.

13a. Augustinus, Julianus,
Hieronymus et Germanus
De moribus nos informent;

13b. Franciscus, vir Seraphicus,
Et beatus Dominicus
In crucifixum transforment.

14a. Odoneus, Eligius,
Anianus, Maglorius
Cum benedicto Ivone;

14b. Marcellus et Hilarius,
Germanus et Sulpicius
Nos salvent cum Simeone.

15a. O beata Magdalena,
Amore Domini plena,
Tu forma poenitentiae,

15b. Anna cum nata virgine,
Tui fructus precamine,
Sic advocata gratiae.

16a. Elisabeth, Margaretam,
Agatham, Barbam, Agnetem
Extollamus praeconiis;

16b. Virginis Christi, Luciae,
Helenae et Caeciliae
Juvemur patrociniis.

17a. Martha, Dei hospitissa,
Per te nobis sint dimissa
Cuncta, quae male gessimus;

17b. Sponsa Christi, Katharina,
Virgo martyr et regina,
Doctrix, duc nos, quo tendimus.

18a. Ut per festa, quae agimus,
Et sanctos, quos requirimus,
Quorum sunt hic reliquiae,

18b. Te, Christum, quem hic quaerimus,
Possideamus, quo imus,
In sempiterna requie.

Miss. ms. Franciscano-Romanum saec. 15. Cod. Tolosan. 102. — 12a, 1 Turone. — 12b, 1 Ludovicus. — 12b, 2 claret. — 14b, 1 Sermerus et. — 14b, 2 et Suplius. — 16a, 2 Barba statt Barbara, Gallicismus von Ste. Barbe.

64. In festo ss. Reliquiarum.

1a. Gaude Lucionium,
Lux locorum omnium,
Quibus coronaris,
Castrum situ nobile,
Tanto plus laudabile,
Quanto plus laudaris.

1b. Vir praeclari nominis
Cum paterni seminis
Ex successione
Rexisset imperium,
Sed contraxit vitium
Ex occasione.

2a. Iste fuit Lucius
Primus regis filius
Urbis Constantini,
Qui pro fratricidio
Datus est exsilio
Gurgitis marini.

2b. Relinquenti patriam
Per patris industriam
Navis praeparatur,
Quae tam victualibus
Quam multis pignoribus
Sanctorum ditatur.

3a. Assignatur exsuli
Juxta fastum saeculi
Copia servorum,
Et ut nil deficiat,
Quae Deo deserviat,
Turba clericorum.

3b. Luget pater filium
Passurum exsilium
Sub Dei tutela,
Hunc commendat precibus,
Navis datur fluctibus,
Ventis dantur vela.

4a. Navis sulcat aequora
Sacra portans pignora,
De quorum confidit
Lucius auxilio
Tutus a naufragio,
Sic Deus providit.

4b. Navem Deus dirigit,
Unde tamen contigit
Sors mirandae rei,
Portum navis tenuit,
Cui nomen habuit
Fracta, nutu Dei.

5a. Nomen portus dicitur
Fractus et elicitur
A navis fractura,
Ut tradit historia,
Quam digna memoria
Reservat scriptura.

5b. Rem contemplans tacitus
Procuratam coelitus
Lucius notavit,
Ad thesaurum nobilem
Deponendum habilem
Locum designavit.

6a. Aquas dulces transiit,
Terram tangens exiit
Non linquens thesaurum,
Qui vero naufragio
Sui beneficio
Vincit gemmas, aurum.

6b. Loci situs placuit,
Loco nomen praebuit
De suo formatum,
Nomen sapit Lucii
Nomen Lucionii
Recte derivatum.

7a. Constructam basilicam
Per virtutem deicam
Dei genitrici
Stabilivit Lucius,
Ut vincat securius
Fraudes inimici.

7b. Et quod bene congruit
Personas instituit
Moribus maturas,
Quas secum adduxerat,
In templo, quod fecerat
Deo servituras.

8a. Sed post casu flebili
Praevalente crudeli
Gente Normannorum
In nostrum dispendium
Ditavit Trenorchium
Magna pars sacrorum.

8b. Illa tamen portio,
Quae Dei subsidio
Fuit reservata,
Refulget miraculis,
Quae sunt claris titulis
Saepe divulgata.

9a. Ut sacris praesentibus
Adversis gentilibus
Laus et honor detur,
Haec dies laudiflua,
Dum recurrit annua,
Celebris habetur

9b. Ergo vocis sobriae
Praesentes reliquiae
Laude commendate,
Christo, regi gloriae,
Nos commendent hodie
Sua sanctitate.

Miss. Pictaviense imp. Parisiis 1541. — 1a, 1 Lucionum. — 1b, 2 Cum fehlt. — 6a, 5 Seu beneficio. — 9a, 2 gentibus. — Über die hier erzählte sagenhafte Gründung der Abtei (später Bistum) von Luçon habe ich Genaueres nicht zu finden vermocht; Mabillon, Annales I, 567 „. . . praeter Gemeticense, Herense et Quinciacense etiam coenobium Lucionense sanctae Mariae in Pictonibus, cujus originem Lucio cuidam imperiali tribuit chronographus Malliacensis rexisse fertur“ (Philibertus). Nicht mehr weiſs die Gallia Christiana II, 1404, die doch sonst ausführlich zu sein pflegt.

65. In Commemoratione Defunctorum.

1. Pro cunctis fidelibus
In te quiescentibus
Te precamur, Domine,

2a. Ut eorum animas
A tormentis adimas
Emptas tuo sanguine.

2b. Miserere miseris,
Dum judex adveneris
Stricto sub examine.

3a. Non secundum merita
Judices praeterita,
Sed da locum veniae.

3b. Plus est necessaria
Reis indulgentia
Quam rigor justitiae.

4 a. Sicut cervus properat
Et fontes desiderat,
Dum eum exasperat
Metus mortis anxiae,

4 b. Sic anima cupiens
Tendit ad te sitiens,
Qui es indeficiens
Fons misericordiae.

5 a. Hujus rivi
Fontis vivi
Nos fecundent
Et emundent
A peccati sanie,

5 b. Ut peccatis
Expurgatis
Nos absolvat
Nec revolvat,
Quae gesta sunt impie.

6 a. Jesu, qui es salutaris
Et salvator nuncuparis,
Cui miserere proprium,
Exple tuum officium.

6 b. Miseris propitieris
Nec peccata recorderis,
Nec inde redde mutuum
Sed dele in perpetuum.

7 a. Sint peccata
Condonata,
Et reatus
Sit mundatus
Tua, Christe, gratia,

7 b. Ut antiquus
Inimicus
Confundatur
Et vincatur
Data reis venia.

8 a. In tremenda die irae
Non permittas nos perire,
Sed defunctis
Vitae cunctis
Des aeterna gaudia.

8 b. Sancti Dei, subvenite,
Regni portas aperite,
Ut intremus
Et regnemus
Vobiscum in gloria.

Miss. ms. Ebroicense saec. 13. Cod. Rotomagens. 305 add. saec. 15. — Mel.: Mane prima Sabbati.

66. In Commemoratione Mortuorum.

1 a. De profundis
ad te clamantium,
Pie Deus,
exaudi gemitum
Nec mensuram
observes criminum,
Ut perferri
possit judicium,
Pie Deus.

1 b. Consolator
dolentis animae
Ac moestorum
vere paraclite,
Quod promittis
et ex hoc nomine,
Ne differas
implere, Domine
pie Deus.

2 a. Jesu bone,
comple quod dixeras,
Ne sit in te
vox cassa nominis,
Te praesertim
cum ipse dixeris
Pro salvandis
venisse miseris,
Jesu bone.

2 b. Fletu Petri
trina negatio
Est deleta
tam brevi spatio
Et latronis
sera confessio
Paradisi potita gaudio,
Jesu bone.

3a. Sumus quidem peccatores
Sed te tamen non negantes,
Peccatores licet simus
Te confessi semper sumus.

3b. Confitentes nomen Christi
Ex quo sumus insigniti,
Christiani ex te quoque
Gaudeamus nos fuisse.

4a. Nomen tuum quod unguentum
Sonat in nobis infusum,
Post infusum vinum plagis
Ut fomentum lenitatis.

4b. Non nobis, Christe, non nobis
Sed nomini tuo dabis
Gloriam nostri misertus,
A quo nuncupati sumus.

5a. Ad medendum
contritis animo
Descendisti
patris imperio.

5b. Sicut liquit,
non necessarium
Sanis esse
dixisti medicum.

6a. Poenitentum
placet contritio
Infirmorum
et supplicatio.

6b. Ubi major
urget anxietas,
Major opis
inest necessitas.

7a. Quodsi, pater, nos abjicis,
Audi matrem pro filiis,
Prosint preces ecclesiae,
Quod non merentur singulae.

7b. Illa mater, tu pater es,
Illa sponsa, tu sponsus es,
Hujus preces si respuis,
Cunctos extra spem deseris.

8a. Matris attende merita,
Patris in te sunt viscera,
Sicut ille de prodigo
Sermo promittit filio.

8b. Ibi fratris susceptio
Fratris est indignatio,
His sunt fratres pro fratribus
In hostiis et precibus.

9a. Vae, vae nobis miseris
Sero poenitentibus,
Et pro negligentiis
Tarde jam gementibus.

9b. Si nos, pater, abjicis,
Qui est, qui suscipiat,
Aut si nos persequeris,
Quis est, qui subveniat.

10a. Heu, heu Domine,
Quod creati fuimus,
Si sit indulgentiae
nobis clausus aditus.

10b. Miseretur filiis
Pater post flagitia,
Nemo tibi similis
In misericordia.

11a. Miserere, miserere,
Miserere nostri,

11b. Summe pater, summi patris
Spiritus et filii.

12a. Advocatus apud patrem
Noster adsis, Christe,

12b. Postulator et pro nobis,
Spiritus, adsiste.

13a. Ad hoc ambo missi mundo
fuistis a patre,

13b. Missionis in hoc vestrae
Summam nunc implete.

14a. Collocati in supremis
Sint defuncti isti,

14b. Nil in poenis aut tormentis
Patiantur triste.

Miss. ms. Nannetense saec. 15. Cod. Cenomannens. 223. — 8b, 3 fratres pro tribus Hs.

67. Prosa Dominicalis.

1. Fraterna gratanter
nunc canat tuba.

2a. Laudes promat
Dominoque jubilet
voce praecelsa.

2b. Grates pangat,
modulos accommodet
mente devota.

3a. Cor unum atque anima
unica
semper gubernet
fovens caritate nos integra,
pace benigna.

3b. Ac sicut chorus concinit
unicus,
ita collata
fide sit corde salus credita,
ore confessa.

4a. Ergo gaudenter
Domino concinat
concio nostra,

4b. Laudando Christum
exprimat talia
modulans ita:

5a. Te decet honor
ac potestas celsa,
Te fortitudo,
virtus decet clara,
gloria magnifica.

5b. Te laudat ovans
coelum, mare, terra,
Te corda nostra
ratione freta
jussa per angelica.

6a. Assumas
haec modo, quaesumus,
quae reddimus, vota.

6b. Conjungas
haec vota superis
te resonantia.

7a. Adnectens
cum quorum vocibus
organa nostra,

7b. Affectu
socies gaudia
te laudantia.

8a. Ut vita sit haec concors,
opera
rege nostra,

8b. Tradendo nobis post haec
munera
perennia

9. In saeculorum saecula.

Grad. ms. S. Theoderici saec. 12. Cod. Remens. 169. A. — Prosar. ms. S. Theoderici saec. 15. Cod. Remens. 179. B. — Mel.: Justus ut palma major. — 7b, 3 pia te simul laudantia AB.

68. Prosa Dominicalis.

1a. Sedentem in supernae
majestatis arce

1b. Adorant humillime
proclamantes ad te

2a. Cum illis
undeviginti quinque:

2b. Sanctus, sanctus,
sanctus, Sabaoth rex,

3a. Plena sunt
omnia gloria tua,

3b. Atque cum
innocentissimo grege,

4a. Qui sine
ulla sunt labe,

4b. Dicentes
excelsa voce:

5. Laus tibi sit, Domine,
rex aeternae gloriae.

Grad. ms. S. Theoderici saec. 12. Cod. Remens. 169. A. — Prosar. ms. S. Theoderici saec. 15. Cod. Remens. 179. B. — Grad. ms. Aquicinctense saec. 16. Cod. Duacens. 124. C. — C giebt die Prose als Interpolation des Gloria, also als Tropus. — 2a und 2b zeigen keinerlei Gliederung innerhalb der clausula.

69. In Dominicis
post Pentecosten.

1a. Adest dies recolenda
mirandis prodigiis,
Data nobis, veneranda
devotis obsequiis.

1b. Haec dierum prima dies,
in qua orbis conditur,
Postquam pater protoplaustus
ex culpa dejicitur.

2a. Quem reparans Deus lapsum
hac die progreditur,
De virgine factus homo
redemptor producitur.

2b. Tu resurgis in hac die,
leo de tribu Juda,
Ut surgamus a peccatis,
ipse nobis condona.

3a. In hac die commutatur
Judaismi sabbatum,
In qua misit Deus pater
aeternum paraclitum.

3b. Est septena ista dies,
quae jubet a vitiis
Cessare et exsultare
divinis tripudiis.

4a. Laxa culpas septenares,
quibus te offendimus,
Qui septenum festivamus
ipsis obsequentibus.

4b. Emitte de tua sede
septem dona spiritus,
Post septenum vitae nostrae
junge nos coelestibus.

Miss. ms. S. Petri Carnotens. saec. 14. Cod. Carnotens. 519. add. saec. 15. ex. A. — Miss. Carnotense imp. Parisiis 1511. B. — 1b, 3 protoplastus B. — 3b, 1 dies ista B.

70. Pro evitanda mortalitate.

1a. Gratulemur, salvatorem
Collaudantes creatorem
Dulci cum symphonia,

1b. Collaetemur ritu morum
Veneremurque sanctorum
Gaudentes praeconia.

2a. Christophori, Adriani
Nec non et Sebastiani
Praecipue laudibus,

2b. Ut nos hostis arte cani,
Mundi gloria inani
Spretis juvent precibus.

3a. Chorus totus angelorum,
Qui secutus est coelorum
Regem ab initio,

3b. Conventus apostolorum
Martyrumque, confessorum
Virginumque concio.

4a. Ordo archangelorum,
Potestates superorum
Hymnis cum virtutibus,

4b. Hierarchiae supernorum
Regis cum matre, regnorum
Almis quoque coetibus;

5a. Suffragia monachorum
Vincla solvant delictorum
Mellifluo carmine.

5b. Hinc caelibes eremitae
Nostrae tergant noxas vitae
Decenti precamine.

6a. Ut ovantes mereamur
Obtinere, quod precamur,
Dei dono gratiae,

6b. Morte servet repentina,
Ne nos laedat serpentina
Bestia malitiae.

7a. Pro epidemiae peste
Forti nos circumda veste,
Ne quidquam premat moleste
Corpus laesum crimine,

7b. Animas ornans virtute,
Dignae quod sint hae salute
Te, rex Christe, consecutae
Sempiterno lumine.

8a. Humanam namque naturam
Tuam formans ad figuram
Vitam praebes duraturam
In coelesti curia.

8b. Misertus hinc creaturae
Tuae subis sepulturae
Mortis jura passus durae
Tormenta per varia.

9a. Precantes audi benignus,
Te condecet dulcis hymnus,
Preces nostras sume dignus,
Ne nos praedo Baratrinus
Torqueat supplicio.

9b. Mundi cerne nunc precatus
Ejus delendo reatus,
Ut in fine trabeatus,
Astris tuis laureatus
Splendeat judicio.

Miss. ms. Eduense saec. 15. ex. Cod. Semin. Eduens. 120. — 5b, 2 nexus Hs. — 7a, 3 quidquid Hs.

71. Pro evitanda mortalitate.

1a. De profundis ad te clamat
Plebs, ut te pium habeat,
Christe clementissime,

1b. Tua virtus hanc defendat,
Cum tremore tibi clamat
Psallendo, mitissime.

2a. Te supplicat cum tremore,
Ut defendas a dolore
Mortis amarissimae.

2b. Propter scelus perpetratum
Cor contritum et devotum
Reddit instantissime.

3a. Tu, qui non vis peccatorem
Mori sed sibi vigorem
Das vitandi jacula

3b. Inimici, dum amorem
Tuum meretur per morem
Bona sectandi opera.

4a. Sed vivat et poenitat
Et a malis abstineat
Adhaerens bonis actibus.

4b. Et te pium plebs habeat,
Tibi servire studeat
Clerus in sacris aedibus.

5a. Virgo mater cum sacratis
Virginibus, trinitatis
Iram prece mulceatis,
Ne noceat nos haec pestis
Peccatis exigentibus.

5b. Vos precamur et angelos,
Baptistam et apostolos,
Prophetas et discipulos,
Martyres sanctos singulos,
Deum placate precibus.

6a. Orate Deum, petimus
Vos, quos patronos credimus
Reliquiis praesentibus,

6b. Praecipue confidimus
Vestris orationibus,
Ut morbidam pestem pellat.

7. Istas partes ne subeat,
Plebs dogma sacrum teneat
Et protecta congaudeat
Pulsam ab istis partibus;
Amen detur a plebibus.

Miss. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 77. A. — Miss. ms. S. Acheoli saec. 15. Cod. Ambianens. 160. — „Sequitur missa contra pestem, quam dominus papa Clemens VI fecit et ordinavit. A. — 4 a, 1 Fer vivat A. — 5 b, 4 sq. sanctos singulos confessoresque Dominum placate A.

72. Ad postulandam serenitatem.

1 a. Summe Deus omnium,
Arvi, poli, marium,
Plebem tuam respice;

1 b. Salus es humilium
Ad te suspirantium,
Nos clementer refice.

2 a. Stellas coeli numeras,
Orbem terrae ponderas
Tua sapientia;

2 b. Elementa temperas,
Mari, ventis imperas
Propria potentia.

3 a. Infers terrae pluviam
Tibi voluntariam
Orbis tenens cardines;

3 b. Per tuam potentiam
Aufer nunc inopiam,
Rege cunctos ordines.

4 a. Solis prodis radios,
Auges fructus proprios
Ex quocunque semine;

4 b. Pasce tuos filios,
Fac eos egregios
Mystico spiramine.

5 a. Nostra solve scelera,
Fove mentis viscera,
Redemptor fidelium;

5 b. Praesta pacis foedera
Et in vitae vespera
Des nobis remedium.

Miss. ms. S. Petri Insulens. saec. 15. Cod. Insulens. 25. — Mel. jedenfalls: Veni sancte spiritus.

73. De Captione Jerusalem.

1 a. Exsultent agmina
fidelium cuncta
laudes Deo canentia,

1 b. Cujus sunt opera
semper magnifica
per ampla mundi spatia.

2 a. Voce celsa,
mente simul defaecata,
recolamus gaudia,
quae nobis anni orbita
reducit celeberrima.

2 b. Cum civitas
Jerusalem gloriosa
effecta est libera,
quae Sarracenis fuerat
tamdiu tributaria.

3 a. Hinc Francorum
pangamus gesta fortia,
quorum probitate
sic est liberata
sub Domini potentia.

3 b. Laetetur ergo
Christianis reddita,
quibus congaudet,
residens sede sua
jam imperat ut domina.

4a. Cui tota Francia
jam flectit genua
nec non Italia.

4b. Jamjamque Graecia
fert ei munera
nec non Arabia.

5a. Mesopotamia,
Aegyptus, Africa
regnaque cetera
transeunt sub ea.

5b. Damascus, Ascalon,
Joppe cum Accaron,
Tyrus atque Sidon
mittunt ei dona.

6. Cujus agentes festa
Jerusalem in superna
perfruamur gloria.

Prosar. ms. Laudunense saec. 12. Cod. Laudunens. 263. — Die Sequenz, deren Abfassungszeit durch den Inhalt gegeben ist, gehört namentlich durch Str. 5 bereits dem Übergangsstile an, während Str. 3 nachlässig gegliederte Langzeilen aufweist.

II.

DE BEATA.

---

74. In Conceptione BMV.

1a. Ave, mitis virgula,
Quam in matris clausula
Virtus divinalis

1b. Exuit a macula,
Ut illustres saecula,
Decus virginalis.

2a. Maria, tu sideris
Stella maris diceris
Luce radiosa,

2b. Nondum nata crederis
Carens spina veteris
Culpae, coeli rosa.

3a. Gratia progenitam
Ut lucernam inclitam
Lumine vestivit,

3b. Cujus luce perditam
Et ad vitae semitam
Dragmam insignivit.

4a. Plena luce gratiae
Rutilans decora,
Solem tu justitiae
Praevenis aurora.

4b. Tota pulchra specie,
Fulgens omni hora,
Noctem delinquentiae
Fugas sine mora.

5a. Dominus cum hominum
Voluit creari,
Omnium tu dominum
Gaudes humanari

5b. In te, virgo virginum,
Quo nos scis beari,
Angelorum agminum
Turmas reparari.

6a. Tecum Dei filius
Et ut vitrum radius
Solis subintravit,

6b. Carne sumpta proprius
Et nos sibi propius
Per te copulavit.

7a. Benedicta filia,
Lactis alimonia
Nutris te pascentem,

7b. Stringis inter brachia
Cujus cingis fascia
Omnia regentem.

8a. Tu in mulieribus
Et sine doloribus
Virgo peperisti

8b. Post partum in omnibus,
Sola sic hominibus
Vitam contulisti.

9a. Et sic semper speculo
Nec legali vinculo
Matrum subjacebas,

9b. Tamen cum infantulo
Hostiam pro parvulo
Templo offerebas.

10a. Ventris tui puritatem
Christus adornavit

10b. Et sic suam caritatem
Nobis condonavit.

Cant. ms. Vissegradense V Cc η saec. 15. A. — Cod. Pragens. VI C 20 saec. 16. B. — 7b unverständlich konstruiert.

75. In Conceptione BMV.

1a. Multitudo gratiarum,
Corporum et animarum
Collata fidelibus

1b. Prece virginis Mariae
Nos compellit ista die
Sistere in laudibus.

2a. Igitur nullus miretur,
Si laus frequens exhibetur
Illi semper virgini,

2b. Nam per hanc habemus Deum
Fratrem nostrum et trophaeum
De hostibus Domini.

3a. Rursus nobis semper praestat
Nova dona, unde restat,
Ut nos nova cantica

3b. Innovemus in honorem
Virginis gignentis florem
De domo Davidica.

4a. Ista namque mox concepta,
Plena gratia recepta
Sanctior fit ceteris,

4b. Ut post hoc sanctificata
Summo sancto sit aptata
Pro conceptu pignoris.

5a. Insuper est mediatrix
Et fidelis procuratrix
Ad se recurrentium,

5b. Istum trahit, illum movet,
Hunc et nutrit atque fovet,
Cunctis dat auxilium.

6a. Nullum pellit aut excludit
Pietate, sed concludit
In sinu clementiae,

6b. Sive reos, sive justos,
Invocantes quos venustos
Reddit sapientiae.

7a. Hinc procedit generalis
Promptitudo cordialis
Cunctorum fidelium,

7b. Ad psallendum de Maria,
Ut, dum sumus in hac via,
Placet nobis filium.

8a. Laudes ergo replicamus
Virgini, quam invocamus
Frequenter et saepius,

8b. Ne sibi simus ingrati
Et divinae bonitati
Conjungamur fortius.

9a. Sed tu, virgo, mater sancta,
Plena jam gratia tanta,
Purga nos a crimine,

9b. Ut et nos sanctificemur
Et post tecum gloriemur
In aeterno lumine.

Miss. ms. Praedicatorum Vindobonens. s. sign. anni 1477. — „Sequentiam sub nota S. Dominici", d. h. auf die Mel.: In coelesti hierarchia. — 4b, 1 Et post Hs. — 4b, 2 sic aptata Hs. — 6a, 2 A pietate Hs. — 7b, 3 sumus fehlt Hs.

76. In Sanctificatione BMV.

1a. Ave, porta semper clausa,
Primae causae stupens causa,
Virgo, parens, filia.

1b. Rubus, virga, templum Dei,
Qui te mundat, vellus ei
Album super lilia.

2a. Tota postquam es completa,
Celsa luce fis repleta
Instar tabernaculi,

2b. Tantum habens intellectum
Es nam gratiae subjectum
Sicut et piaculi.

3a. Unde, quamvis visa mater
Ab aeterno sis, te pater
Nunc purgat a crimine,

3b. Omnis homo namque secum
Trahit culpam nascens tecum
Ex virili semine.

4a. Plus quam Christus potuisset
Ut tu satus qui fuisset,
Hac labe non illitus;

5a. Augustinus hoc testatur,
Patris magni roboratur
Ambrosii veritas;

6a. Unde judex immortalis
Dirior fit quam mortalis,
Dum insontes perimit,

7a. Ut sit ergo tuus natus
Potens, justus, occulatus,
Matrem purgat hodie;

8a. Cedunt primi jam parentes,
Cedunt senes et lactentes,
Cedunt angeli potentes
Donum Dei perdere.

9a. Unde licet ventre sati
Duo sint sanctificati,
Minus quam tu vel mundati
Serius quam resonant;

10a. Pulchra nimis ad profectum
Ad eorum qui perspectum
Te venissent, jam defectum
Nostrum fugans, ad conspectum
Duc tuae nos gloriae.

4b. Hic nam culpae nullo modo
Esse quivit absque nodo,
Aliter ni genitus.

5b. Christi quoque carni purae
Carnis dicit creaturae
Hinc aequatur puritas.

6b. Sic non justus aut non valens
Aut ignarus cuncta calens
Est nec matrem redimit.

7b. Tale confert atque munus,
Sit viator ut nec unus
Aequalis munditiae.

8b. Tu peccatum actuale,
Veniale et mortale
Perpetrasti nunquam, male
Poteras nec agere.

9b. Ipsi namque potuerunt
Et de facto peccaverunt,
Leviter tamen, ut ferunt,
Qui te sanctam personant.

10b. Ut divina monarchia
Triplici cum hierarchia
Perfruentes voce pia
Collaudemus, o Maria,
Tantae donum gratiae.

Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523. „Sequentia cum cantu Lauda Sion Salvatorem.“

77. In Sanctificatione BMV.

1a. Mellis stilla
De spinis exiit,
Maris stella
De nube prodiit
Tenebrosa,

2a. Stilla, stella
Talis origine
Dulcis hortus
et clarae virginis
Sunt figura,

3a. Haec dulcoris
Totius melleum
Favum fudit,
qui haustum felleum
Dulcoravit,

1b. Sed spinosum
Nil stilla sapuit,
Sed nubosum
Nil stella habuit
Radiosa.

2b. De Judaeae
spineto genitae,
Alienae
tamen a stipite
In natura.

3b. Quem humanae
serpens incuriae
Sub liquoris
melliti specie
Propinavit.

4a. Haec de sui
scintilla luminis
Summi lumen
produxit numinis.
Solem verum,

4b. Qui aeternam
nobis dulcedinem
Prece matris
et longitudinem
Dat dierum.

Miss. ms. Kilormicense saec. 15. Cod. Collegii ss. Trinitatis Dublinens. B 3. 1. — 1b, 1 spinosa. — 2a, 2 origine. — 2a, 5 Sunt figina. — 4a, 4 luminis. — 4a, 5 Solem aeternum.

78. De Conceptione BMV.

1. Festum Mariae venerantes
hac die jugiter psallentes.

2a. Audi, virgo pura,
sancta antequam nata.

2b. Christianam plebem
Te collaudantem defensa.

3a. Tuum conceptum praeclarum
praeservatum et sanctum

3b. Laudant et probant scripturae
atque dicta doctorum.

4a. Quorum de grege
sacer Anselmus
commendat primus tuam
conceptionem:

4b. Ecce post natum
hanc genitricem
majore puritate
relucentem.

5a. Devotus Bernhardus
protestatur immunem
matrem virginem dicens:

5b. Quare castae matris
ex Adam quae suscepta
Adae maculas non sensit.

6a. Augustinus
de illa sic inquit:
de peccatis
cum loqui contigit,
de sancta Maria
nullam penitus
habeas quaestionem.

6b. Tolosanus
archiepiscopus
Hildefonsus,
Mariae dilectus,
post gratum tractatum
accepit hujus
festi commissionem.

7a. Haec sunt eloquia,
quae tibi placent,
mater et virgo Maria.

7b. Mundam suscipere
verbo placuit
carnem ex te, mundissima.

8a. Scoti, Guidonis,
Thomae, Richardi asseritur
id ratione

8b. Ambrosiique
Jeronymi, Cyrilli claret
probatione.

9a. Sacerdotem
tibi gratum
liberasti
turbine submersum

9b. Et clericum
subarrhatum
revocasti
laudibus intentum.

10a. Tu Helsinum Anglicum
in mari auxilium
ad portum salutis
transtulisti
laetante patria;

10b. Post sacrum concilium
Basileense
conceptum Mariae
sollemnizat
magna laetitia.

11a. Ecclesia Romana
approbat,
confirmat
hoc festum sic
celebrandum.

11b. Ordo Minorum supplex
laudibus
frequentat
Dei templum
venerandum.

12. Regina coeli
divina,
nos loca,
ubi nunc es cum filio
in coelesti solio.
Amen.

Cod. Pragens. XII A 17. saec. 15. Mit Mel. — 10a, 1 Helsynum Hs.

79. De Conceptione BMV.

1. Festum Mariae venerantes,
hac die psallentes,

2a. Audi virgo gregem,
tibi laudes canentem.

2b. Dirige gentem,
conceptum tuum amantem.

3a. Conceptum tuum
in unione sanctum

3b. Probant, reprobrant
id scripta dictaque doctorum.

4a. Quorum de grege
Anselmus primus
conceptum tuum
ponit mundissimum.

4b. Et clariorem
post Deum regem
asserit esse
vere puriorem.

5a. Bernhardus denique
perlustravit intime
omni profert laude,

5b. Quibus superius
hominibus in terris
disertas addit laudes.

6a. Augustinus
revera sic inquit:
cum de peccatis
dici contigit,
non quaeri, non fari,
an lapsum fecit,
an legem violavit.

6b. Gundefilus
virginem adspicit,
dictis sanctis
doctrinis adstruit,
ut sapit et sentit,
quod nunquam foedam
labem de facto contraxit.

7a. Haec sunt eloquia,
quae tibi placent,
o Dei sapientia.

7b. Conceptum in matre
verbo placuit
mox in te carnem sumere.

8a. A Scoto, Quidone,
Thoma, Richardo,
asseritur id ratione.

8b. Multum promittis,
magis tribuis,
Christifera virgo Maria.

9a. Per daemones jam submersum
reduxisti
tuum Climonium

9b. Et clericum subarrhatum
revocasti
actibus pollutum.

10a. Helsinumque abbatem,
in mari anxium,
ad portum salutis
transtulisti
vultu laetissimo.

10b. Ob hanc causam Anglia
repletur gaudio,
conceptum Mariae
solemnizat
in dulci jubilo.

11a. Ecclesia Romana approbat,
confirmat
hoc festum sic celebrandum.

11b. Basileensis synodus, ordo
Carmeli
sic assistunt reginae caeli.

12. Regina laeta
nos freta
colloca,
ubi nunc es cum tuo filio,
in coelesti solio.

Miss. ms. Cremense saec. 15. Cod. Pragens. XII B 13. — Eine des Originals würdige Umdichtung der vorigen Nummer durch Karmeliten (vgl. 11b), wobei in Str. 11 das Versmafs verändert ist. — 10a, 1 Helsimum Hs.

80. In Nativitate BMV.

1a. Ave, clara stella maris,
In lucem mundi probaris
Exorta divinitus,

1b. Euge tuae claritatis
Lux umbrosae vetustatis
Patrum fugat gemitus.

2a. In ortu tuo jucundo
Toti fuit orta mundo
Salus et salvatio,

2b. Per te namque, virgo pia,
Humanae sortis, Maria,
Datur reparatio.

3a. O felix tu coeli porta,
Semper clausa, per quam orta
Vera lux apparuit,

3b. Cujus lucis venustate
Nostrae noctis obumbratae
Caligo disparuit.

4a. Hujus, virgo, jubar lucis
In hunc orbem introducis
Carnis tectum vestibus;

4b. O quam digna venerari,
Ad quam lux haec humanari
Venit de coelestibus.

5a. Haec est stella matutina,
Solis radio vicina,
Ex qua sol justitiae,

5b. Christus Deus noster, ortus
Est, quo sternitur distortus
Serpens, dux nequitiae.

6a. O miranda genitura,
Qua mutatur hic natura,
Patrem gignis filia;

6b. Tu matris gaudes honore,
Virginali fulgens flore,
Patrem gignis filia.

7a. Sed qui vim dedit naturae,
Hanc suae virtutis jure
Immutare potuit,

7b. Dispositione dia
Tibi, genitrix Maria,
Virtus haec innotuit.

8a. Eja, mater, te colentes,
Piis votis te poscentes
Pio vultu respice;

8b. Ne nos hostis castitatis
Trahat ad se cum damnatis,
Casta mater, prospice.

Cod. S. Floriani XI. 130. saec. 15.

81. In Nativitate BMV.

1a. Cor devotum inflammetur
Et devote celebretur
Tantae festum virginis.

1b. Dum oritur, mundus claret,
Nam in ortu labe caret
Munda mundi criminis.

2a. Haec est flos patriarcharum,
Rosa vernans prophetarum
Stirpisque Davidicae;

2b. Haec est legis complementum
Et totius fundamentum
Legis evangelicae.

3a. Haec est mater summi regis,
Duodeni doctrix gregis
Materque fidelium;

3b. Haec virgo, dum regem natum
Nutrit, tenet principatum
Coeli, terrae, marium.

4a. Haec est summa bonitatis,
Cujus ortu jam beatis
Est jucunda mansio;

4b. O Maria, spes reorum,
Ortu tuo supernorum
Ditemur consortio.

Miss. ms. Romano-Franciscan. saec. 14. Cod. Carpentoractens. 107. — 1a, 3 festum fehlt im Text, am untern Rande nachgetragen. — 2a, 2 prophetarum am Rande ergänzt. — 3a, 2 sq. gregis mater fehlt.

82. In Praesentatione BMV.

1. Salve regina,
pia virgo, divina
gratia fecunda,
puritate salva.

2a. Salvatoris mater,
quam sibi pater
divus elegerit
et te solam verbigenam
prae cunctis mundi
praedestinavit.

2b. Soror, sponsa Dei,
tu facta regi
mater et filia,
qui te divis prae ceteris
donis infinitus
praedotavit.

3a. Te praeservavit,
maculam ne attingeres
nascitura,
transiens mundum
hunc lubricum
via impolluta.

3b. Te praeparavit,
ut digna mater fieres
paritura
divinis Deum
et hominem
miris involuta.

4a. Ad haec devotam
ratione fruentem
praesentari
te in templo petisti,
praeacta Domino vota
complevisti.

4b. Tu ferens totam
te gradibus quindecim
ad altare
holocausti venisti,
scandere te cogit amor,
quo languisti.

5a. Hi sunt quindecim
gradus virtutum,
sequi velis virginem
te tutum,
his proficisci
facto studeas,
quibus et praemonstrabat
viam salutis
tibi posse aggredi
sic scandentem
introducentem
in futuram patriam.

5b. Humilitatem,
mansuetudinem
fortitudo, pietas
sequatur,
magnanimitas
sobrietatem,
paupertas castitatem
et veritatem
justam patientia;
da spem, virgo,
caritatemque,
fidem, diligentiam.

6a. Tu a coelesti
pigmentario
area virtutum
ornata,
vernans speciosis
floribus amoenis,
quibus replere
te domum vere
Domini gloriamur.

6b. Floribus multis
quae placuisti
sponsa creatori,
placere
Christo redemptori
fac nos et praeserva
nunc a proterva
antiqui hostis
fraude, te dreprecamur.

7a. Impetra nobis gaudia
coelica post labores.

7b. Sana nos, pia Maria,
hujus vitae post dolores.

8a. Da vitam veram ingredi,
nos sempiterno saeculo
fructus colligere,

8b. Quo mente pura perfrui
des trinitatis speculo,
nunquam deficere.

9. Unigenitum tuum
placabilem
placa, virgo,
ut sic obtinere
pro tuis petita valeas
precibus commendatis.

Miss. ms. Bremense saec. 15. Cod. Hafniens. Gl. Kgl. 188. A. — Cod. Lubicens. ol. Fol. 22. saec. 15. B. — „Sequitur officium novum . . . Sequentia in die sancto et in octava die dicenda.“ A. — Mel.: Ave praeclara. Die Versabteilung beherrscht der Reim, der nicht immer auf die richtigen Stellen gelegt ist.

83. *In Annuntiatione BMV.*

1. Sancta virgo,

2a. Dei mater Maria
unigeniti,

2b. Coeli, terrae regina,
sola domina.

3a. Ad te Gabriel
missus erat
patris Dei munere:

3b. Ave, Maria,
omnipotens
semper tecum, virgo.

4a. Ne quid timeas,
patri carissima,

4b. Sancti spiritus
protecta umbraculo

5a. Paries coelorum regem,
Messiam dominum.

5b. Ora nunc pro populorum
salute instanter,

6a. Et pro filiis,
fonte baptismatis
sacro ut salventur,

6b. Et pro famulis
tuis hoc in loco
deprecantibus,

7. Cunctos Jesus ut salvet.

Grad. ms. Palat. Vindobonens. 13314 saec. 11. add. saec. 13.

84. In Annuntiatione BMV.

1. Ave, mater Domini,
Per quam salus homini
Datur et concordia,

2a. Per te venit gaudium,
Reparatrix omnium,
Sis nobis propitia.

2b. Tibi dixit nuntius,
Pacis nostrae conscius:
Ave plena gratia,

3a. Statim tecum Dominus,
Fecundaris cominus,
Viri semper nescia.

3b. Totus in te clauditur,
Per quem totum regitur
Divina potentia.

4a. Signa per eximia
Rex, qui fecit omnia,
Nascitur de filia,
Concinunt coelestia.

4b. Caritate nimia
Fit pro nobis hostia,
Sternitur superbia
Crucis per compendia.

5a. Auctor vitae gustans mortem
Jure tali perdens fortem
Surgit cum victoria,

5b. Nos in luctu, nos in fluctu
Tanto fructu, tali ductu
Ducimur ad gaudia.

6a. Hac sophia,
Virgo pia,
O Maria,
Vitae via,
Nostra manes gloria.

6b. Mater ducis,
Porta lucis,
Signo crucis
Nos conducis
Ad coeli palatia.

7a. Plena favis,
Dans spem pravis,
Coeli clavis,
Vitae navis,
Hujus mundi naufragia
Pertransimus te praevia.

7b. Coelo clara,
Terris cara,
Regni scala,
Pellens mala,
Tu flos, tu ros, tu venia,
O fons, os, pons, mons, gratia.

8a. Panis cella
Fundens mella,
Maris stella
Sedans bella,
Plenus hortus,
Laetus portus,
Nos Deo concilia.

8b. O praedicta
Benedicta,
Templum Dei,
Pignus spei,
Fac nos puros
Ac securos
Per laeta, per tristia.

9. Te mediante, pia,
Simus ut in patria,
Ubi gaudent omnia.

Cod. Aurelianens. (ol. Floriacens.) 201. saec. 12 et 13. add. saec. 13.

85. In Annuntiatione BMV.

1a. Salve, templum maternale,
In quod verbum paternale
Venit de coelestibus,

1b. Hoc gestavit, hoc tractavit,
Hoc induit nata David
Virgineis visceribus.

2a. Coeli majus luminare
Venerat illuminare
Terrenam caliginem,

2b. Sacro flatu operante
Virgo tulit post et ante
Salutis originem.

3a. Coelo latior virtute
Dei germinavit tute
Virgo suum filium,

3b. Paratior largitate
Donorum varietate
Cunctis fert auxilium.

4a. Adiit ex gyro sedis
Mentem puellarum aedis
Coelorum verus haeres,

4b. In sigillo trinitatis
Mariae virginitatis
Impressit characteres.

5a. Aurem pulsat virginis
Arcanum originis
Divinae, mysterium,
Quod per ministerium
Dignum revelavit.

5b. Regali palatio
Verae legis latio
Fudit undam gratiae,
Per quam pulchra facie
Nos a delictis lavit.

6a. Virus fugavit letale,
Quando corpus virginale
Virtus fovit fidei,

6b. Quantum stupet et miratur
Maria, dum pergyratur
Annulo vivi Dei.

7a. Qui natura gemina
In puella tenera
Dulciter quievit.

7b. Sic, Eva quam abstulit,
Ista vitam attulit
Mortemque delevit.

8a. O altum consilium,
Quod de coelis filium
Ad terras direxit:

8b. Illum in laetitia
Tua pudicitia
Humilis allexit.

9a. Sic decebat incarnari
Per matrem et humanari
Regem regum dominum,

9b. Qui in coelis sine matre
Et in terris sine patre,
Salvator est hominum.

10a. Ave, gemma mulierum,
Tu solaris lux dierum,
Sceptrum regis regium,

10b. Peperisti Deum verum,
Cui das et cor sincerum
Amoris privilegium.

11a. O dulcedo virginalis,
Nunquam fuit nec est talis
Visa tibi similis,

11b. Te dulcore sacri flatus
Cujus irroravit natus,
Dei parens humilis.

12a. Dic: Mi nate, recordare,
Quod merebar te portare
Meis in visceribus,

12b. Cum sis natus, ego mater,
Ergo clemens esto pater
Hominum sceleribus.

Miss. ms. Vissegradense V C ϱ saec. 15. A. — Sequent. ms. Dom. Polkowski s. sign. saec. 15 ex. B. — 2a, 3 Terrarum B. — 2b, 1 cooperante A. — 3a, 1 in virtute A. — 3b, 1 Quae paratior A. — 4b, 1 Quae sigillo B. — 7b, 1 Hic Eva B. — 8a, 1 O castum consilium A. — 9b, 3 Salvatorem hominum A. — 11a, 1 Hic mi nate A; Tu mi nate B.

86. In Annuntiatione BMV.

1a. Virgo gaude speciosa,
Benedicta, gloriosa,

1b. Christi mater praeelecta,
Spiritalis cella facta.

2a. Gabriel emittitur
A superna curia,
Tecum, virgo, loquitur
Deferens haec nuntia.

2b. Ave, inquit, innuba,
Dei plena gratia,
Salvatoris inclita
Mater es et filia.

3a. Hic ignotus apud patrem
Nobis notus fit per matrem,

3b. Noster ergo factus frater
Per te, virgo facta mater.

4a. Deus Deum genuit
Absque matre,

4b. Virgo natum protulit
Sine patre.

5a. O quam mira genitura,
Creatorem creatura
Meruit et gloria.

5b. O stupenda nutritura,
Nutrit Deum virgo pura
Gubernantem omnia.

6a. Ergo, mater o Maria,
Tantus frater prece pia
Nos sua clementia

6b. Emundatos a delictis
Simul jungat cum electis
In coelesti curia.

7. Amen dicat haec nostra turmula
Laudans Deum per cuncta saecula.

Prosar. ms. Laudunense saec. 12. Cod. Laudunens. 263. A. — Grad. ms. Sangallense 383. saec. 13. B. — Miss. ms. Secoviense saec. 14. Cod. Graecens. 456. C. — Prosar. Franciscan. saec. 14. Cod. Parisiens. 1339. D. — 1b, 2 Specialis cella B. — 2b, 3 Salvatoris unica BC. — 4a, 2 Sine matre BC. — 5a, 1 O stupenda C. — 5b, 1 O quam mira C. — 6a, 3 Sua nos C. — 6b, 3 coelesti gloria B.

87. In Annuntiatione BMV.

1a. Verbum verbo incarnatur,
Dum Maria salutatur
A salutis bajulo;

1b. Sponso sponsa collocatur,
Pax in terra reformatur
Universo populo.

2a. Virginale gravidatur
Claustrum, nimis admiratur
Naturalis regula;

2b. Totum Deus operatur,
Sic breviter persolvatur
Ista quaestiuncula.

3a. Virgo sancta te precatur
Grex hic, ut exaudiatur
Ejus deprecatio,

3b. Ut ad regnum perducatur,
In quo quisque praeditatur
Divino denario.

Cod. Ebroicens. (ol. Lirens.) 17. saec. 12. add. saec. 12/13. — Mit Mel., welche das Lied als Sequenz charakterisiert.

88. In Annuntiatione BMV.

1a. Paranymphus
salutat virginem

1b. Novi partus
adsignans ordinem.

2a. En, inquit, concipies
Parvulumque paries
Nec pudoris senties
Laesionem.

2b. Jam praeventa gratia
Sed de modo dubia
Quaerit rei nescia
Rationem.

3a. O Maria, ne formides,
Praebe fidem, quia fides
Potens in hoc opere.

3b. O Maria, sis secura,
Nutu Dei paritura
Sine viri foedere.

4a. Verbum carni jungitur
Virginis in utero,
Nec natura tollitur
Unius ab altero.

4b. O miranda novitas,
O mira dignatio,
Quod contracta deitas
Jacet in praesepio.

5a. O puer sapiens,
O verbum vagiens,
O majestas humilis,

5b. Nos juva, nos rege,
Nos verbo protege,
Nobis carne similis.

6a. O Maria, mater Dei,
Spe respirant in te rei,
Tu post Christum nostrae spei
Fiducia.

6b. Jesu pie, Jesu fortis,
Jesu nostrae dux cohortis,
Fac nos esse tuae sortis
In gloria

8. Tuae matris gratia.

Miss. ms. Ratingense saec. 13/14. Clm. Monacens. 10075. A. — Grad. ms. Marchianense saec. 14. Cod. Duacens. 114. B. — Miss. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Rotomagens. 279. C. — Prosar. ms. S. Theoderici saec. 15. ex. Cod. Remens. 179. D. — Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572. Cod. Ambianens. 132. E. — 4b, 1 O felix novitas A. — 4b, 3 Quod fehlt A. — 5a, 1 sapiens puer E. — 6a, 3 post Deum A. — 6a, 4 Salus et fiducia, A. — 6b, 4 fehlt A; an dessen Stelle steht 7.

89. In Annuntiatione BMV.

1. Cuncti unanimiter
Concinamus suaviter

2a. Salutis auctori
Benigno ac redemptori

2b. Universorumque
Optimo moderatori,

3a. Qui nostrae saluti providens
Dignatus est descendere

3b. Empyreis a sedilibus
Et carnem nostram assumere

4a. Ex Maria virgine,
Quae pudicissima
Mansit illaeso hymine.

4b. Sine viri semine
Natum protulit
Sacro afflata spiramine,

5a. Dum Gabriel archangelus,
A Deo missus,
attulit verba dulcia:

5b. Ave, inquit, sanctissima
Virgo Maria,
Plena divina gratia.

6a. En tuo in utero
Concipies prolem divam,
Virgo manens paries,
Illi daturus
Est dominus Deus
Sedem David, patris ejus.

6b. Verbis dum virgo
Credidit angelicis,
Concipit filium Dei,
Qui genus humanum
A nece saeva
Eripuit morte sua.

7. Ergo nunc gratias
Agamus singuli
Maximas redemptori.

Grad. ms. Pragense VII A 13. saec. 16.

90. De Visitatione BMV.

1a. Ave, praegnans admiranda,
Virgo Deum generanda,
Fecunda paraclito;

1b. Ave, porta semper clausa,
Domus, ubi placet pausa
Regi regum inclito.

2a. Ave, cella,
Fluens mella
Odore dulcedinis,

2b. Ave, luna,
Soli una,
Summi plena luminis.

3a. Ave, virgo decora,
Summi solis aurora
Exiens a Nazareth.

3b. Ave, dulcis fontana,
Diffusa per montana,
Salutans Elisabeth.

4a. Ave, cujus vox salutis
Sonitum plenum virtutis
Jubilo manifestat.

4b. Ave sole nunc amicta,
A sterili benedicta,
Quae praecursorem gestat.

5a. Ave, tuba
Deum magnificans,

5b. Ave, lyra
summum laetificans.

6a. O quam sunt felices
Matres et nutrices
Horum infantium,

6b. Junguntur uteri
Matrum et pueri
Se salutantium.

7a. O quam suavis amplexus
Matrum, quarum idem nexus
Conjungit et filios,

7b. Quorum unus est salvator,
Alter verbi praedicator
Docens ore alios.

8a. O vox laetantis Mariae,
Cum Johanne Zachariae
Excita nos in jubilum

8b. Et cum ipso mundi a vae
Nos attrahe in sueve
Verbum carnis per nubilum.

9. O Maria, ventris tui
Fructu fac nos hic perfrui
Et in paradisi domo;
Amen dicat omnis homo.

Cod. Parisiens. (ol. Franciscan.) 16664. saec. 15. Mit Mel.

91. De Visitatione BMV.

1a. Deum Jesu Christi patrem
Et Mariam ejus matrem
Laeta nunc ecclesia

1b. Festa laude veneratur,
Dum Johannis matri datur
Mariae praesentia.

2a. Ab excelso trinitatis
Verba defert novitatis
Paranymphus Gabriel,

2b. Verbo paret veritatis
Virgo, jubar claritatis,
Concipit Emmanuel.

3a. Rem grandis miraculi,
Nobilis spectaculi,
Vide declarari;

3b. Coelis quae sublimior,
Inde fit humilior,
Vadit famulari.

4a. Praegnans virgo non humana
Virgo surgens in montana
Festinanter abiit,

4b. Et in domum Zachariae
Praecursoris matrem pie
Salutans introiit.

5a. Dum Maria salutare
Verbum dedit, exsultare
Coepit infans nimium;

5b. Lumen adhuc occultatum
Reveretur, incarnatum
Verbum patris omnium.

6a. O quam pium fert amorem
Superans omnem dulcorem
Virginis praesentia,

6b. Sese matres amplexantur.
Per salutes revelantur
Salutis mysteria.

7a. Ex medullis animae
Canticum laetitiae
Decantavit Maria,

7b. Exsultavit spiritus.
Exaltatur Dominus
Dulci cum melodia.

8a. Manens domo Zachariae
Per tres menses servit pie
Maria Elisabeth,

8b. Famulatu quo completo
Virgo mater corde laeto
Rediit in Nazareth.

9a. Laudes ergo mirifice
Mariae permagnifice
Vox amoena

9b. Psallat, ejus praeconia
Laudans petat suffragia
Plebs egena.

10a. Et tu coeli regione,
Virgo mater prolis bonae,
Clementer expostula,

10b. In conspectu summi regis
Professores sacrae legis
Regnare per saecula.

Miss. ms. Vedastinum saec. 15. Cod. Atrebatens. 517. add. saec. 15/16. — Mel. offenbar. In coelesti hierarchia.

92. De Visitatione BMV.

1a. In concordi melodia,
Cordis, oris symphonia
Jubiletur voce pia
Dei miseratio.

1b. Oda laudis, acta pia
Hinc procedant cum sophia,
Veneretur et Maria
Dia cum solatio.

2a. Hac in die plebs laetetur,
Mentis piae laus donetur
Et Mariae comitetur
Pia visitatio.

2b. Approbata virgo pura
Salutata fit secura,
Quod affata mente pura
Vatum esse natio.

3a. Non tumescit sed stupescit,
Quia pia virum nescit,
Tam praeclara quam ignara,
Quomodo concipiat.

3b. Novit flamen et spiramen
Sanctum tantum, intrat tamen
Hinc praeclara virgo gnara
Feta fit ut pariat.

4a. En quam pia, quam benigna
Fuit ista mater digna,
Sumens verba, noscens signa,
Visitans Elisabeth.

4b. Surgens abit in montana
Non vestigia per plana
Sed transcendens fide sana
Festinanter ipsamet.

5a. Salutavit seniorem
Junior, major minorem,
Plasma novit plasmatorem
Et ancilla dominam.

5b. Consecravit nondum natum
Jam conceptus consecratum,
Novit mater exaltatum
Seque donat comitam [sic].

6a. O Maria, stella maris,
Quae perpia solem paris,
Nos in viae salutaris
Portas duc trans maria.

6b. Visita nos pietate,
Solida nos caritate,
Conforta nos bonitate
Tui morum, Maria.

7a. Tu nos audi supplicantes,
Tuae laudi nunc adstantes,
Ut a sorde nos mundando
Teque corde visitando
Jugis sit memoria.

7b. Ora Deum, jube nato,
Solvet reum de peccato.
Ut hac vita terminata
Sit petita nobis data
Sempiterna gloria.

Clm. Monacens. (ol. Sanemmeramens.) 14926. saec. 15. Mit Mel. — 2b, 3 sq. unverständlich. — 3a, 4 concipiet.

93. In Purificatione BMV.

1a. Rosa veris, paradisus
Et Libanus non incisus,
Quo fraglat ecclesia,

1b. Est Maria, mons praevisus,
De quo lapis est abscisus,
Qui fregit sculptilia.

2a. Orta fulget Deo grata,
Prius sancta, quam sit nata,
Soror nostra parvula,

2b. Munus novum datur ei,
Quam sic mundat virtus Dei
Ab antiqua macula.

3a. Sancta virgo purior,
Super omnes celsior
Ordines coelestium,

3b. Nascitur et concipit,
Natum offert, accipit
Aeternale praemium.

4. Quae legalem subis morem,
Triumphalem da vigorem,
Fac consortes superum.

Miss. ms. Romano-Franciscan. saec. 14. Cod. Carpentoractens. 107.

94. In Purificatione BMV.

1a. Decorata
coelesti solio,
In quo regnas
una cum filio,
Ante cujus
conspectum venio,
Maria.

1b. Fons hortorum
aquarum puteus,
Via lucis,
splendor sidereus,
Te conventus
laudat aethereus,
Maria.

2a. Dei templum
regalis civitas,
Quam fundavit
ipsa divinitas,
De te, virgo,
orta est veritas,
Maria.

2b. Tribu Juda
propago nobilis,
Universo
orbe laudabilis,
Porta Sion
inexpugnabilis,
Maria.

3a. Te scripturae
loquuntur veterum,
Te formator
elegit siderum,
Per te mundus
accepit puerum,
Maria.

3b. Per te mundi
totius domina,
Quam sanctorum
collaudant agmina,
Peccatorum
solvuntur crimina,
Maria.

4a. Tu velamen
legis in litera,
Remansisti
virgo puerpera,
Ex te venit
lux salutifera,
Maria.

4b. In te sperant
etiam miseri,
Ut erepti
de fauce tartari
Natum tuum
sequantur liberi,
Maria.

5a. Ergo coeli
terraeque domina,
Excelsior
plus cunctis femina,
Mentes nostras
quaeso illumina,
Maria.

5b. Esto nobis
in adjutorium
Et pro nobis
exora filium,
Ut in coelis
det nobis praemium,
Maria.

Miss. ms. S. Petri Moissiacens. saec. 15. Cod. Tolosan. 106.

95. De Compassione BMV.

1a. Qui per viam pergitis,
Hic mecum sedete,
Si est dolor similis
Ut meus, videte,
Meum dulcem filium
Pariter lugete.

1b. Videte spectaculum
In cruce pendentis,
More damnatitii
crimina luentis,
Pro peccato populi
mortem patientis.

2a. Ordo juris vertitur,
Aequitas turbatur,
Justitia laeditur,
ratio mutatur,
Sine causa filius
meus morti datur.

2b. Quare meus filius
condemnatur ita?
Sine causa moritur
morientum vita,
Et ego tam misera
vivo jam invita.

3a. Quid commisit genitrix,
cur orbatur prole?
Me, Judaea, filio,
mundum privas sole,
Patre privas pauperes,
aegros adjutore.

3b. Injustum judicium,
judices, tractastis,
Meum dulcem filium
injuste damnastis,
Quem crucis patibulo
mori judicastis.

4a. Vertite judicium
et videte jura,
Creatorem perimit
ejus creatura
Et condemnat dominum
suum morte dura.

* * *

Quod crimen, quae scelera
Commisit, gens effera?
Vincla, virgas, vulnera,
Sputa, spinas, cetera
Sine causa patitur.

4b. Nato, quaeso, parcite,
Matrem crucifigite,
Aut in crucis stipite
Nos simul affigite
Male solus moritur.

* * *

Sed quid prodest, misera
loquor induratis,
Non absolvunt penitus,
quem damnarunt gratis,
Meus Jesus moritur
mundi pro peccatis.

5a. Mi Johannes, proximos
tuos deprecare,
Ut me sinant vulnera
saltem alligare,
Quae vides tam fortiter
sanguine manare.

* * *

Proh dolor,
Jam color
Exstinguitur oris,

5b. Hinc ruit,
Hinc fluit
Unda nam cruoris.

* * *

Non sperabam misera
talia videre,
Sed credebam potius
de Jesu gaudere,
Quem crucis patibulo
video pendere.

6a. Fili, dulcor unice,
Singulare gaudium,
Matrem flentem respice
Conferens solatium.

6b. Pectus, mentem, lumina
Torquent tua vulnera,
Quae mater, quae femina
Tam infelix, tam misera.

7a. Flos florum,
Dux morum,
Veniae vena,

7b. Quam gravis
In clavis
Est tibi poena.

8a. O quam sero deditus,
Quam cito me deseris,
O quam digne genitus,
Quam abjecte moreris.

8b. O quis amor corporis
Tibi fecit spolia,
O quam dulcis pignoris
Quam amara praemia.

9a. Fili, dulcor animae,
respice moerentem,
Vide matrem miseram
paene morientem,
Dum videt tam turpiter
te cruce pendentem.

9b. Fili, dulcor unice,
respice parentem
Et vide discipulum
jam deficientem,
Dum videt te Dominum
suum morientem.

10a. In sero recubuit
supra tuum pectus
Et nunc ita remanet
miser et abjectus,
Patre, fratre, domino
privatur dilectus.

10b. Ubi grex amabilis?
omnes [au]fugerunt
Et timore maximo
furtim abierunt,
Te solum patibulo
crucis reliquerunt.

11a. Ubi grex amabilis?
solus hic remansit
Atque tua vulnera
solus mecum planxit,
Tuus dolor potius
piam mentem transit.

11b. Consolare, domina
magis et regina,
Cur moerore deficis,
stella matutina,
Tuus levat filius
mundum a ruina.

12a. Consolare, genitrix,
et sileto, mei
Quem damnatum conspicis
nunc in forma rei,
Vere nosti filium
verum esse Dei.

12b. Dolet tuus filius
magis te dolente,
Sursum tollit lumina
te respiciente
Et intendit gemitus
tantos te gemente.

13a. Mi Johannes, qualiter
possum consolari,
Dum infelix orbitor
lumine solari
Et sic tantum Dominum
video necari?

13b. Si dolerem adeo,
quod deberem mori,
Nec sic meo penitus
parcerem sic ori,
Nec do, quanta debeo,
carmina dolori.

14a. Utinam sic doleam,
Quod dolore peream,
Nam plus est dolori
Sine morte mori
Quam perire citius.

14b. Detur nunc moestissimae
Corpus vel exanime,
Ut sic minoratus
Cesset cruciatus
Osculis, amplexibus.

15a. Jesus matri loquitur
totus vulneratus:
Cur tam doles, mulier,
ecce tuus natus,
Johannes discipulus,
tibi commendatus.

15b. Postquam Jesus taliter
pia solvit ora,
Virgo matrem virginem
jam ex illa hora
Suscepit in propriam
omni pulsa mora.

16. Qui pro nobis voluit
mortem sustinere,
Non sinat nos misere
ignibus ardere
Sed det suis famulis
secum congaudere.

Miss. Praedicatorum imp. Venetiis 1523. — Vor 12b und 13a ist die Zeile Consolare genitrix wiederholt, gegen Gedankengang und Versmaſs.

96. De Compassione BMV.

1a. Ave, virgo, stella maris,
Septem horis his laudaris,
Laudans Jesum Maria.

1b. Ave, nascens consecraris,
Sacro verbo fecundaris,
Laudans Jesum Maria.

2a. Ave, nocte solem paris,
Votis, donis veneraris,
Lactans Jesum Maria.

2b. Ave, laudes offers Christi,
Circumcisum obtulisti,
Fugans Jesum Maria.

3a. Ave, prolem invenisti,
Post baptismum supplevisti
Vinum Jesu, Maria.

3b. Ave, mira cognovisti,
Coena facta captum scisti,
Caesum Jesum, Maria.

4a. Ave, natum ter negatum
Fles, prolatum, exprobratum
Mane Jesum, Maria.

4b. Ave, latum ad Pilatum,
Hinc delatum scis relatum,
Spretum Jesum, Maria.

5a. Ave, gratum reprobatum,
Accusatum, flagellatum,
Plangis Jesum, Maria.

5b. Ave, sertum fert acutum
Hora tertia, consutum
Spinis Jesus, Maria.

6a. Ave, sacrum os consputum,
Sputo, luto delibutum,
Pallet Jesus, Maria.

6b. Ave, sanctum impollutum
Crucifige vulgus brutum
Clamat Jesum, Maria.

7a. Ave, crucem specularis,
Hora ductum contemplaris
Sexta Jesum, Maria.

7b. Ave, cruci conclavaris,
Telo truci confossaris
Corde Jesu, Maria.

8a. Ave, nato commendaris,
Felle poto sic orbaris
Flente Jesu, Maria.

8b. Ave, constans ac matura
Stas in nona compassura
Passo Jesu, Maria.

9a. Ave, vox, sol, nox obscura,
Verbum, tellus, petra dura,
Tuba, mors sunt signa plura
Necis Jesu, Maria.

9b. Ave, de te trux natura
Tempus nacta partus jura
Jam extorquet cum usura,
Poenas Jesu, Maria.

10a. Ave, Joseph dum precatur,
Hora vespertina datur
Corpus Jesu, Maria.

10b. Ave, sanum sublevatur
Sacrum os, ut lex testatur,
Agni Jesu, Maria.

11a. Ave, latus lanceatur,
Manat sanguis et curatur
Mundi morbus, quo gravatur
Dulcis Jesus, Maria.

11b. Ave, sera vi honoris
Condit corpus redemptoris
Magdalena, fert amoris
Munus Jesu, Maria.

12a. Ave, stella matutina,
Porta fracta tartarina,
Surgit scandens lux divina
Coelo mittens vespertina
Dona Jesus, Maria.

12b. Ave, jubar aulae diae,
Sociata nunc Messiae
Trinae fulgens Jerarchiae
Nos inscribas irae die
Libro Jesu, Maria.

Cant. ms. Tegurinum saec. 15. Cgm. Monacens. 716. — Mel.: Salve mater Salvatoris; daher Sequenz.

97. De Compassione BMV.

1a. Castitatem lilium
Signat per candorem
Sicut et martyrium
Rosa per ruborem.

1b. Candor hic et merito
Cum nota ruboris
Monstrat quasi digito
Matrem salvatoris.

2a. Nam prodit a lilio
Candor pudicitiae
Et a passo filio
Rubor patientiae.

2b. Competenter igitur
Tam rosa quam lilium
Christi mater dicitur
Et est ei proprium.

3a. Candor est ostensio
Virginalis gremii,
Rubor recordatio
Passionis filii.

3b. Ejus enim animam
Pertransivit gladius,
Dum se praebens victimam
Passus fuit filius.

4a. Et sic ut est lilii
Flore decorata,
Sub signo martyrii
Rosae comparata.

4b. Quae nos apud filium
Ita recommendet,
Ut coeleste gaudium
Nobis ac lumen det.

Miss. Ambianense imp. Rotomagi 1506. A. — Miss. Ambianense imp. Parisiis 1529. B. — 4a, 1 Et sic est AB.

98. De Gaudiis BMV.

1. Regina coelorum, gaude,
Inclita coelesti laude.

2a. Gaude, gemma lucida,
Gaude, coeli janua,
Lucens ut lilia,
Florens rosa.

2b. Coeli porta fulgida,
Sola tu salus unica,
O mundi domina,
Tu nos salva.

3a. O pia Maria,
Tota plena gratia,
Fer opem aegros sanando
Daque medelam culpas
indulgendo.

3b. O virgo benigna,
Dei mater es digna,
Per haec tua solemnia
Gaudia nobis dona
perennia.

4a. Coeli gaudet curia
Simul exsultat nunc aula
Qua potentissima regnat
Maria

4b. Ad te corda eleva
Nostra jam tibi devota
Laetitia perfrui fac
superna.

Miss. ms. Lincense Γ p. 17 saec. 12. A. — Miss. ms. Cremifanense 41 saec. 14. add. saec. 15 in. B. — Grad. ms. Claustriburgense 588 saec. 14 in. C. — Miss. ms. Claustriburgense 617 saec. 15. D. — Miss. ms. Voraviense 35 saec. 14. E. — Clm. Monacens. (ol. Superioris Altae) 9508 saec. 15. — Mel.: Victimae paschali CE. — 2a, 1 gemma fulgida BCDE. — 2a, 4 ut rosa ABCD. — 2b, 1 porta lucida BCDE. — 2b, 2 tu solius unica E. — 3a, 2 Tota es plena B; tota plena es CE. — 3b, 3 haec festa paschalia B; haec paschae solemnia E.

99. De Gaudiis BMV.

1a. Gaude Maria,
mater aeterni
regis et filia,

1b. Gaude Maria,
regina coeli
et mundi domina.

2a. Gaude Maria,
omnium
justorum laetitia,

2b. Gaude Maria,
omnium
sanctorum sanctissima.

3a. Gaude Maria,
omni laude
dignissima,

3b. Gaude Maria,
stella maris
lucidissima.

4a. Gaude Maria,
omni plena gratia,

4b. Et a miseria
nos reduc ad gaudia

5. Sine fine permansura,
o pia
theotocos Maria.

Sequent. ms. Arnesti de Pardubic anni 1360. Cod. Capit. Pragens. s. sign. — 4b, 1 sq. Et nos a miseria reduc.

100. De Gaudiis BMV.

1a. Gaude, mater, stirps electa,
Originali non infecta,
Sed expers omni vitio;

1b. Gaude, virgo parens Christi,
Quae per aurem concepisti
Gabrielis nuntio.

2a. Gaude, quia Deo plena
Peperisti sine poena
Cum pudoris lilio;

2b. Gaude quod nunc stella luxit,
Reges ad te dum perduxit
Oblaturos filio.

3a. Gaude, quia tui nati,
Quem dolebas mortem pati
Fulget resurrectio;

3b. Gaude, Christo ascendente
Dum in coelum te vidente
Motu fertur proprio.

4a. Gaude, cujus natus misit
Sanctum pneuma, ut promisit,
Suis in palatio;

4b. Gaude, quae post ipsum scandis
Et est tibi honor grandis
In coelesti solio.

5a. Ubi fructus ventris tui
Per te nobis detur frui
In perenni gaudio;

5b. Gaude, te laus colit dives
Super omnes coeli cives
Singulari merito.

6a. Gaude, decor lucis, polum
Ornas ut diem et solum
Sol illustrat radio;

6b. Gaude, tibi coeli coetus
Paret ut reginae laetus
Te colens obsequio.

7a. Gaude, quod vis Deo placet,
Apud Jesum tibi jacet
Frequens exauditio;

7b. Gaude, Deus te colentes
Hic et in futuro mentes
Digno ditat praemio.

8a. Gaude, quae approximaris
Trinitati, trabearis
Claro carnis pallio;

8b. Gaude semper gavisura,
His in coelis fruitura
Omni procul termino.

9a. Dominatrix supernorum,
Placa regem creatorum,
Ut tuo suffragio

9b. Ejus apud trinitatem
Contemplemur unitatem
In perenni gaudio.

Miss. ms. Capit. Cracoviens. 2 anni 1438.

101. In Assumptione BMV.

1a. Laetare, virgo nobilis,
Dei mater amabilis,
Fecundata mirifice,

1b. Prae cunctis venerabilis
Concepisti ut humilis
Ancilla Christo indice.

2a. Gaude, virgo deifera,
Quia paris puerpera
Christum sine suspirio;

2b. Stupenda sunt haec opera;
Terram regit et aethera
Tuo gestatus gremio.

3a. Tristis pro passo filio
Resurgenti cum gaudio
Congaudes, mater tenera.

3b. Gaudii post occasio
Sua fuit ascensio
Supra coelorum sidera.

4a. Sed post gaudes jucundius
Sublevata sublimius,
Regnatura perenniter.

4b. Nobis ut sit propitius
Tuus dilectus filius,
Virgo deposce jugiter,

5. Hoc precamur alacriter.

Miss. ms. Romano-Franciscan. saec. 14. Cod. Carpentoractens. 107.

102. In Assumptione BMV.

1a. Salve, salutis janua,
Solemnitas annua
Tibi celebratur,

1b. Flosculus sanctitatis,
Dies solemnitatis
Per te iteratur.

2a. Cum jam sis assumpta,
Resumpta
Ad coeli palatia,

2b. Jam rimaris cuncta
Conjuncta
Semota fallacia.

3a. Natus decoravit,
Ornavit,
Sic ipsam disposuit,

3b. Ut coeli reginam,
Dominam
In throno suo posuit.

4a. Quidam ipsam dubitant,
Asserere haesitant
Corpore assumptam,

4b. Sed est incredibile,
Immo impossibile
In terra sepultam.

5a. Cum sit thronus regius,
Thalamus egregius,
In quem rex declinavit,

5b. Cur corrumpi debuit,
Quae domum Deo praebuit
In qua se humanavit,

6a. Corpus gloriosum
Multumque formosum
Nullo modo putruit,

6b. Regis angelorum,
Domini coelorum
Quod hospitium fuit.

7a. Absit, ut hoc credam
quod pars sit putrida quaedam

7b. Ventris virginei,
quae manet aula Dei.

8a. Ipsam deprecemur,
Ut ibi locemur
Cum ipsius nato,

8b. Ubi regnat vere,
Nos velit fovere
In regno beato.

Miss. ms. Capit. Cracoviens. 6. saec. 15 in. A. — Sequent. ms. Dom. Polkowski s. sign. saec. 15 ex. B. — 7a sqq. fehlen B.

103. In Assumptione BMV.

1a. Virgo benignissima,
Mater integerrima,
Regale triclinium,

1b. Ex partu castissima,
Quo plus replet intima
Coeleste mysterium.

2a. O felix puerpera,
Quae regentem sidera
Mundo paris filium;

2b. O beata viscera,
Plena coelo ubera,
Quae rex sugit omnium.

3a. O stella praefulgida,
Supra lunam lucida,
Solis vincens radium;

3b. O columna solida,
Virgo Jesse florida,
Fructum dans et gaudium.

4a. O domus eburnea,
Granum sine palea,
O decus coelestium;

4b. O Engaddi vinea,
O vitta coccinea,
O vita mortalium.

5a. Da nobis propitia
In coelesti patria
Salutem et gaudium;

5b. Tibi laus et gratia,
Sit et Christo gloria,
Decus et imperium.

Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Tolosan. 100. A. — Miss. ms. Card. Rolin saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 114. B — Grad. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. s. sign. C. — Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 115. D. — Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 123. E. — Miss. ms. Aeduense anni 1476. Cod. Semin. Aeduens. 118 bis. F. — 2a, 3 parens. A. — Mel.: Veni sancte spiritus. C.

104. In Assumptione BMV.

1a. In coelesti hierarchia
Jubilus cum symphonia
Festi dat indicia,

1b. Quo Mariae super caelos
Ascendenti canit melos
Coelorum militia.

2a. Hic est dies festus ille,
In quo laudes modis mille
Psallunt mille millia,

2b. Cum te, virgo, Dei mater,
Sic salutat Deus pater:
Felix ave filia.

3a. In amplexus tui nati,
Sponsi tibi praeoptati
Veni, regni praeparati
Fruere deliciis,

3b. Diadema susceptura,
Pacis sceptrum gestatura,
Vitae regnum possessura
Es pro beneficiis.

4a. Tibi datur impetrare,
Pro quocunque vis orare,
Esther o egregia,

4b. Virgam regis osculare,
Gaude semper et laetare
In Assueri regia.

5a. Sponsi vultum contemplare,
Contemplando jucundare,
Jucundando innovare
Donis sancti spiritus.

5b. Mensae regis sociare,
Convivando satiare
His, quae tuus praeparare
Sanxit unigenitus.

6a. Ante thronum majestatis,
Ubi locus voluptatis
Et laetorum canticorum,
Modulare cantica.

6b. Incentivum gaudiorum
Turbis confer electorum,
Praedux antecedens chorum
In choreis virginum.

7a. His nos festis interesse
Ora, stemma clarum Jesse,
Prout nosti purius,

7b. Ne nos hujus vitae triste
Turbet, laetos tecum, Christe,
Perducas securius.

Cod. Palat. Vindobonens. 963. add. saec. 13. A. — Hymn. et Sequent. ms. S. Emmerami saec. 15. Clm. Monacens. 14667. B. — 3b, 4 Es et beneficiis A. — 5a und 5b umgestellt B.

105. In Assumptione BMV.

1a. Orbis totus
Unda lotus
Christiani lavacri,

1b. Ad Mariam,
Matrem piam,
Voce clamet alacri.

2a. Matrem illam,
Quae mamillam
Praebuit altissimo,

2b. Collaudemus,
Decantemus
Cantu jucundissimo.

3a. Mater Dei,
Per quam rei
Redeunt ad veniam,

3b. Seda diram
Clemens iram
Ac refunde gratiam.

4a. Hostes arce,
Servis parce
Tibi supplicantibus

4b. Ac felicem
Genitricem
Dei te fatentibus.

5a. Sis adjutrix,
Dei nutrix,
Christiani populi,

5b. Cujus votis
Ad te totis
Diriguntur oculi.

6a. Natum ora
Et implora,
Ne plebs ejus pereat,

6b. Sed ductrice
Genitrice
Te ad vitam redeat.

7. Dic, dic ei:
Fili Dei
Sed unice
Nate, meus,
Supplicantes respice.

Prosar. ms. Marchianens. saec. 15. Cod. Duacens. 123.

106. In festo Mariae Nivis.

1a. O nive candidior,
Sole pretiosior,
Mundi lux amoena,

1b. Cunctis stirpe clarior
Proleque fecundior,
Virgo Deo plena.

2a. Tu nix, contra vitium
Praestans refrigerium
Vi tui splendoris,

2b. Stilla laborantium,
Stillans Dei filium,
Abyssum dulcoris.

3a. Tu nix missa coelitus
Liquefacta penitus
A solis calore,

3b. Quando pius genitus
Morti fuit traditus
Prae zeli fervore.

4a. Tu nix in vaporibus
Radiis solaribus
Sursum elevata,

4b. Nam a Christi manibus
Secum in coelestibus
Nunc es coronata.

5a. O virgo, quam nobilem
Probat et mirabilem
Nix cadens sub cane,

5b. Fac hanc turbam flebilem,
Tibi commendabilem,
Virgo, frui pane.

Miss. ms. Romano-Franciscan. saec. 14. Cod. Carpentoractens. 107. — Mel. vermutlich Veni sancte spiritus oder Ave virgo virginum.

107. De beata Maria V.

1a. Rosae pulchritudini
Virgo mater Domini
Comparata legitur,

1b. Sicut rosa floribus,
Sic cunctis virginibus
Maria praeponitur.

2a. Rosa profert folia
Rubore vernantia
Per virtutem radii,

2b. Sic Mariae viscera
Rubent propter vulnera
Patientis filii.

3a. Quaedam sunt et lilio
Matri sub mysterio
Dei congruentia,

3b. Decens color niveus
Atque decor aureus,
Folia virentia.

4a. Candore munditia,
Decore prudentia
Figuratur aureo.

4b. Frondosa viriditas
Mira est integritas
In corde virgineo.

5a. Virgo venerabilis,
Flos immarcessibilis
Carnis per munditiam,

5b. Fac nos esse candidos
Et per aurum fulgidos,
Virides per gratiam.

Cod. Parisiens. 3639 saec. 15/16. Unter einer Sammlung Prosen.

108. De beata Maria V.

1a. Sicut pratum picturatur
Et ver veris floribus,

1b. Mater Dei figuratur
Mysticis nominibus.

2a. Haec est nostra Sunamitis,
Nostra tympanistria,

2b. Via vitae, vera vitis
Et cella vinaria.

3a. Haec est sponsa Salomonis,
Fermentatrix femina,

3b. Qua vetusta Pharaonis
Relevatur sarcina.

4a. Haec lucerna paradisi,
Ostium et janua,

4b. Haec vervecis est occisi
Genitrix ingenua.

5a. Haec est scala, qua descendit
Calciata deitas,

5b. Haec est litus, ad quod tendit
Nostrae molis gravitas.

6a. Haec est mundi medicina,
Mundi purgans lolium,

6b. Haec est rosa sine spina,
Castitatis lilium.

7a. Haec est turris, quam vallavit
Incorrupta firmitas,

7b. Haec castellum, quod intravit
Sola verbi veritas.

8a. Haec est scirpea fiscella
Parvulum excipiens,

8b. Haec est parens et puella
Sine patre pariens.

9. Oret natum maris stella,
Ut sit nobis patiens.

Prosar. ms. S. Aldegundis Malbodiens. saec. 13. Cod. Cameracens. 36. A. — Miss. ms. Ebroicense saec. 15. Cod. Ebroicens. 99. B.

109. De beata Maria V.

1a. Ave, dia
Lux, Maria,
Diem reserans,

1b. Ave, pia
Vitae via
Vitam generans.

2a. Tu novella
Mundi stella
Flagrans saeculo,

2b. Veram lucem,
Christum ducem,
Profers populo,

3a. Aeternum radium,

3b. Novellum filium.

4a. Stella solem,
Virgo prolem,
Immensum femina,

4b. Serva regem,
Plasma plasten
Generans domina.

5a. Alma vitis.
5b. Vitam mittis,

6a. Virgo, mortuis
Dans salutis
Dona cernuis.
6b. Illa damna,
Nobis lucra
Tu multiplicas.

* * * * *
* * * * *

Quos primaeva
Necat Heva,
Tu vivificas.
Bona res,
Nostra spes,
Dulcis requies.

7a. Vitae planta, sacri urna,
Manatis bajula,
7b. Verbi porta semper clausa,
Foederis capsula.

8a. Permirandum paranymphum,
Clarum gloria,
Salutaris, praedicaris
Plena gratia.
8b. Qui te fecit, ad te venit,
Deus trinitas,
Tecum manet teque replet
Ejus caritas,

9a. Melior omnibus,
9b. Dulcior cordibus.

10a. O addicta
Benedicta
In mulieribus,
10b. Es dotata,
Comitata
Tantis culminibus.

Cod. Carnotens. 341 saec. 14.

110. De beata Maria V.

1a. Ave, gloriosa
Virginum regina,
Vitis generosa,
Vitae medicina,
Clementiae resina.
1b. Ave, copiosa
Gratiae piscina,
Carnis maculosa
Munda nos sentina,
Munditiae cortina.

2a. Claritate radiosa
Stella matutina,
Brevitate legis glosa,
Per te lex divina
Irradiat doctrina.
2b. Venustate vernans rosa
Sine culpae spina,
Caritate viscerosa,
Aurem huc inclina,
Nos serves a ruina.

3a. Cedrus pudicitiae,
Cypressus puritatis,
Myrrha poenitentiae,
Oliva pietatis,
Tu myrthus lenitatis.
3b. Vitis abundantiae,
Tu palmes honestatis,
Palma patientiae,
Tu nardus caritatis,
Fons hortus voluptatis.

4a. Stilla roris, odor floris,
Vernae novitatis,
Fons dulcoris, vas decoris,
Templum trinitatis,
Compages unitatis.
4b. Stellae decor, placans aequor,
Portus salutaris,
Dulcem precor, ducem sequor,
Parens expers paris,
Maria, stella maris.

5a. O Maria, mater pia,
Sinus poenitentium,
Debilium praesidium,
Columna firmitatis,
Alumna sanctitatis.

5b. O Maria, laude digna,
Jubilus laetantium,
Flebilium solatium,
Medela sanitatis,
Tutela libertatis.

6a. Tu foederis oraculum,
Characteris signaculum,
Itineris vehiculum,
Tu limes aequitatis,
Tu lumen caritatis.

6b. Tu pauperis umbraculum,
Tu miseris latibulum,
Tu sceleris piaculum,
Tu lumen claritatis,
Tu lima pravitatis.

7a. Tu thronus Salomonis,
Praelata coeli thronis,
Tu vellus Gedeonis,
Tu rubus visionis.

7b. Tu thalamus pudoris,
Tu balsamus odoris,
Tu libanus candoris,
Tu clibanus ardoris.

8a. Tu medium discordium,
Connubium amoris,
Humilium refugium,
Remedium languoris,

8b. Consilium errantium,
Auxilium laboris,
Compendium currentium,
Stipendium victoris.

9a. Munditiae tu speculum,
Tu gloriae spectaculum,
Per gratiae miraculum
Es mater salvatoris,
Origo conditoris

9b. Justitiae geraculum,
Laetitiae lyraculum,
Per spiritus spiraculum
Es cella creatoris,
Puella plasmatoris.

10a. Ave, speciosa,
Rutilans aurora,
Nubes pluviosa,
Coelitus irrora,
Cor aridum dulcora.

10b. Ave, gratiosa,
Gratiam implora,
Prece pretiosa
Filium exora,
Adesto mortis hora.

Opp. Gualteri de Cussiaco, Cod. Sem. Suessionens. s. sign. saec. 14. A. — Prosar. ms. Parisiense 3639 saec. 15 ex. B. — 9a, 4 conditoris A. — 9a, 5 fehlt A. — Str. 9b fehlt A. — 10b, 4 implora A. — Nach der Hsch. A ist das Lied ediert von Pouquet, Les Miracles de la sainte Vierge, Paris 1857, S. 735 u. f.; faksimiliert bei Didron, Annales Archéologiques X, p. 154 und 186. Die Versabteilung bei Pouquet ist aber durchaus willkürlich und unrichtig. A hat von 6b, 1 bis 10a, 1 kein einziges Alinea. — Ist Gautier de Coincy Verfasser dieses vereinzelten lateinischen Liedes, das zwischen seinen französischen Gedichten vorkommt? Es ist nicht unwahrscheinlich, obgleich die Hs. von Soissons nicht dem 13., sondern dem 14. Jahrh. angehört, wofür ich auf das Faksimile bei Didron verweise.

111. De beata Maria V.

1a. Ave mater Christi pia,
Orphanorum spes et via
Salutis ad tramitem,

1b. In te relucet sophia
Salomonis, verae quia
Vitae pandit formitem.

2a. Tu gemmarum gemma pura,
Tu flos florum, tu figura
Deitatis mystica,

2b. Castitatis es exemplum,
Deitatis vere templum,
Cedat ars sophistica.

3a. Tu lucerna mundi lucens,
Umbram mortis tu seducens,
Reddens lumen luminum,

3b. Tu regina supernorum,
Imperatrix inferorum,
Gignis numen numinum.

4a. Ergo, mater, tanta laude
Meritorum digna, gaude
Gaudio laetitiae,

4b. Desolatis propinare
Consolamen tu dignare
Post luctum tristitiae.

5a. Naufragantis mundi stella,
Pia pium interpella,
Ut sit memor hominis,

5b. Quem de limo terrae fecit
Et in lapsu vi refecit
Sui sancti nominis.

6a. Vacillando perit mundus,
Quem seductor tremebundus
Irretitum jugulat,

6b. Et seducens fraudulenter,
Docens irritat licenter,
Poenas poenis cumulat.

7a. Haec miserta vide, pura
Christi mater, et procura,
Ne praedatur misera

7b. Tui nati plasmatura,
Et leonis os obtura
Mergentis in infera.

8a. Per te sacrosanctus sanguis
Lavet, quod immundus anguis
Maculavit zemate,

8b. Caro mundet et mundatos
Duc nos inter approbatos,
Tuo riga dogmate.

9a. O Maria, tuae laudi
Decantantes nos exaudi
Commendans memoriae,

9b. Nos a culpis expiare,
Expiatos recreare
Spe perennis gloriae.

Cant. ms. Tegurinum saec. 15. Cgm. Monacens. 716.

112. De beata Maria V.

1a. Salve, mater o serena,
Via morum, vitae vena
Cellaque vinaria.

1b. Ave, sacra Christi coena,
Imbre gratiarum plena,
Cordis rigans atria.

2a. Lava maculis obscena
Et nudata tege lena
Dans virtutum pallia,

2b. Volat inter nos Sirena,
Sua transfundens venena
Serpens ex invidia.

3a. Et cruenta nos hyena
Lacercare cum leaena
Festinat insania.

3b. Restat jam necesse, frena
Ut imponas, et effrena
Mox sopitur furia.

4a. Ex te pura non carena
Vina profluunt lagena
Reos confortantia,

4b. Gestans aurea patena
Christum, ne sis aliena
Nobis in angustia.

5a. In te deficit camoena
Vi doloris philomena,
Dum in cruce propria

5b. Nostri pallet regis gena,
Nulla cujus pergamena
Capiunt insignia.

6a. Arca salvans haec terrena
Pia mortis prece poena
Esto nunc propitia,

6b. Mentis visumque verbena
Redde clarum, ne Sirena
Sua nos malitia

7a. Interceptos in sagena
Subito gravi catena
Trahat ad supplicia.

7b. Solve culpae nos habena
Tuaque virtute, mena,
Fuge nunc daemonia.

8a. Et jumenta nos egena
Bene pascens cum amoena
Gratiae fac pingnia.

8b. Raro terra dat tricena
Vel crementa sexagena
Fructus, sed egregia

9a. Iam pertingis ad millena,
Dum exsuperas centena
Coeli ferens pluvia

9b. Christum, qui coelesti coena
Reficit nos agni, foena
Paulatim arentia.

10a. O virgo calcans haec caena
De manu velut murena
Utique labentia,

10b. Recte civis Nazarena.
Ne rex turba cum bissena
Damnet in vindemia,

11a. Da servare Dei dena
Nos praecepta per septena
Spiritus donaria.

11b. Insuper nos ab arena
Mundi transfer, ubi trena
Nunquam est, sed gloria

12. Et suavis cantilena
Beatorum per amoena
Resonet in patria.

Miss. ms. Rotomagense saec. 15. Cod. Rotomagens. 285. — Cod. Parisiens. 3639 saec. $^{15}/_{16}$. B. ausdrücklich als Prosa bezeichnet. B. — Akrostichon: Salve regina misericordie.

113. De beata Maria V.

1a. Virgo, sancti spiritus
Illustrata coelitus
Sacrae lucis radio,

1b. Virgo vitam germinans,
Evae luctum terminans,
Mundum replens gaudio.

2a. Consolatrix optima,
Cum peccatrix anima
Mortis jugo premitur,

2b. In labore requies,
In aestu temperis
Per te dari creditur.

3a. Virgo beatissima,
Munda cordis intima
Tibi supplicantium,

3b. Fac in Christi nomine
Nos repleri lumine
Fugans omne noxium.

4a. Lava, quod est sordidum,
Riga, quod est aridum,
Sana, quod est saucium;

4b. Flecte, quod est rigidum,
Fove, quod est frigidum,
Rege, quod est devium.

5a. Da nobis fidelibus
In Christo credentibus
Optatum subsidium;

5b. Da virtutis meritum,
Per salutis exitum
Da perenne gaudium.

Miss. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Rotomagens. 279. — Mel. natürlich: Veni sancte spiritus, dem 2a, 1; 2b, 1 u. 2; 3a, 2 sowie Str. 4a u. b wörtlich entlehnt sind.

114. De beata Maria V.

1a. Virgo munda et fecunda,
Pulchra super omnia,

1b. Fragrans ultra universa
Pigmenta et balsama,

2a. Pollens supra coeli clara
Angelorum agmina,

2b. Audi nostra quae depromit
Tibi vox precamina.

3a. Aufer maesta et infesta,
mala tolle omnia,

3b. Ut possimus tecum laeti
Possidere coelica.

4. Et cantare voce clara
Nato tuo praeconia.

Miss. ms. Carnotense saec. 14. Cod. Carnotens. 509. A. — Miss. ms. Ebroicense saec. 15. Cod. Ebroicens. 99. B.

115. De beata Maria V.

1a. Veni, mater veniae,
Venialis gratiae
Venam nobis aperi;

1b. Veni, virgo virginum,
Placa lumen luminum,
Culpas nostras operi.

2a. Dominaris, domina,
Munda mundi crimina,
Emundatrix criminum;

2b. Serva servos miseros,
Fac de servis liberos,
Liberatrix hominum.

3a. Regis regum regia,
Rege nos per maria
Mundi vitae devia;

3b. Inquietos corrige,
Mansuetos dirige,
Superbos humilia.

4a. Juva pusillanimes,
Tempera magnanimes,
Desolatos refove;

4b. Haereses mortifica,
Fideles multiplica,
Infideles remove.

5a. Rosa nostri generis,
Genus Adae veteris
Deo reconcilia,

5b. Ut de domo carceris
Educti cum superis
Laetemur in gloria.

Miss. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Rotomagens. 179. — Mel. natürlich: Veni sancte spiritus.

116. De beata Maria V.

1a. Auster, veni, perfla mentem
Et accende torpescentem
Aquilonis frigore,

1b. Surge, torpor aquilonis,
Novo rore, novis donis
Fecundato pectore.

2a. Lingua torpens relaxetur
Et in laudem excitetur
Venerandae virginis,

2b. Ut laus digna detur ei,
Quae non tantum mater Dei
Sed Dei et hominis.

3a. Inter matres nulla talis,
Quam character virginalis
Nec post partum deserit,

3b. Virgines mirentur matrem
Virginem, quae prolis patrem
Virum non cognoverit.

4a. Admiremur et nos mundam
Genitricem, sed fecundam
Veneremur virginem,

4b. Mundam a contactu viri,
In qua constat couniri
Verbo patris hominem.

5a. Ergo, virgo mater Dei,
In qua summa nostrae spei
Consistit et veniae,

5b. Regem nostrum, tuum natum,
Redde nobis hic placatum
Nos reformans gratiae.

6a. Ut, qui consors nostrae sortis
In cruce pro nobis mortis
Pertulit angustias,

6b. Suae nobis deitatis
Et aeternae claritatis
Conferat delicias.

Grad. ms. Ratingense saec. 13/14. Clm. Monacens. 10075. A. — Miss. ms. Novesiense saec. 15. Cod. Parisiens. 12063. B. — Mel.: Virginalis turma sexus.

117. De beata Maria V.

1a. Templum pudicitiae,
Nova stella maris,

1b. Naufraganti lux viae,
Portus salutaris.

2a. Per te sol justitiae,
Lapis angularis,

2b. Nos coaptet gloriae,
In qua gloriaris.

3a. Roga patrem filia,
Placa mater filium,

3b. Cum dulci melodia
Tibi vox psallentium

4a. Per tua subsidia
Dari poscit bravium,

4b. Quod non tollat dulia
Nec demergat vitium.

5a. Efficaci tua prece
Omni nos emunda faece.

5b. Sic collaudet te vox chori,
Ut coaptet se cor ori.

Miss. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Rotomagens. 279.

118. De beata Maria V.

1a. Stella maris luminosa,
Virga florens et frondosa,
Quam rigavit copiosa
Deitatis gratia,

1b. Ex regum stirpe formosa
Orta fulget generosa
Virgo prudens et formosa,
Trinitatis gloria.

2a. Ab aeterno ordinata,
Mente patris occultata,
Multis signis figurata
Mira providentia.

2b. Nunquam fuit maculata
Sed sancta priusquam nata
Et ab angelis servata
Magna diligentia.

3a. Sunt impleta vota grata,
Dum in templo est oblata
Jugiterque mancipata
Divino servitio.

3b. In aetate designata
Voce coelitus delata
Casto Joseph fit sponsata
Stupendo indicio.

4a. Salvatorem generavit,
Unde justus vir expavit,
Sciens, quod non reservavit
Virginalem clausulam.

4b. Bene tamen reservavit
Arcanum nec divulgavit,
Sponsam sed magnificavit
Tantae prolis gerulam.

5a. O Maria, singularis
Mater, thori expers maris,
Verum Deum laeta paris
Pariter et hominem.

6a. Gloriosa imperatrix,
Tu es nostra mediatrix,
Divinorum dispensatrix
Bonorum largissima.

7a. Ergo dulcis et benigna,
Omni semper laude digna,
Tuo nato nos consigna
Pia per suffragia.

5b. Hinc beata praedicaris
Et a cunctis veneraris
Super summumque locaris
Seraphicum ordinem.

6b. Tu reorum excusatrix,
Miserorum consolatrix,
In agone confortatrix
Et spes es certissima.

7b. Ut carnali, qua gravamur,
Compede sic absolvamur,
Ut soluti transferamur
Ad coeli palatia.

Grad. ms. Aquicinctense saec. 15/16. Cod. Duacens. 124.

119. De beata Maria V.

1. Castae matris ante thorum,
Qua lactatur rex coelorum,
Attollamus gaudia.

2a. Salve virgo, stirps beata,
Partu crucis instaurata
Rerum sunt primordia.

3a. Juga legis quos premebant,
Ad te vota suspendebant
Planctus et suspiria.

4a. Templum tandem majestatis
Pulsos primae dignitatis
Ducis ad palatia;

5a. Verbo feta, partu laeta,
Nobis datum profert natum
Genitricum gloria.

6a. Stella felix, felix ortus,
Cujus ductu vitae portus
Patet pulsis patria;

7a. Per te salvi te collaudent,
Per te detur, quod non audent
Preces et mens conscia;

2b. In salutem praeparata,
Desperatis spes obtata,
Aegris dans remedia.

3b. In tormentis tibi flebant,
Te lamentis requirebant
Captivorum agmina.

4b. Thymiama sanctitatis,
Dans odorem suavitatis
Perfudisti saecula.

5b. Omni laude digna, gaude,
Stella maris, sol, quem paris
Mundum replet gratia.

6b. Per quam triste perit pactum,
Hostis cadit jus confractum,
Fortis ruunt atria.

7b. Quos reatus causa premit,
Tuo nato, quos redemit,
Offer et concilia.

Miss. ms. Secoviense saec. 12. Cod. Graecens. 417. A. — Miss. ms. Secoviense saec. 12. Cod. Graecens. 479. B. — Miss. ms. Lincense Γ p. 17 saec. 12. G. — Miss. ms. Palat. Vindob. 13314. saec. 11. add. saec. 13. D. — Miss. ms. Claustriburgense 71 saec. 15. E. — Miss. ms. Gottwicense 432. saec. 15. F. — Nach 7b hat F noch folgenden Schlufsschoral:

Nos ex hac vita migrantes
miserator, sponsae suae
et matri nostrae, jungat
coelesti Jerusalem.

120. De beata Maria V.

1 a. Salve, sancta puritas,
Salve, pura sanctitas,
Salve, virgo virginum;

1 b. Salve, fumi virgula,
Salve, vitae regula,
Salve, salus hominum.

2 a. Tu restauras perdita,
Tu pandis abscondita,
Tu das nocti terminum;

2 b. Per te justis gratiam,
Per te reis veniam
Dat oblitor criminum.

3 a. Coelo terram foederas,
Dum gigantem generas
Geminae substantiae;

3 b. In te dives pauperi
Junctus nos a veteri
Culpa reddit veniae.

4 a. Ex anxata nascitur,
A quo prius mittitur
Ipsa, sol justitiae.

4 b. Nocti finem posuit
Luxque solem genuit,
Quae refulget hodie.

5 a. Haec fugavit bestias
Et solvit calumnias
Antiquae discordiae;

5 b. Haec serenum conferat,
Nato preces offerat
Psallentis ecclesiae.

Brev. ms. S. Sepulchri Cadomensis saec. 14. Cod. Parisiens. (Arsen.) 279. — 2 b, 3 Das oblictor criminum. — Mel. = Veni sancte spiritus.

121. De beata Maria V.

1 a. Salve, salus ecclesiae,
Maria, flos munditiae,
Omni carens macula;

1 b. Mater misericordiae,
Inimica discordiae,
Summae pacis bajula.

2 a. Salve, sidus singulare,
Salve, sanctum luminare
Super coelos emicans,

2 b. Sidus nobis salutare,
Deviatis per hoc mare
Vitae portum indicans.

3 a. Salve, sidus eximium,
Sidus, per cujus radium
Nobis datur gratia;

3 b. Sidus, cujus incendium
Inflammat mentes mitium
Et consumit vitia.

4 a. Salve templum trinitatis,
Specialis dignitatis
Pollens privilegio,

4 b. Fons exundans pietatis,
Viae, vitae, veritatis
Veneranda mansio.

5 a. Salve, sublimis civitas,
Quam plene replet claritas
Lucis admirabilis,

5 b. In qua turris humilitas
Et virginalis castitas
Murus invincibilis.

6 a. Salve, digna, Deo plena,
Vivax verae vitae vena,
Vitam portans hominum,

6 b. Paradisi per amoena
Pia, potens et serena
Choros ducens virginum.

7 a. Salve totis praecordiis,
Quae tot et tantis radiis
Tam praeclare radias,

7 b. Suavis in deliciis,
Emunda nos a vitiis
Dans veras divitias.

Miss. ms. Rotomagense saec. 14. Cod. Rotomagens. 277.

122. De beata Maria V.

1a. Pulsa labe cordium
Reddamus servitium
Tibi, virgo nobilis,

1b. Nam si desit vitium,
Vox erit psallentium
Magis acceptabilis.

2a. Ad te jure fugimus,
Ex qua panis azymus
Nos reformans prodiit;

2b. Per Evam amisimus
Vitam sed recepimus,
Unde vita rediit.

3a. Qui se sentit saucium,
Affectans remedium
Sibi dari gratiae,

3b. Te quaerat non alium,
Quae portasti pretium
Salutis ac veniae.

4a. Ex te, virgo, genitus
Nostros per te gemitus
Convertit in gaudium,

4b. Ut a nobis penitus
Sit error depositus
Per tui suffragium.

5a. Mala nostra superet
Vox tua nec oneret
Te clamor precantium,

5b. Nam ut homo fieret
Ac peccata tolleret
Perperisti filium.

6a. Funde preces filio,
Nam tua subventio
Peccatores expiat,

6b. Fac, ut pulso vitio
In coeli palatio
Nos secum suscipiat.

Prosar. ms. Franciscan. saec. 14. Cod. Parisiens. 1339. A. — Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. B. — 5b, 1 Jam B.

123. De beata Maria V.

1a. Virgo mitis, mater pia,
Florens, fraglans o Maria
In coelesti patria;

1b. Jubar mundi, fons hortorum,
Interventrix peccatorum
In virtutum atria.

2a. Rosa coeli singularis,
In procellis stella maris,
Dona portum gloriae;

2b. Grata virga Assueri,
Gratus scyphus Joseph veri,
Reple potu gratiae.

3a. Ortae spicae Pharaonis
Te refertam septem donis
Designant veraciter;

3b. Mater veri Salomonis,
Madens vellus Gedeonis,
Riga mentes jugiter.

4a. Ardens rubus incombustus,
Ad te currit omnis justus
Illustratus lumine;

4b. Roga Jesum ex te natum,
In salutem mundo datum,
Ut nos ditet flamine.

5a. Jucundaris et laetaris
Et cum sanctis gloriaris
Plena Dei gratia;

5b. Ave sponsa o beata,
Super choros exaltata
Angelorum domina.

6a. Esto nostra advocata
Caritate tota lata
Stellato palatio,

6b. Sursum ducas, o Maria,
Nos ad Christum, qui est via,
Vita sine spatio.

Miss. ms. Lambacense CLXXIX saec. 14. Mit Mel. — 1b, 4 Virgo vitis.

124. De beata Maria V.

1 a. Mater sancta, mater Dei,
Tibi laudes servi rei
Vere digne solvimus;

1 b. Audi, vide preces, vota,
Tibi voce, mente tota
Vere digne canimus.

2 a. Per te namque pignus illud
Gratiae, pacis, salutis
Credentes accepimus,

2 b. Quod promissum desperatis
Per te missum liberatis
Ore, corde sumimus.

3 a. Hoc in Eden vitae ligno,
Hoc in arcu Noe signo,
Hoc in virga Aaron,

3 b. Hoc agno redemptionis,
Hoc in cornu unctionis
Signat tetragrammaton.

4 a. Quod ructatum corde patris,
Caro factum ventre matris,
Verbum in principio

4 b. Tenet scriptum fides clara,
Testamentum, pacis ara,
Crucis in novissimo.

5 a. Ergo, mater, pactum pacis
Serva salvum filiis
Tanto pretio redemptis;

5 b. Ecce manna, ecce calix
Tibi gloria, salus nobis
Tanto pretio redemptis.

Miss. ms. Lincense *Γ* p. 17. saec. 12.

125. De beata Maria V.

1 a. Mariae virginitas,
Fides et humilitas
Nobis sint in speculum,

1 b. Cujus summa sanctitas
Velut solis claritas
Illuminat saeculum.

2 a. Cujus mentis puritas
Votique primaevitas
Exemplant diluculum,

2 b. Pudoris integritas
Partusque nobilitas
Cristalli umbraculum.

3 a. Cujus viget firmitas
Nec perit frigiditas,
Cum parit igniculum:

3 b. Ita parit castitas
Nec frangit fecunditas
Pudoris signaculum.

4 a. O fidei dignitas,
Cujus sorbet veritas
Erroris crepusculum,

4 b. Cujus non adversitas,
Crux aut mortis feritas
Obscurant carbunculum.

5 a. O felix humilitas,
Ad quam flectit trinitas
Pietatis oculum,

5 b. Cujus tenens semitas
Matris hausit caritas
Deitatis osculum.

6 a. O virtutis entitas,
Gratiae totalitas,
Morum perpendiculum,

6 b. O virtutum civitas,
In qua sibi deitas
Fecit habitaculum.

7. Nos ad vitae ferculum
Post mortis articulum
Tua ducat pietas.

Miss. ms. S. Petri Insulens. saec. 16. Cod Insulens. 25. — 2 b, 3 Cristali. — 5 a, 2 quam felix trinitas.

126. De beata Maria V.

1. Laus tibi, virgo Maria,
Mater salvatoris
Atque redemptoris

2a. Coeli, terrae,
Maris, angelorum
Et hominum;

2b. Tibi ferre
Laudes dignas doce
Nos carminum.

3a. Sicca stirps Jesse
Dans florem
Te sanctam innuit

3b. Virginis esse
Decorem
Quae Christum genuit.

4a. Te Gedeonis
Velleris donum
De caelo
Impregnari et docuit.

4b. Dat Salomonis
Te Christus thronum,
Dum velo
Tuae carnis se induit.

5a. Sic virgo parturis,
Ut in flamma Moysi
Rubus stans viruit.

5b. Tua vox turturis,
Quae in aure Domini
Dulcis insonuit.

6a. Vernans ut lilium
Convallium
Lactando filium
Non alium
Mamilla
Rorante
Nectar coeleste
Et coelorum Dominum.

6b. Verum consilium
Magnalium
Fit in auxilium
Mortalium,
Sibilla
Testante
Carnis in veste
Venit judex hominum.

7a. Tu fons signatus
Es, Dei mater,
Immunis ad nubila.

7b. Qui de te natus,
Est tibi pater,
Tu virgo filia.

8a. Cordis dulcedo
Quae tibi potest crescere
De tali commercio!

8b. Constanter credo,
Quod sanctos omnes praemines
Tam sancto mysterio.

9a. Hinc Salomon clariorem
Te stellis
Et sole praedicat,

9b. Dum tu stella paris solem,
Dum solis
Te splendor amictat.

10a. Tu nubes
Manna pluens
Christum sequentium
Per baptismi fluctus
Ad cohortis
Angelicae gaudium.

10b. Tu rupes
Melle fluens
Terrae viventium,
Ventris tui fructus
Dum fit mortis
Medela credentium.

11a. Ezechielis
Porta jugiter serrata
Tu mater es castissima.

11b. Vox Gabrielis
Portans coelica mandata
Confirmat haec verissima.

12. Regina mundi, Maria,
Excusa peccatorum
Nostrorum
Distermina
Et da coelorum gaudia.

Grad. ms. Pragense VII A 13 saec. 16. Zweimal A u. B. — Mel.: Psallite. — 1, 1 sq. Ave virgo genitrix nostri B. — 2 a u. b: Coelum, terram, mare, angelorum [sic] et homines Qui creavit, tu digna es, ut pareres. — 3 a, 1 Virgula Aaron. — 5 a, 1 Hic virgo A. — 6 b, 1 sq. Vatum priscorum vaticinium B. — 9 a Hinc ceteris clariorem te sanctis fideles praedicant. — 9 b, 1 Cum tu virgo B. — 12, 1 sq. Jesu, rex nate virginis, miserando miseris dele nostra crimina et da coelorum gaudia B.

127. De beata Maria V.

1 a. Ave, virga, virgo Jesse,
Tui pia fac nos esse
Consortes incendii;

1 b. Ave, virgo, virga throni,
Dans de petra Gedeoni
Flammam sacrificii.

2 a. Ave, virga summi ducis,
Aquam de petra producis
Sitienti populo;

2 b. Ave, virga tollens luctum,
Florem profers atque fructum
Clauso ventris vasculo.

3 a. Virga vigil, natum Deum
Vigilantem contra reum
Praevenire crederis;

3 b. Virga praeter quam ferendum
Nil in via, nil quaerendum,
Nam tu cuncta suggeris.

4 a. Ave, virga, quae procedis
In conspectu summi sedis
Ut fumus aromatum;

4 b. Virgo, virga tam fecunda,
Ubertate nos fecunda
Tantorum charismatum.

Miss. ms. Rotomagense saec. 14. Cod. Rotomagens. 277. Mit zweistimmiger Melodie.

128. De beata Maria V.

1 a. Ave, virgo gloriosa,
Virga florens et frondosa,
Vitae salutifera,

1 b. Res miranda, coeli rore
Castitatis salvo flore
Virgo fit puerpera.

2 a. Nutu patris divinitus
Irrigavit paraclitus
Clausi horti lilium,

2 b. Quo perfusa virginitas
Parit casta fecunditas
Verae lucis radium.

3 a. Jesse ex origine
Atque Sion germine
Stella Jacob oritur,


3 b. Ex Maria virgine
Conspirante flamine
Verbum Dei nascitur.

4 a. Rubum ignis inflammavit,
Virga florem germinavit,
Vellus rore maduit.

4 b. Virgo Deum paritura,
Creatorem creatura,
Rore coeli claruit.

5 a. Veluti solus radius
Subtile et integrius
Specular ingreditur,

5 b. Sic matrem Dei filius,
Immo multo subtilius,
Intrat et egreditur.



6a. O Maria, templum Dei,
Scala coeli, salus rei,
Mundi spes et gloria,

6b. Pro indignis dignum digna
Natum ora, o benigna.
Virgo, Sion filia.

Prosar. ms. Laudunense saec. 12. Cod. Laudunens. 263.

129. De beata Maria V.

1a. Ave, stella parens solis,
Ave, virgo fructu prolis
Fecundata coelitus,

1b. Rosa vernans, stirps electa,
Terra ferox et humecta
Rore sancti spiritus.

2a. Notus Deus in Judaea,
Homo natus est in ea,
Spes communis omnium;

2b. Vervex nobis ille datur,
Qui pro Isaac mactatur
Dulce sacrificium.

3a. Sine succo, sine rore
Viret virga dans cum flore
Novae fructum gratiae,

3b. Dulcem nucem, veram lucem,
Pium regem, rectum ducem
Ad quietem patriae.

4a. Fracta fuit legis vena,
Jam aperta, jam serena
Signa fiunt vetera;

4b. Noctem fugat lux amoena
Per lucernam in lagena,
Jonae marcet hedera.

5a. Jam aufertur sceptrum Juda,
Synagoga sedet nuda
Scisso legis tegmine,

5b. Tange lyram, sona laudes,
Tu, qui Christum natum gaudes
Ex Maria virgine.

6a. Umbra sumus faexque fimus,
Pressi malis jam perimus,
O Maria, nisi simus
Tuis tuti precibus;

6b. Mater vera regis veri,
Potes, si vis, nos tueri;
Praesta nobis promereri
Locum in coelestibus.

Miss. ms. bibl. Rossianae saec. 13 et 15. add. saec. 13.

130. De beata Maria V.

1. Ave, stella matutina,
Plena gratia divina.

2a. Ave, sponsa grata Deo,
Tecum Deus, tu cum eo.

2b. Benedicta parens Christi,
Virgo Deum peperisti.

3a. Gaude, felix et beata
Sponsa Deo consecrata,
Virgo verbo gravidata,
Sed non gravis aut gravata.

3b. Gaude, virgo mater Christi,
Quae non nupta concepisti,
Non corrupta peperisti,
Illibata permansisti.

4a. Verbo patris inspirata,
Tu rubus es inflamata,
Quasi vellus irrorata,
Quasi tellus instillata.

4b. Nulla prior nec secunda
Tali prole nec fecunda,
Nulla certe sic intacta
Sine viro mater facta.

5a. Ergo sponsa specialis,
Cui nulla coaequalis,
Fac nos licet inaequales
Sponso tuo consodales.

5b. Sponsa tota laetabunda,
Tota pulchra, clara, munda,
Fac nos claros et pudicos,
Sponso caros et amicos.

6a. Fac nos quamvis peccatores
Sponsi tecum sectatores,
Fac nos tuos laudatores
Sponsi tecum amatores.

6b. Sponso tecum occurrentes
Tamquam virgines prudentes,
Una sponsa tecum simus
Uni sponso, quem sitimus.

7a. Una simus uxor agni,
Una sponsa regis magni,
Una Rachel sive Lia,
Una Martha seu Maria.

7b. Sponsae cultum aemulantes,
Sponsi vultum speculantes,
Sponsae cultu sociemur,
Sponsi vultu satiemur.

Grad. ms. Claustroneoburgense 588. saec. 14.

131. De beata Maria V.

1a. Ave, sole clarior,
Globo lunae pulchrior
Cunctisque sideribus,

1b. Amplexaris filium,
Quem vox laudat omnium
Psalmis, hymnis, precibus.

2a. Ave virgo Maria,
Cujus ex memoria
Mira fit suavitas.

2b. Haec vox mel est faucibus,
Haec vox melos auribus,
Haec vox cordi claritas.

3a. Ave, pratum floridum,
Quod efficit gravidum
Auster sancti spiritus;

3b. Qui dum perflat leniter.
De te mirabiliter
Flos est vitae genitus.

4a. Ave, Sion filia,
Regis tui gloria
Resultans alacriter,

4b. Nostri cordis organum,
Nostrae carnis tympanum
Modulare dulciter.

5a. Ave, cum qua coelitus
Omnis Deo spiritus
Decantat Alleluja:

5b. Honor tibi virgini,
Patri, nato, flamini
Sit virtus perpetua.

Miss. ms. S. Martini Turonens. saec. 15. Cod. Turonens. 195. A. — Miss. Suessionense imp. Parisiis. 1516. B. — Miss. Fontrebaldense imp. Parisiis. 1534. C. — Str. 4b und 5a umgestellt C.

132. De beata Maria V.

1a. Ave, stella marium,
Maria, spes tristium,
Specula consilii,

1b. Organum laetitiae,
Lucerna miseriae,
Conclave subsidii.

2a. Orbis sustentaculum,
Coeleste spectaculum,
Gratiarum legio,

2b. Ut matris et virginis,
Sic Dei et hominis
In te nupsit unio.

3a. Amor vincens omnia,
Tua flexum gratia
Dei vicit filium,

3b. Verbum carnem faciens
Et vitam trajiciens
Ad usus mortalium.

4a. Tam alta, tam humilis,
Ad texendum habilis
Tanti pacti fibulam;

4b. Terrae ligas aethera,
Sursum trahis infera
Per mirandam copulam.

5a. Trahe nos, o domina,
Non tam per certamina
Quam gratis ad bravium,

5b. Et quem pro memoria
Tenes inter brachia,
Dona nobis filium.

Miss. ms. S. Amandi saec. 14. Cod. Valentinianens. 111.

133. De beata Maria V.

1a. Ave, regina coelorum,
Mater regis angelorum,
Ave, spes credentium;

1b. Ave, gemma lucens morum,
Ave, decus orthodoxorum,
Ave, candens lilium.

2a. In salutem mundo daris,
Regum ramis procrearis,
Patrum mores imitaris,
Abrahae fidem sectaris.

2b. Sic devotio Josiae
Et cor tectum Ezechiae
Salomonisque sophia
In te praefulget, Maria.

3a. Dum angelus te salutat,
Jus in te natura mutat,
Concipis ordine miro
Non commixta viro.

3b. Terris pax donatur,
Vetus culpa relaxatur,
Adae pro comesto pomo
Dum Deus fit homo.

4a. Audi, vide, senti mirum,
Haec, quae nunquam novit virum,
Nato Deo stat onerata
Virginitate conservata.

4b. Natum fetum fert ad templum
Matrum nostrorum ad exemplum,
Videt senex, quod praestolatur,
In pace dimitti precatur.

5a. O stella maris,
Vagientem Christum consolaris,
Patienti contristaris,
Resurgenti conlaetaris,
Ascendentem contemplaris.

5b. Non habens aequalem
Vitam finis temporalem,
Portam subis aeternalem,
Thronum scandis specialem,
Es regina Hierusalem.

6. Ergo nostri memorare,
Natum tuum deprecare,
Ut ad dextris velit nos locare,
Dum coeperit saeclum judicare.

Grad. ms. Dominican. saec. 14. Cod. Oenipontanus 710.

134. De beata Maria V.

1a. Ave, mater gratiae,
Virginale speculum,
Hortulus clementiae,
Reorum refugium.

1b. Pietatis rivulus,
Quo manat remedium
His, qui pro criminibus
Merentur supplicium.

2a. Maria, considera,
Cui refrigerio
Tuum pectus, ubera
Dedisti cum gremio.

2b. Huic ergo impera
Matris privilegio,
Ne post carnis funera
Nos reddat supplicio.

Grad. ms. Franciscan. saec. 14. Cod. Pragens. I E 12.

135. De beata Maria V.

1a. Ave, mater Domini,
Per quam salus homini
Facta est et gratia,
Maria.

1b. Tu finis miseriae,
Fons misericordiae,
Redundans cum gloria,
Maria.

2a. In te matre virgine
Cum divino germine
Stat flos castitatis,
Maria.

2b. Plena vena veniae,
Ortus portus gratiae,
Sinus pietatis,
Maria.

3a. Tu tutum praesidium,
Securum refugium,
Maria

3b. Defende nos ab hostibus
Et malis incursibus,
Maria.

4a. Merge metum, terge fletum
Vere poenitentium,
Maria.

4b. Quo consortes fiant sortis
Tibi congaudentium,
Maria.

Miss. ms. Voraviense 6. saec. 15.

136. De beata Maria V.

1a. Ave, mater Domini,
Flos odoris gemini,
Virgo mater unica,

1b. Fons signatus gratiae,
Hortus pudicitiae,
Sera clausa diceris.

2a. Ave, lumen luminum,
Ave, salus hominum,
Paradisi janua,

2b. Terge sordes sanguinum.
Laxa scelus criminum,
Exoratrix strenua.

3a. Flecte, mater, filium
Et serpentis impium
Caput, virgo, contere;

3b. Da rorem vivificum,
Imbrem posco coelicum,
Da salutem dexterae.

4a. Desperantes erige,
Fluctuantes dirige,
Stella salutifera,

4b. Sana nostra vulnera,
Purga carnis vitia,
Praesta matris ubera.

5a. Tui prolem uteri
Nobis monstra, veteri
Depulsa caligine;

5b. Da videre faciem
Ipsius post speciem
Novo mentis lumine.

Miss. ms. Monacense 23275. saec. 13. — Mel. wahrscheinlich: Veni sancte spiritus. — 2b, 2 Laxa criminum Hs.

137. De beata Maria V.

1a. Ave, mater genitoris,
Via vitae, vas decoris,
Lilium munditiae,

1b. Stella maris, sol splendoris,
Veri virgultum amoris,
Paradisus gratiae.

2a. Ardet rubus caritatis,
Puritas non laeditur,
Dum limus humanitatis
Deitati jungitur.

2b. Vellus rore pietatis
Perfusum nunc cernitur,
Partus mirae novitatis
Ex Maria nascitur.

3a. Renovatur creatura
Mente, factori factura,
Miratur rerum natura,
Virga floret regia.

3b. O miranda celatura,
Mater manens virgo pura,
Deus homo, legis jura
Pandis singularia.

4a. Fons misericordiae,
Rosa claritatis,
Aurora laetitiae,
Manna sanitatis,

4b. Da pigmenta gratiae,
Cella sanctitatis,
Portans sceptra gloriae,
Templum trinitatis.

5a. Summis donis decorata,
Super coelos sublimata
Sanctorum rosario,

5b. Virgo Deo dedicata,
Duc nos ad regna beata
Cum dilecto filio.

Miss. ms. Capit. Olomucens. 50. saec. 15.

138. De beata Maria V.

1a. Ave, maris stella,
Verbo Dei cella,
Singulare lilium,

1b. Mater et puella,
Patrem interpella
Pro nobis et filium.

2a. Sumens illud ave
Gratum et suave
Gabrielis nuntio,

2b. Nos in pace funda
Nosque prece munda
A mundi contagio.

3a. Solve vincla reis,
Profer lumen eis,
Qui sunt in caligine;

3b. Mala nostra pelle
Et lapsos evelle
Sordium voragine.

4a. Monstra te esse matrem
Et exora patrem,
Fons misericordiae,

4b. Ut nostros reatus
Donet ex te natus
Nobis dono gratiae.

5a. Virgo singularis,
Tu quae prolem paris
Sine viri semine,

5b. Nos culpis solutos
Mites fac et tutos
Mortis in examine.

6a. Vitam praesta puram,
Vitam da securam,
Omni plenam gaudio,

6b. Ut Jesum videntes
Simus congaudentes
Coelesti consortio.

7a. Sit laus Deo patri,
Laus reginae matri,
Laus sacratae virgini.

7b. Laus sit tibi, nate,
Ut proli beatae,
Laus sit sancto flamini.

8a. Sit laus trinitati,
Laus sit unitati,
Tribus laus sit sedula,

8b. Quibus par potestas,
Aequalis majestas
Per aeterna saecula.

9a. Ad coeli nos pia
Fac prece, Maria.
Scandere palatia,

9b. Ubi pax et vita
Et laus infinita
Ubi Deus omnia.

Miss. ms. Rotomagense saec. 14. Cod. Rotomagens. 277.

139. De beata Maria V.

1a. Amor vincens omnia
Mariae praecordia
Penetravit,

1b. Amoris flagrantia
Cordis penetralia
Perlustravit.

2a. Cordis in munditia
Gratiarum copia
Pullulavit,

2b. Virtutum frequentia
Ab intimis vitia
Relegavit.

3a. In tam pura regia
Summa sapientia
Sibi lectum stravit,

3b. De cujus essentia
Carnis sumens spolia
Se Christus armavit.

4a. In qua factus hostia,
Vitae pandens ostia
hortem triumphavit,

4b. Per te, mater regia,
Salutis remedia
Deus dispensavit.

5a. Ergo, plena gratia,
Quam misericordia
Nutricans lactavit,

5b. Nos prece propitia
Nato reconcilia,
Quem tuum lac pavit.

6. In quo te beavit,
Quo te satiavit
Amor vincens omnia.

Miss. ms. S. Petri Insulens. saec. 16. Cod. Insulens. 25.

140. De beata Maria V.

1a. Vas decoris et honoris,
Vas coelestis gratiae,

1b. Templum nostri redemptoris,
Forma pudicitiae.

2a. Miserorum miseratrix
Et lapsorum sublevatrix,
Fons misericordiae,

2b. Virgo, vitae reparatrix,
Angelorum imperatrix
Et coelestis curiae.

3a. Virga Jesse generosa,
Super omnes speciosa
Flore, fructu, specie,

3b. Servos tuos, gloriosa,
Gratos redde, gratiosa,
Christo regi gloriae.

4a. Ave virgo stella maris,
Mater sapientiae,

4b. Audi, virgo singularis,
Preces nostras hodie.

5a. Flos Maria castitatis,
Pelle nostrae pravitatis
Onus et tristitiae,

5b. Plagam nostrae pravitatis
Leva manu pietatis
De lacu miseriae,

6. Et per viam veritatis
Duc ad regna claritatis
In aula justitiae.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1534.

141. De beata Maria V.

1a. Salve, virgo, vitae via,
Mundum mundans prece pia,
Maria per maria;

1b. Salve, cara, culpa carens,
Sine pari patris parens,
Per te patent omnia.

2a. Salve, virgo salutaris,
Salutando gravidaris
Verbo sapientiae;

2b. Salve, sola solem paris
Nec in partu defloraris
Flore pudicitiae.

3a. Salve, proles speciosa,
Radix Jesse generosa,
Domus inquam Domini;

3b. Salve, lucis lux amoena,
Luce lucens aliena,
Lucem praebens homini.

4a. Salve, viror, quae non vires
Perdis, quamvis viro vires,
Sed vires virtutibus;

4b. Salve, viror sine viro,
Viror virens modo miro,
Non naturae viribus.

5a. Salve, mater, te precamur,
Cujus diem veneramur
Dignum reverentia,

5b. Salve, placa nobis Christum,
Ut perducat chorum istum
Ad coelorum gaudia.

Miss. ms. Remense saec. 13. Cod. Remens. 125. add. saec. 15. A. — Miss. Remense imp. Parisiis 1513. B. — 4b, 2 mundo A.

142. De beata Maria V.

1. Mater dilecta
dilecti ex dilecto,
dilectionis gratia plena,
semper virgo,
sancta Maria.

2a. Nam ut ovum volucris
fotu et calore
animatum
circumdare
cognoscitur intra
se fotum,

2b. Sic tu integra divino
calescens amore
virum novum
circumdabas
juxta Jeremiae
praedictum.

3a. Conceptum hunc
in utero sine tactu pudoris
genuisti
integra, non sentiens
partum doloris.

3b. Tu es ergo
evangelicum illud patris ovum,
scorpionis
letifero veneno
prorsus oppositum.

4a. Quo veneno
infecti medullitus

4b. Te benignam
pulsamus gemitibus,

5a. Ut te juvante
antidotum
de tua carne confectum
in altaris mysterio
digne sumamus.

5b. Ne ultra scorpio
inficiat,
sed tuus amor foveat,
quo favente sanissimi
semper vivamus,

6. Dilecti tuo
dilecto ex dilecto,
dilectionis plena virgo.

Miss. ms. Secoviense saec. 12. Cod. Graecens. 417. A. — Miss. ms. Secoviense saec. 12. Cod. Graecens. 479. B. — Miss. ms. S. Floriani III 208. saec. 12. C. — Brev. ms. saec. 12. Cod. Londinens. Add. 18302. D. — Grad. ms. saec. 11. Cod. Palat. Vindobon. 13314. add. saec. 13. E. — 3b, 2 es igitur DE. — 6, 3 virgo sancta Maria C.

143. De beata Maria V.

1. Verbi Dei parens alma,
Virgo plena gratia,
Aula regis, sancta regum
Adornans palatia.

2a. Per te patet porta coeli,
Cherubim quam clauserat,

2b. Hominemque natus ex te
Deus Deo foederat.

3a. Sic clara patriacharum
Efficis oracula,

3b. Et obscura prophetarum
Detegis miracula.

4a. Gedeonis
siccatur area,

4b. Madet vellus
carne virginea.

5a. Nova nativitas
pandit mysteria,

5b. Jam laudes debitas
Reddat ecclesia.

6a. Rubus non comburitur,
Tua nec consumitur
In carne virginitas;

6b. Unda sancti spiritus
Rorat te divinitus
Et manet virginitas.

7a. Virgo virginibus
Praecellens omnibus,
Depellens scandala,

7b. Fructu praecipuum
Paris amygdalum
Inter amygdala.

8a. Femina Ruth Moabitis,
Ferax tellus verae vitis,
Viro Booz conjugata,

8b. Forma facta est virtutis,
Virum germinans salutis,
De qua stirps est Jesse nata.

9a. Quam felix clementia,
Quod ejus es filia;

9b. Peccatores gaudeant
Et te matrem adeant.

10a. Omnes illumina,
Coelorum Domina,

10b. Nosque, propitia,
Sic reconcilia,

11a. Ut Thamar filium
Judae parturiat,

11b. Qui nos a vitiis
Dividi faciat.

12a. Te Salomonis fabrica
Nube figurat mystica,
Quam lux coelestis reserat,

12b. In illa domo mallei
Non sonuerunt aerei,
Nec te lex viri noverat.

13a. Sine tactu carne sana
Absque manu est humana

13b. Lapis caesus ex te, pura,
Quem mons signat in figura.

14a. Virum virgineo
Circumdans utero,
O virgo femina,

14b. Et vir et Deus est,
Qui natus tuus est
Natura gemina.

15a. Regem Emanuel
Nuntiat Gabriel,
Quod nasci debeat
Nec pudor pereat.

15b. Ortus in Bethlehem
Rex est Jerusalem,
Quem, proles regia,
Paris cum gloria.

16a. Quem canunt angeli,
Coelestes nuntii,
Et pacem perditam
Homini redditam.

16b. Ergo virgineos
Huc vertens oculos
Dele facinora
Et tuos robora.

17. Ut nos ad regales, virgo, nuptias
Introduci cum redemptis facias.

Prosar. ms. Glastoniense saec. 12. ex. Cod. Londinens. Calig. A XIV.

144. De beata Maria V.

1a. Ave plena
et perplena gratia,
Quam perfudit
sicut vellus pluvia
Immensa gratia.

1b. Unda tota
deitatis labitur,
Et sic verbum
caro factum cernitur
In nostra patria.

2a. Hinc turbatur
carnis angustia,
Quando sensit
Dei magnalia
Angelo loquente.

2b. Se portantem
portat virginitas,
Quam portantis
munit immensitas
Virgine stupente.

3a. Laetetur mater omnium,
Eva, cujus opprobrium
Sensit omnis filia.

3b. Mulier dedit vetitum,
Nunc reddit fructum placitum,
Pro veneno dulcia.

4a. Quae damnavit,
Jam salvavit,
Quae prostravit,
Sublevavit,
Simplex fit relatio.

4b. Virgo credit
Et obedit,
Fructum dedit,
Quem commedit,
Angelorum concio.

5a. Jam in prole gaude, mater,
Cujus natus suus pater
Et creator omnium,

5b. Immo ambo jam parentes
In Maria sunt gaudentes,
Quae dat talem filium.

6a. Cujus sanguis
salutare pretium,
Cujus caro
nutrimentum mentium
Et mors vena veniae.

6b. Ipsi per te
rapiamur obviam,
Virgo tecum
intrantes in patriam
Aeternalis gloriae.

Miss. ms. Lincloniense saec. 15. Cod. Londinens. Add. 11414. — 2b, 3 *portanti* Hs. 1: *portati?* — 2b, 4 *monit* Hs.

145. De beata Maria V.

1a. Chorus noster plaudat odis
Depromendo piis modis
Mariae praeconia,

1b. Virgo mater est effecta,
Specialis praeelecta
Virens Jesse virgula.

2a. Transit umbra saevae mortis,
Subit lumen sanctae sortis,
Virgo plena gratia,

2b. Mors per Evam pullulavit,
Sed Maria mortem stravit
Mundo ferens gaudia.

3a. Spirat rubus non ardorem,
Immo justum coeli rorem
Carnis sine caria,

3b. Caro mundo fructum dedit,
Coeli rorem quae suscepit,
Caro luti nescia.

4a. Non de limo fit vel costis,
Hoc nec novit primus hostis,
Mira sunt praeconia:

4b. Frondet virga sacerdotis,
Digna flore sacrae dotis
Pariens amygdala.

5a. Huc accedit Salomonis
Lectus, fulgens aula tholis
Et fidei cellula.

5b. Madet vellus Gedeonis,
Tactum stilla sancti roris,
Virgo fit puerpera.

6a. Gaude mundus
in partu virginis,
Quo peccatum
deletur hominis,
Gaudet coeli curia.

6b. Haec est clara
Jacob stella,
Quae confregit
Moab regna
Mira cum potentia.

7a. Porta clausa, fons hortorum,
In qua sedit rex coelorum
Nulli viro pervia.

7b. Nardus spirans, flos odorum,
Odor floris, vas decorum,
Cella pigmentaria.

8a. De te, virgo, sunt haec dicta,
Mater Christi benedicta
Sed et multa alia;

8b. Tu es vere vitae via,
Tu es Jesu mater pia,
Perduc nos ad gaudia.

9a. Fac, ut tui coronentur
Et in coelis collocentur,
Ubi pax et gloria;

9b. Trino Deo praesententur
Et cum Christo satientur
Per aeterna saecula.

10. Sit cunctorum creatori,
Sit et nato suae proli,
Sit amborum sacro rori
Laus, decus et gloria.

Cod. Oxoniens. Laud. Miscell. 240. saec. 12. add. saec. 13. — 5a. 2 auratolis Hs.; cfr. Sedulius Carm. pasch. I, 285.

146. De beata Maria V.

1a. Amator hominis
Amorque superum
Mariae Virginis
Fecundat uterum
Non carnis serie.

1b. Affata nuntio
Concepit puerum,
Se sub hospitio
Reclinat viscerum
Hospes munditiae.

2a. Cum sancti spiritus
Fit operatio
Cesset concubitus
Omnis suspicio
Hac in materie.

2b. Fides respondeat,
Si fiat quaestio,
Sola sufficiat,
Ut sit solutio
Huic argutiae.

3a. Carnis opificem
Puella bajulat,
Naturam duplicem
Unius copulat
Carnis sub pallio.

3b. Nati divinitas
Corpus coagulat,
Matris virginitas
Almum praetitulat
Miro connubio.

4a. O virgo pariens
Patrem eximium,
Pudoris nesciens
Partu dispendium,
Nostrum refugium.

4b. Vota suscipias
Ad te clamantium,
Tuum ut facias
Deique filium
Nobis propitium.

Grad. ms. saec. 14. Cod. Oxoniens. Miscell. Liturg. 357.

147. De beata Maria V.

1a. Benedicta
Sit cella munditiae,
Dux viae,
Regina patriae,
Mater regis gloriae

1b. Per quam victa
Persequentis acie
Nos pie
Solatur hodie
Dator indulgentiae.

2a. O singularis,
Quae fecundaris
Et maris
Non attrectaris
Cupitis amplexibus.

2b. O stella maris,
Quae solem paris,
Quam clari
Illuminaris
Ipsius splendoribus.

3a. Per te florem
Puritatis,
Per te rorem
Pietatis
Cunctis digniorem
Creatis
Sibi reconciliet.

3b. Dans candorem
Castitatis,
Dans ardorem
Caritatis,
Et post hunc laborem
Beatis
Nos Christus associet.

Grad. ms. saec. 14. Cod. Oxoniens. Miscell. Liturg. 357.

148. De beata Maria V.

1a. Laetabundus
Et jucundus
Psallat chorus hodie:
Benedicta
Es, coelorum regina.

1b. Regem regum,
Vectrix legum,
Thoro pudicitiae
Tu praeclara
Peperisti domina.

2a. Balaam de
quo praedixerat,
Matrem Christi
praeelegerat ·
Te Deus pater.

2b. Digna Deum
nutrix aleres
Et sacrati
summa fieres
Ut Dei mater.

3a. Per te lux et veritas
Corpus sumpsit deitas,
Quo salvantur omnia;

3b. Cujus pollens species
Solem vincit millies
In coelesti patria.

4a. De cujus laetatur
memoria

4b. Omnis fidelium
ecclesia.

Grad. ms. saec. 14. Cod. Oxoniens. Miscell. Liturg. 357. — 1b, 3 Choro· pudicitiae. — 2b, 1 Signa Deum.

149. De beata Maria V.

1a. Beatae virginis
Fecundat viscera
Vis sancti spiritus,
Non carnis opera.

1b. Carens originis
Labe puerpera
Dei et hominis
Dat nova foedera.

2a. Ardere cernitur
Ardenti radio
Rubus nec uritur
Ignis incendio.

2b. Sic nec corrumpitur
Concepto filio
Virgo nec laeditur
In puerperio.

3a. Miratur ratio
Deum in homine
Suscepto filio
De matre virgine.

3b. Nec fiet quaestio
De tanto lumine,
Sit fides ratio,
Virtus pro semine.

Grad. ms. saec. 14. Cod. Oxoniens. Miscell. Liturg. 357.

150. De beata Maria V.

1a. Virens vitae virgula,
Quae virendo sedula
Nec elisa macula
Mystico flores
flore fecunda.

1b. Flos ut sol egreditur,
Flos, quo mors elabitur,
Virgam nulla sequitur
Gratia pari
facta fecunda.

2a. Ave, Dei cellula,
Quae connexa vincula
Separas naturae,

2b. Nam ut sidus radium
Non corrupta filium
Novo paris jure.

3a. Ave porta,
Lux exorta
Per quam sumpsit aditus,

3b. Ut veniret
Et subiret
Nostrae carnis habitus.

4a. Dextra Dei vas politum,
Vas purgatum, vas ambitum
Castitatis circulo.

4b. Ut prophetae praedixere,
Vas electum continere
Deum matris gremio.

5a. Ave, virgo virginum
Non evirginata,
Plebis spes solaminum,
Castitas signata,
O felix puerpera,

5b. Prole cujus uteri
Vita restaurata,
Plebs erepta funeri,
Diu demorata
Vitae sumit foedera.

6a. O res mira sed relata,
Quod creantem res creata,
Sua rerum patrem nata
Parit, praebet ubera.

6b. Virgo, vitae spes secunda,
A reatu nos emunda,
Pietatis purgans unda
Perduc ad coelestia.

Cod. Oxoniens. Laud. Misc. 240 ssec. 12. Add. saec. 13. — 1a, 1 viae virgula.

151. De beata Maria V.

1a. Salve, mater salvatoris,
Mater salutifera,

1b. Spes Maria peccatoris,
Virgo et puerpera.

2a. Salve virgo specialis,
Specialis meriti,

2b. Genitrix et temporalis
Ante tempus geniti.

3a. Hanc in vallem descensura
Divina sublimitas

3b. Scalam sibi de te pura
Fecit o virginitas.

4a. In scripturis quantum flores,
Angelorum domina,

4b. Te distincti velut flores
Digna pingunt nomina:

5a. Portam coeli te vocare
Didicit religio,

5b. Et castellum, quod intrare
Placet Dei filio.

6a. Venter tuus, o puella,
Thalamus, palatium,

6b. Aula, domus, templum, cella
Civitas, sacrarium.

7a. Virga, rubus appellaris,
Flos, fenestra, janua,

7b. Mater Dei, lux solaris,
Jesse stirps ingenua.

8a. Vitis, uva, rosa, stella,
Margarita, lilium,

8b. Digna dignum interpella
Pro indignis filium.

Cod. Oxoniens. Bodl. 343. add. saec. 13. A. — In einem handschriftlichen Anhange zu dem Missale von Soissons vom Jahre 1516 auf der Stadtbibliothek von Tournay steht eine kürzere Sequenz, bestehend aus den Strophen 1 und 7 der obigen; zwischen diesen beiden Strophen steht eine, die in der Oxforder Hansdchrift fehlt:

Salve, rosa sine spina, Salve, Jesse virgula,
Cujus fructus nostri luctus Relaxavit crimina;

die Schlufsstrophe lautet ebenfalls abweichend:

Digna nobis interpella Pro indignis, Maria,
Prece tua ut ad sua Nos ducat palatia.

III.

DE SANCTIS.

---

152. De omnibus sanctis.

1. Sancta Dei mater,
virgo benigna, Maria,

2a. Tu nos miseros adjuva
atque Christi gratiam
nobis impetra,

2b. Quae nos tua per merita
devitare faciat
cuncta noxia.

3a. Beate Michael,
tu pro nobis majestatem
superni regis invoca,

3b. Et cuncti caelibes
simul cives, commendate
nos Deo prece sedula.

4a. O Johannes,
Christi baptista,
pro nobis indignis
jugiter ora,

4b. Et tu, sancte
Petre, dignare
cuncta disrumpere
nostra vincula.

5a. Omnes Domini
apostoli,
solvite delicta nostra,

5b. Quia vobis est
a Domino
potestas ad hoc concessa.

6a. Nunc, sancti martyres,
qui vestra
tradidistis corpora

6b. Pro Christi nomine
libenter
ad multa supplicia,

7a. Vos quoque, confessores
Christi et sacerdotes
virginumque sanctarum
turma praeclara,

7b. Precamini pro nobis,
ne nos extollat hostis
neque vana gloria
nec laus humana.

8a. Omnes sancti Dei,
verba pro nobis ferte pia,

8b. Rogate Dominum,
ut nostra deleat crimina

9a. Et nos evadere
faciat inimici
scandala
et inferni claustra

9b. Nos atque per suam
collocet pietatem
requie
saltem in aliqua.

10a. Ut libeat nos dicere:
honor, laus et gloria

10b. Sancta tibi sit, trinitas,
per aeterna saecula.

11. Amen dicant
simul cuncta.

Miss. ms. S. Stephani Bisunt. saec. 11. ex. Cod. Bisuntin. 71. A. — Miss. ms. Stubenbergense saec. 13. Cod. Graecens. 281. B. — Miss. ms. Secoviense saec. 14. Cod. Graecens. 456. C — 2a, 2 Christi fehlt BC. — 2b, 1 pro merita BC. — 4b, 3 nostra disrumpere BC. — 4b, 4 cuncta vincula BC. — 5a, 3 nostra delicta BC. — 9a, 1 Ut nos BC. — 9a, 2 faciat mundi BC. — 9a, 4 que inferni BC. — 9b, 3 sq. requiem saltem in aliquam A. — 11, 2 cuncti BC.

153. De ss. Abdon et Sennen.

1a. Manus linguae, lingua cordi
Sic concordet, ut concordi
Laus erumpat modulo.

1b. Laudem pulchre lingua pangit,
Cum sermonem opus tangit
Castae mentis osculo.

2a. Vita, voce, voto plaudit,
Qui devotus Abdon audit
Et Sennes insignia.

2b. Hi sunt viri, vita quorum
Se famosa monstrat morum
Insigni memoria.

3a. Diu Deo sed occultum
Solvunt isti dono cultum
Fidei catholicae,

3b. Sed cum tempus opportunum
Poscit, Deum trinum unum
Profitentur publice.

4a. Hoc non ferens praeses furit,
Praeses, cujus mentem urit
Zelus idolatriae;

4b. Ambos pulsat, neuter cadit,
Ambos vinctos artae tradit
Et gravi custodiae.

5a. Veritatis in praecones
Ursos parat et leones
Eis ut leo rugiens,

5b. Sed utrumque rex virtutum
Servum sibi servat tutum
Feras morte feriens.

6a. Vincti multis lacessuntur,
A praefecto statuuntur
Coram solis statua,

6b. Cujus cultum respuentes
Et in ipsam exspuentes
Fide certant strenua.

7a. Pietatis praedo rursum
Dat leonem, dat et ursum
Devorandis canibus,

7b. Sed qui mites sunt effecti,
Perferendo a praefecti
Tuentur incursibus.

8a. Ferro tandem dissolvuntur,
Innocentes provehuntur
Ad victorum aciem,

8b. Vere vincunt, non vincuntur,
Vitam nece nanciscuntur,
Rem spe, fide speciem.

9a. His prudenter instruamur,
Retinentes, ne vincamur,
Sationem fidei;

9b. Quos gradatim sic sequamur,
Ut cum ipsis mereamur
Ad superna provehi.

Miss. ms. Ebroicense saec. 15. Cod. Ebroicens. 98. A. — Miss. ms. Ebroicense saec. 15. Cod. Ebroicens. 99. B. — 3b, 2 trinum et unum B. — 5a, 3 Eis (iis) zu synicesieren. — 7b, 2 Praeferendos B.

154. De sancto Adriano.

1. Laetis tange fidibus,
Laeta instant gaudia,
Laeta reddunt omnia,

2a. Praesens turba, meritis
Tanti plaude martyris
Jucunda melodia.

2b. Voce bene consona
Vita reddat pneumata
Deo placabilia.

3a. Gaudet martyr in poena,
Sua spe Deo plena
Irridet supplicia.

3b. Judex fremit impius,
Spumat, saevit acrius,
Martyr suffert omnia.

4a. Tandem crurifragio
Expleto martyrio
Ad coeli fastigia
Felix volat anima.

4b. Coeli gaudet chorea
Hoc adaucta collega,
Tellus laeta jubilat,
Dum martyr tripudiat.

5a. Hinc jubetur,
Ut crernetur
Corpus igne,
Sed insigne
Mox claret miraculum:

5b. Ignis cedit
Neque laedit,
Sed et venti
Turbulenti
Urbis vertunt moenia.

6a. Hujus laetus
Noster coetus,
Ut salvetur,
Imitetur
Rubea vestigia.

6b. In his festis
Monstret gestis,
Quem honoret,
Et exoret
Ejus patrocinia.

7a. Adriane, martyr Christi,
Hoc inane contempsisti,
Tuae servos ecclesiae
Irriga rore gratiae.

7b. Christum regem nobis placa,
Tuo gregi semper paca,
Tuae custos ecclesiae
Sis et largitor veniae.

8a. Adriane, pater care,
Deprecare, ut hoc mare
Impugnare
Tam amare
Jam cesset ecclesiam;

8b. Ut fons ille pietatis,
Qui te lavit a peccatis,
Donet laetam
Et quietam
Pacis temperantiam.

9. Hoc det ejus gratia,
Qui regnat per saecula.

Miss. Cameracense imp. Parisiis 1542. — Mel. natürlich: Mane prima Sabbati.

155. De sancto Aegidio.

1. Confessor pius
et sacer Aegidius,

2a. Hodie coronam
vitae consecutus,

2b. Est jucunditatis
stola indutus.

3a. Et nunc sempiterno
gaudens in regno,
quo non intrat malignus,

3b. Deum pro cunctis vivis
atque defunctis
interpellat benignus.

4a. Sic flos Graeciae
parit ecclesiae
fructum gratiae;
Spirat odores,
mitigat languores,
dat medelam,
tollit corruptelam.

4b. Sanat contritos,
solvit compeditos,
rumpit vincula;
Fugat daemones,
liberat homines,
mortes pellit
atque pericula.

5a. Per tempestates
vehit ad portum rates
atque nautas ovantes.

5b. Ergo dent vota
cuncti de terra tota
vincti vel aegrotantes.

6a. O Aegidi,
devotos tibi
nos custodi
atque commenda
Jesu Christo,
quem secutus
regnas cum ipso.

6b. Votis fave,
meritis fove
supplicantes,
ut te sectantes,
quo prodisti,
prodeamus
ad verum lumen.

Grad. ms. Ottoburanum saec 12. Clm. Monacens. 27130. A. — Grad. ms. Palat. Vindobonens. 13314. saec. 11. add. saec. 12. B. — Miss. ms. Zwethalense 229. saec. 14. C. — Miss. ms. Voraviense 35 saec. 14. D. — Miss. ms. Cellae Principum anni 1487 Clm. Monacens. 7204. E. — Grad. ms. Claustroneoburgense 588. saec. 14. in. F. — 1, 1 sq. lauten: Stirpe regius sacerdos Aegidius A. — 4a, 1 Hic flos C; sic ecclesiae A. — 4a, 2 flos Graeciae profert A; parit fructum BC. — 4a, 3 dat saporem gratiae BC.

156. De sancto Aegidio.

1a. Magna dies,
magnum solemnium,
Quo laetatur
turba fidelium,
Celebretur.

1b. Miri viri
mira festivitas,
Cujus mentem
possedit veritas,
Honoretur.

2a. Gaudens inde
coeli militia
Primo laudet
nostri magnalia
Salvatoris;

2b. Sequens homo
plenus laetitia
Veneretur
tanti tripudia
Confessoris.

3a. Sciat reus
et credat firmiter,
Quod, qui sanctum
rogat hunc dulciter,
Non peribit,

3b. Sed adjutus
ejus suffragio,
Quo beatis
paratur mansio,
Laetus ibit.

4a. Hoc probatur
per scelus regium,
Quod potentem
probat Aegidium
Esse satis.

4b. Rex peccati
ligatus vinculo
Liberatur
magnae miraculo
Dignitatis.

5a. Culpae nodus
erat difficilis,
Quem post missam
sacerdos nobilis
Ita solvit.

5b. Regem vocat,
facinus indicat.
Confitentem
lacrimis applicat
Et absolvit.

6a. Hoc utique
facere poterat,
Sicut ei
coelitus scripserat,
Rex coelorum.

6b. Scripsit ei,
quod ejus precibus
Se precantes
mundaret sordibus
Peccatorum.

7a. Nos, qui scripti
tenorem legimus,
Non ad tempus
hoc datum credimus
Sed in aevum

7b. Ergo, pie
confessor, petimus,
Ut a nobis
repellas longius
Hostem saevum.

8a. Vir Aegidi, te respexit,
Ut sentimus, et dilexit
Dominus a puero,

8b. Deus erat, cum dedisti
Timens adhuc vim magistri
Vestimentum misero.

9a. Procurator egenorum,
Serve Dei, causa quorum
Vendis patrimonium,

9b. Honor eras largitatis,
Sub praecepto caritatis
Sequens evangelium.

10a. Viru laesos, febre pressos
Dum curares et obsessos
A daemone pessimo,

10b. Ostendebas te benignum,
Laude multa fore dignum
Et honore maximo.

11a. Tu defuncti suscitator,
Sis defensor et amator
Tibi famulantium,

11b. Vitae redde nos languentes,
Pro peccatis promerentes
Inferni supplicium.

12a. Vir regalis
vivens regaliter,
Qui regali
stirpe veraciter
Es creatus,

12b. Regem regum
roga suppliciter,
Ut sit servus
tuus feliciter
Laureatus.

Miss. ms. Ebroicense saec. 15. Cod. Ebroicens. 99. — Str. 8 bis 12 Interpolation.

157. De sancto Aegidio.

1a. Solitudo spontanea,
multum es optabilis

1b. Ad maculas abstergendas
contribulati cordis.

2a. Nocte nubis es columna,
in die splendor ignis,

2b Custodia tutissima
ab hostibus iniquis.

3a. Turba turbat et polluit,
sed tu manes secura,

3b. Via vitae, porta coeli
et gratiae semita.

4a. Scala gloriae,
lex justitiae,
victorum palma,

4b. Aegidi sancte,
lux disciplinae,
eremicola.

5a. Grande vulnus excepisti
ictu sagittatoris,

5b. Inter vepres cum lateres,
et hoc laetus pateris.

6a. Dolores sanas,
naufragos servas,
regi succurris,

6b. Infirmis opem,
cervae salutem
cito largiris.

7a. Veniam posce,
tristia pelle,
gaudia praesta,

7b. Simus in arce
cum Christo rege
in veste clara.

Miss. Cameracense imp. Parisiis 1542.

158. De sancto Aegidio.

1a. Veni, sancte spiritus,
Per quem abbas inclitus
Floruit Aegidius,

1b. Qui dilectus omnibus
Signis et virtutibus
Sole fulsit clarius.

2a. Sicut Christus docuit,
Egenis distribuit
Large patrimonia,

2b. Cerva solitarium
Aluit Aegidium
Dei providentia.

3a. Ut virtutum speculum
Caroli piaculum
Prece pia doluit,

3b. Imperavit fluctibus,
Morbis et daemonibus,
Deo quia placuit.

4a. Hic amicus Domini
Nulli clausit homini
Pietatis viscera,

4b. Unde sancti limina
Flagitans solamina
Petit plebs innumera.

5a. O vir ineffabilis,
Flos Graecorum nobilis
Et decus Provinciae,

5b. Suscitator mortui,
Fac nos tecum perfrui
Vultu regis gloriae.

Grad. ms. Franciscan. in Hüls saec. 15. Cod. Novesiens. (Privatbesitz). — Mel.: Veni sancte spiritus.

159. De sancta Agnete.

1a. Agnetis solemnio
Ferveat devotio,
Dies digna gaudio,
Psallat chorus.

1b. Pudoris commercio
Nubit rosa lilio,
Agnes agno socio,
Felix thorus.

2a. Agnes digne dicitur,
Quae sic agno jungitur,
Quod donis non flectitur
Nec tormentis.

2b. Amans dum contemnitur,
Furit, lecto sternitur,
A medicis proditur
Amor mentis.

3a. Rapta veste tegitur
Capillis, post ducitur
Ad lupanar, spargitur
Coeli luce.

3b. Coelo vestis mittitur,
Angelus obsequitur,
Interit, qui ducitur
Mortis duce.

4a. Illo vitae reddito
Flammis data subito
Servatur, sed merito
Gens crematur.

4b. Post necatur gladio,
Virginum consortio
Agno dextra socio
Demonstratur.

5a. O dulcis agnicula,
O placens juvencula,
Fac nos sine macula
Pertransire.

5b. Lapsa vitae morula
Fac ad agni fercula
Summa tabernacula
Introire.

Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572. Cod. Ambianens. 132.

160. De sancto Aichadro.

1. Laudes justi attollamus,
Nos qui ejus exsultamus
Solemni memoria.

2a. Christus isto, iste Christo
Dum laudatur, honoratur,
Unum sunt concordia.

2b. Ut cum Deo esset unus,
Venit sibi summum munus
Ex ipsius gratia.

3a. Quod natura non concessit,
Ex gratia sibi cessit,
Nec haec fuit vacua.

3b. Si non eam praecessit meritum,
Ipsi tamen demum est additum
Opera, sancte, tua.

4a. Hunc elegit ante mundum
Et in mundo fecit mundum,
Ut ditaret gloria,

4b. Quam adeptus prima stola,
Jam est factus coelicola
Coeli sibi patria.

5a. Huic ad mundum fuit vena
Anscharius cum Hermena,
Insignis prosapia,

5b. Vas honoris scholis datur,
Cujus doctor admiratur
Ingenium, studia.

6a. Spreto mundo celat caelum,
Major mundo per hunc zelum
Amat spiritalia,

6b. Manens secum petit dextra,
Vitam quaerit sed non extra,
Intrat in coenobia.

7a. Cum sic fervet ad salutem,
De virtute in virtutem
Scandens ad sublimia,

7b. Vocem audit haec monentem,
Nullum videt hoc dicentem,
Reddit his sequentia.

8a. Postquam doctus est subesse,
Est coactus jam praeesse
Abbas in Gemetico,

8b. Philibertus quem praecessit,
Cui non impar hic successit
Grege in Dominico.

9a. Hostem pellit
Nec fefellit,
Quem praevidit,
Dum recidit
Arboris sterilia.

9b. In tonsura
Contra jura
In scriptura
Peritura
Signo datur venia.

10a. Famulatu speciali
Sol subservit digitali,
Patent ergo signo tali
Aichadri merita.

10b. Claro tectus globo ignis,
His et tantis fulgens signis,
Coelo, terra fit insignis
Vita Deo placita.

11a. Morte gregis contristatur,
Quae de coelo revelatur,
Sed angelus consolatur,
Quod defunctos subsequatur
Aeterna laetitia.

11b. Cujus sumus dono Dei,
Qui hunc nobis nosque ei
Loco junxit nunc fidei,
Jungat sorte speciei
In coelesti gloria.

Miss. ms. Vedastinum saec. 14 in. Cod. Atrebatens. 888. A. — Miss. ms. Vedastinum saec. 14. Cod. Atrebatens. 882 B. — Mel. = Laudes crucis. — Str. 5 sqq. fehlen B.

161. De sancto Albino.

1. Ad te cuncta
tendunt lumina,

2a. Qui coelos regis atque arva
nec non refraenans maria,

2b. Quem laudat siderum corusca
splendore poli camera.

3a. Succina
cantibus, phalanx, organa,
Albino jubila,

3b. Inclita
concinens praesulis sacri
divina charismata.

4a. Natu nobili
proles edita,
fide nobilior maxima,

4b. Sancti spiritus
mox templum facta,
ardebat spiritualia.

5a. Ut mitissima
ovis ruminans
divinas sententias,

5b. Succum fundebat
intra nitida
spiritualem pectora.

6a. Ardescit hinc anima
religionis jura,
fide plenissima succensa,

6b. Agni velut hostia
hic laudis immolata,
Christo victima gratissima.

7a. Atque specie rutilans
in facie angelica
ferebat dulcia famina,

7b. Plebs facta quibus credula
amabat diva monita,
Deo sanctoque illustrata.

8. Hujus ut hic corporea
nobis salubriter
splendet praesentia,
coelo socia
sic fiat gloria.

Grad. ms. S. Albini saec. 11. Cod. Andegavens. 89. — 2b, 1 laudant Hs. — 5b, 1 Sic cum Hs.

162. De sancta Aldegunde.

1a. Aldegundis sub honore
Celebremus pio more
Virginis solemnia,

1b. Quae virtutum pollens flore
Christo vixit in amore
Nunc ovat in gloria.

2a. Haec miserta miserorum
Medicinam dat dolorum,
Cujusvis sint generis,

2b. Cordaque desolatorum
Ducit ad salutis thorum
Dans solamen miseris.

3a. Calculosos a languore
Ruptosque coelesti rore
Mundant preces virginis,

3b. Febrium punctos algore
Purgat ejus et calore
Virtus sancti numinis.

4a. Rabie qui sunt oppressi
Vel caduco morbo fessi,
Mundantur celeriter,

4b. Qui moeroremve perpessi,
Gaudiorum dantur messi
Ejus prece pariter.

5a. Igne sacro cruciati,
Phos exstincti, liberati
Resurgunt salubriter

5b. Aldegundi chorda dati,
Omnes ergo desolati
Hanc implorent jugiter.

6a. Horum signa sunt aperta
Et a pluribus experta
Virginis protectio,

6b. Quo procuret, ut inserta
Flore castitatis serta
Feramus in gaudio.

7a. Catervatim jucundemur
Et psallentes corde demur
Virginis obsequio,

7b. Ut in terris confortemur
Et in coelis coronemur
Ipsius auxilio.

Miss. ms. Morinense saec. 16. Cod. Audomarens. 215. — 5a, 2 Phos = φῶς, indeklinabel gebraucht.

163. De sancta Aldegunde.

1a. Melbodense claustrum, gaude,
Aldegundis multa laude
Praeconiza gloriam,

1b. Jam peccatis lumen claude,
Jam proscribas pulsa fraude
Fastus insolentiam.

2a. Non tam carnis prosapiam
Sequantur quantum gratiam
Tantae matris filiae,

2b. Quam Rachelem, immo Liam,
Martham simul et Mariam
Scimus multifarie.

3a. Te praeventa visione
Solum sitit, Jesu bone,
Sortem sequens pauperum,

3b. Argumentum ex Eudone,
Quem cum sua ditione
Sprevit tamquam miserum.

4a. O quam digna laudibus,
Quae laudem non sapiens
Domum cum pauperibus
Reliquit ut sapiens.

4b. Fusis tandem precibus
Trans Sambram confugiens
Angelicis manibus
Fulta nil fit patiens.

5a. Stanti super alveum
Aqua pons efficitur,
Aqua replet urceum,
Aqua vinum bibitur.

5b. Non urit vas aeneum
Sed nec vestis uritur,
Lux accendit cereum,
Quae de sursum mittitur.

6a. Compos mentis redditur
Is, qui solet furere,
Et sanus efficitur
Puer surgens libere.

6b. Agnus piscem nititur
A corvis eripere
Nec laedi permittitur
Aldegundis munere.

7a. Te commendant actus isti,
Aldegundis, quae vidisti
Amandi, quem dilexisti,
Transitum ad patriam.

7b. Comitata servum Christi
Christum ora, cui junxisti,
Ne ruamus casu tristi
Adepturi gloriam.

Grad. ms. Luneburgense s. sign. saec. 14. — 1b, 2 Jam perscribas patri fraude Hs. Ob die obige Konjektur das Richtige trifft, bleibt freilich ungewifs; der überlieferte Text ist jedenfalls unverständlich.

164. De sancto Alexandro.

1. Festi diem
cuncti rite
venerantur populi,

2a. Quem fore felicem
sancta fecit Felicitas

2b. Pignorum septeno
martyrizata numero.

3a. Nam septem praemissis
octava
fit cruciata filiis,

3b. Maternos perpessos
dolores
singulorum martyrio.

4a. Primus Januarius
plumbatis
plagatus obiit,

4b. Felix atrocissimis
cum Philippo
mactatur fustibus.

5a. Silvanus
per praecipitium
occubuit,
Alexander
cum Vitale, simul addito
Martiale, decollati sunt.

5b. Constanter
illorum genitrix
sanctissima,
Tot dolores
passa animo, novissima,
corporaliter occiditur.

6a. Ex his Alexandrum,
florem nitidum
gemmamque pretiosissimam,

6b. Dulcem margaritam,
dignis laudibus
tota Germania celebrat.

7a. Divina
quem benignitas de Romana
sede nostrae salvationis
transmiserat
his Alamannicis partibus.

7b. Hic multis
fulgens miraculorum signis
salutifera solet clarus
solamina
suis ostendere civibus.

8a. O decus, o nostra salus,
o martyrum
tu venustissime floscule,

8b. Cum fratribus et cum matre
implorato
perennem beatitudinem.

9. Qui tibi servimus in terris,
tuis precibus in coelis
tu sis fautor nobis.

Grad. ms. Ottoburanum saec. 12. Clm. Monacens. 27130. — 4a, 3 obiciit Hs. — 5b, 2 sq. sanctissima genitrix Hs. — 5b, 4 sq. passa dolores Hs. — 7b, 1 His multis Hs. — 8b, 1 matre Felicitate Hs. — 8b, 2 sq. perennem implorato Hs.

165. In Ordinatione s. Amandi.

1a. Amande, pastor bone,
Coenobium Elnonae
Pia devotione
Tu fundasti.

1b. Puerum a daemono,
Insulam a dracone
Crucis impressione
Liberasti.

2a. Veniens in Gallias
Verbum Dei nuntias,
Gentis pravae furias
Sustulisti.

2b. Per diversas patrias
Visitans provincias,
Ut has lucrifacias,
Perivisti.

3a. Nihil tibi proprium
In Christi servitium,
Ut aeternum gaudium
Obtineres.

3b. Nam tuum solatium
Cinis et cilicium,
Hordei edulium,
Quo viveres.

4a. Furem prece suscitas,
Caecis datur claritas,
Dum tua benignitas
Imploratur.

4b. In lavacro puritas
Nato regis novitas
Fando tua sanctitas
Declaratur.

5a. O pater amabilis,
Corruscans miraculis,
Munda nos a maculis
Sine mora.

5b. Sis nobis placabilis,
Ne Satanae vinculis
Subdamur seu jaculis
Mortis hora.

Prosar. ms. S. Amandi saec. 16. Cod. Valentianens. 99.

166. In Restitutione s. Amandi.

1a. Festa lucis hodiemae
Celebrantur in supernae
Deitatis curia,

1b. Attolamus venerandi
Ob festa patris Amandi
Laudes et praeconia.

2a. Hic illustrem linquens ortum
Intrat mare, petit portum,
Fit Christi coenobita;

2b. Omnem puer monachorum
Normam servat, a sanctorum
Non deviat semita.

3a. Signa signantur virtutum,
Multus viror, iter tutum
Per eum consequitur;

3b. Deo atque mundo carus,
Trajectensi sede clarus
Invitus efficitur,

4a. Unde fana jam deponit,
Monachorum ibi ponit
Sacra contubernia;

4b. Elnonensis, quae supultum
Corpus habet ibi cultum,
Laetetur ecclesia.

5a. Sancte pater, viam vitae
Elnonensis coenobitae
Ora, sequi valeant,

5b. Ut consortes cum pastore
Oves Deo largitore
In coelis congaudeant.

Prosar. ms. S. Amandi saec. 16. Cod. Valentianens. 99.

167. De sancto Anatolio.

1a. Decantemus hodie
In choro cum tympano

1b. Canticum laetitiae
Cum choris et organo.

2a. Ad beati confessoris
Curramus subsidium,

2b. Veneremur cunctis horis
Sanctum Anatolium.

3a. Hunc qui sanctum veneratur
Cum firma fiducia,

3b. Vere sibi vera datur
A Domino gratia.

4a. Qui muto, claudo pariter
Per Dei clementiam

4b. Reddidisti verbum, iter,
Hanc audi familiam.

5a. O qui manus mulieris
Adhaerentes brachiis

5b. Sanavisti, tu lauderis
Piorum praeconiis.

6a. Ergo sancto jubilemus
Pellentes segnitiem,

6b. Ut per ipsum impetremus
Paradisi requiem.

7a. Funde preces, Anatoli,
Pro nobis ad Dominum,

7b. Regem terrae, Deum poli,
Verum lumen luminum.

8a. Qui dignetur misereri
Peccatorum populi

8b. Et clementer intueri
Nos in fine saeculi.

Miss. Cabilonense imp. Lugduni 1500.

168. De sancta Anna.

1a. Fons amoenus
rigans paradisum
Se diffudit
in partes divisum
Nunc in superficie
Totius ecclesiae.

1b. Iste fons est
Anna, mater matris
Incarnati
Verbi Dei patris,
Qui fons exstat gratiae
Et misericordiae.

2a. Laetetur nunc
mater ecclesia,
Irrigata
exuberantia
Tanti fontis,
qui mundat vitia
Cordis rei.

2b. Anna, gaude,
Joachim socia,
Quae post viri
dura convicia
Fons facta es,
quo manat filia
Mater Dei.

3a. Conjux, Anna,
Joachim fuisti,
Post Cleophae,
a quo recepisti
Mariam, quam
Alphaeo nupsisti,
Tetras matrem.

3b. Hoc defuncto
Salome duxisti,
Quo Mariam
tertiam sumpsisti,
Zebedaeum
sibi tradidisti
Duum patrem.

4a. Ergo, Anna,
juste collaudaris,
Genitricem
quae foves et paris
Poli, terrae,
orbium et maris
Plasmatoris.

4b. Regis regum
vultum contemplaris
Cum filiis
filiarum caris,
Ubi dono
semper gloriaris
Salvatoris.

5a. Omnes ergo
Annae auxilium
Imploremus
amplexu mentium,
Ut fugere
possimus vitium
Pravitatis;

5b. Ne post mundi
breve exsilium
Patiamur
dirum supplicium,
Sed nos ducat
ad coeli gaudium
Cum beatis.

Prosar. ms. Pisciacense saec. 15. Cod. Londinens. Eg. 2601. Mel.: Conceptio Mariae Virginis.

169. De sancta Anna.

1. Exsultent in hac die
cuncti famulantes Domino.

2a. Hodie coelorum
Anna secretum petiit,

2b. Virginem quae sine
originali macula

3a. Joachim ex viro
concepit,
quae coeli regem peperit,

3b. Semper virgo manens
post partum,
inviolata genitrix.

4a. Nunc celebrem angelis
aviam
Christi sanctam credimus,

4b. Quae vitam angelicam
in carne
vivens semper duxerat.

5a. Nos igitur mortales
miserique homines,
qui domino coeli
graviter peccavimus
culpaeque veniam quaerimus,

5b. Suffragium ejus
flagitemus aviae,
quae meritis suis
omnibus et precibus
invocata clementer adest.

6a. Nam culpas et morbos
mentis et carnis
simul suaviter medicat,

6b. Quae potens in coelo
super angelos
una cum filia residet.

7a. Te, mater Anna,
laudamus exsultantes
tuaque festa celebrantes
in hac die,
qua coeli scandis ad gloriam.

7b. Te votis piis
colimus animorum,
regem tu nobis angelorum
propitium
tuis precibus efficias.

8a. Te nepos ipse precantem
ut aviam
suam ex-
audire creditur.

8b. Tibi pro nobis oranti
nihil negat,
tuis cuncta subjiciens
meritis vulnera.

9. Tu ergo nostri memor
mater esse digneris
jugiter orans pro nobis.

Grad. ms. Monasteriense saec. 14. Cod. Semin. Monasteriens. K 10. A. — Miss. ms. S. Gisleni anni 1533 Cod. Valentinianens. 117. B. — Mel.: Mater,

aus der sich die Unregelmäſsigkeit in 8b, 4 (Einschaltungen von 5 Noten) erklärt. — 2b, 1 quam coeli A. — 5b, 5 adest clementer B. — 8b, 1 oranti pro nobis B.

170. De sancta Anna.

1a. Alma mater generosa,
Nam Mariam peperisti,

1b. Quae prae cunctis gratiosa
Genitrix est Jesu Christi.

2a. Haec pretiosa munera
Nobis, Anna, contulisti,

2b. Tu es arbor fructifera,
Duplum fructum pertulisti.

3a. Tu columna luminosa
In tenebris effulsisti.

3b. Tu es terra fructuosa,
Quae tantum germen dedisti,

4a. Quod Mariam genuisti
Matrem regis omnium,

4b. Per quam mundo reddidisti
Flebili solatium.

5a. Virga Jesse florida
In radice humida,
Anna matre, crescit,

5b. Sic ex nube rorida
Stillat unda fluida,
Qua mundus virescit.

6a. Tu origo gloriosa
Summae prolis exstitisti,

6b. Nos ad regna gaudiosa
Ducas, quae tu conscendisti.

Prosar. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Andegavens. 90. — Zweimal ohne Varianten mit Mel.

171. De sancta Andrea.

1. Laus angelorum,
spes conditorum
salutisque via,

2a. Deus aeterne,
lumen de lumine,
apostolorum corona.

2b. Nobis hodie
da digne colere
sancti Andreae merita.

3a. Cui et Petro
cum dixisses:
Venite post me,
faciam vos
piscatores
hominum in regione
universa,

3b. Statim ad unum
tui praeceptum
omnibus, navi
et retibus
derelictis,
vestigia comitantur
dominica.

4a. Mox in ecclesia
factus rector Andreas,
mortem Christi volens
cruce sequi propria,
coelesti plenus gratia,

4b. Aegeam provocat,
non credenti praedicat,
Christum natum, passum,
mortuum atque die
resuscitatum tertia.

5a. Aegeas igitur
furit, irascitur
ob verba talia,

5b. Doctorem flagellat,
compellit, ut colat
deorum idola.

6a. Vir pius modestus
his spretis omnibus
in cruce plectitur,

6b. Spiritum exhalat,
divino lumine
ductus est ad astra.

7a. Tu ergo, sancte Andrea,
pollens inter lucida

7b. Apostolorum agmina,
tua prece nos salva.

Trop. ms. Cameracense saec. 10/11. Cod. Cameracens. 79. A. — Trop. ms. Cameracense saec. 11/12. Cod. Cameracens. 61. B.

172. De sancto Andrea.

1a. Dum transiret per Judaeam
Et lustraret Galilaeam,
Vidit Petrum et Andream
Jesus, mundi gloria.

1b. Vitam manu sustentabant
Opes mundi non curabant,
Sed in mari laborabant
Et colebant retia.

2a. Quos vocavit a labore
Et ad fidem ab errore,
Ad salutem a languore
Singulari gratia.

2b. Hos suscepit in odorem
Caritatis in fervorem
Et prae cunctis in amorem
Quadam eminentia.

3a. Mox relinquunt rete, ratem,
Omnem mundi levitatem
Cuncta putant vanitatem
Propter sequi Dominum.

3b. A terrenis se suspendunt,
Crucem Christi comprehendunt
Et cum Christo condescendunt
Ad capturam hominum.

4a. Petro dedit jus solvendi,
Potestatem vinciendi,
Libertatem impendendi
Cunctis juxta meritum,

4b. Et Andream introduxit
In scripturas et instruxit,
Per quem mundo post diffluxit
Dogma sibi creditum.

5a. Ad exemplum salvatoris
Ardet intus, splendet foris,
Artem mutans piscatoris
Verbi sumit gratiam.

5b. Ad gentiles declamavit,
Quibus potum propinavit,
Quem de fide derivavit
Missus in Achaiam.

6a. Dum constanter praedicaret
Et informes informaret
Languentesque recrearet
Ab Aegea capitur.

6b. Cum de fide quaereretur,
Christianum se fatetur,
Vult Aegeas, ut damnetur,
Et ad crucem ducitur.

7a. De qua rogat ne tollatur
Regem suum, cum quo fatur,
Quem in coelis contemplatur
Et ejus exercitum.

7b. Vir perfectae pietatis,
Membris ligno propalatis
Verbum docet veritatis,
Donec reddit spiritum.

8. Qui pro nobis interpellat
Semper apud Dominum.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. — 4b, 4 preditum. — 5b, 3 Qui de.

173. De sancto Antonio.

1a. Laus solemnis, laus devota
Novum nova spe promota
Sustollat Antonium,

1b. Virtus vitae, flos signorum,
Lux doctrinae, vis verborum
Laudis sunt praeconium.

2a. Augustini prius normam,
Post Francisci tenens formam
Spirat ad martyrium,

2b. Fratrum nota passione
Matri praefert Ulixbonae
Rebelle Marochium.

3a. Spe frustratur remanente
Deo secus disponente
Ad salutem omnium,

3b. Martha servit vilitati,
Sed Maria veritati
Dilatat hospitium.

4a. Tu, qui verbo mentes sanas,
Mortem pellis et profanas
Virus infidelium,

4b. Arca dictus testamenti,
Tuum nobis in praesenti
Confer patrocinium.

5. Amen dicant omnia.

Miss. ms. Franciscan. saec. 14. Cod. Cenomannens. 249

174. De sancto Apollinare.

1a. Plaude plausu laetabundo
Voce clara, corde mundo,
Civitas Valentia,

1b. Quae congaudes et laetaris
Praesulis Apollinaris
Felici praesentia.

2a. Hic Viennae civis ortus
Salutaris datur portus
Civibus Valentiae,

2b. Verbi lator et virtutis
Viam pacis et salutis
Palam fecit patriae.

3a. Praeceps ira furibundum
Reddit regem Sigismundum
Contra Christum Domini,

3b. Fugit praesul ope venti,
Portum praebent fugienti
Sardae ripae termini.

4a. Aestum solis per admotum
Flumen calens negat potum,
Sancto tamen datur votum
Hausto fonte sarculo.

4b. Regi febris in angore
Subvenitur ab uxore,
Nam fit liber a dolore
Cucullae miraculo.

5a. Arelaten venienti
Fit adversa vis fluenti,
Viro Dei parent venti
Tranquillatur fluvius.

5b. Daemon tristis et invitus
Dat clamores et invitus
Ab obsesso fugit citus,
Curatur Almiphius.

6a. Os ad sacra deputatum
Est incaute conservatum,
Quod minister occultatum
In arena reperit.

6b. Quidam surdus atque mutus
Est saluti restitutus
Donum Dei consecutus,
Cui nihil deperit.

7a. Daemon ductus arte vana
Veste ludit sub humana,
Dum percussit fraus profana
In maxillam praesulis.

7b. Stupet lecto se teneri
Neque posse removeri,
Tandem gaudet hostem teri
Ruptis ejus vinculis.

8a. Celsitudo columnarum
Manifestat decus clarum
Praerogandum praesuli,

8b. Visum lumen in columnis
Admiratur sensus omnis
Et censura populi.

9a. Ergo, pater et patrone,
Pie praesul, pastor bone,
Lucerna fidelium,

9b. Tu tuere tuum gregem
Orans Christum Deum regem
Pro delictis ovium.

10a. Tolle pestes, seda rixas,
Fovens mentes in te fixas,
Consolare populum,

10b. Creatorem Deum ora,
Ut nos servet in hac hora
Et per omne saeculum.

Miss. ms. Biterrense saec. 14. Cod. S. Josephi Lugdunens. Y d 5. — 1b, 3 Felicis Hs. — 2b, 3 Palmam Hs. — 3b, 3. Nach Acta SS. Oct. III p. 54. n. 33 hiefs der Ort Sardinia, eine Stadt in der Lyoner Gegend, heute völlig unbekannt. — 7a, 2 Peste ludit Hs. — 8b, 3 sensura Hs. — 10a, 2 inter fixas.

175. De sancto Auberto.

1. Haec dies sanctissima,
Laude celeberrima
Dies est per omnia,

2a. In qua Dei famuli
Auberti sanctissimi
Colimus solemnia,

2b. Cujus celebratio
Nostra sit defensio
Ab omni nequitia.

3a. Qui caduca respuens
Et aeterna intuens
Animi prudentia

3b. Praesul esse meruit
Et cunctis innotuit,
Quae sunt vera gaudia.

4a. Landelinum devium
Ducemque Vincentium
Per ejus consilia
Possidet ecclesia.

4b. Factae sunt Waldetrudis
Et soror Aldegundis
Ejusdem prece pia
De Christi familia.

5a. Curam talem
Pastoralem
Sibi notis
Et ignotis
Caritate nimia

5b. Impendebat,
Quos docebat,
Formidare
Et vitare
Tartari naufragia.

6a. Sancto isti
Servo Christi
Plurimorum
Infirmorum
Occurrebat copia,

6b. Mox per Deum
Et per eum
Reformati
Et sanati
Redeunt ad propria.

7a. O quam beata civitas
Et hujus sedis dignitas,
Quae habet patrocinia
Tanti patris praesentia.

7b. Qui, dum vixit in saeculo,
Commisso sibi populo
Suggessit super omnia
Diligere coelestia.

8a. Ergo, praesul pietatis
Et amator caritatis,
Te precamur,
Qui moramur
Sub tua custodia,

8b. Ut paterno imploratu
Ab aeterno cruciatu
Nos educas
Et perducas
Cum pacis laetitia

9. In coelesti gloria.

Trop. ms. Cameracense saec. 10/11. Cod. Cameracens. 79. A. — Trop. ms. Cameracense saec. 11/12. Cod. Cameracens. 61. B. — Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 180. C. — Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 123 add. saec. 15. D. — Miss. Cameracense imp. Parisiis 1542. E. — Mel.: Mane prima Sabbati. — 1, 3 est fehlt E. — 3a, 1 Qui terrena E. — 7a, 1 quam fehlt E. — 8b, 1 Ut patrono E.

176. De sancto Auberto.

1a. Offerantur in hac die
Gregis nostri laudes piae
Glorioso praesuli,

1b. Dum effundit patri vota
Filiorum mens devota,
Dulce sonent moduli.

2a. Cedat prorsus, quidquid maestum,
Quidquid grave vel infestum
In festo pontificis,

2b. Nec discordet chorus iste,
Nubilosum quid aut triste
Sonis miscens musicis.

3a. Dum accessit vir beatus
Ad honorem praesulatus
Multis fulsit meritis,

3b. Multi mundum reliquerunt
Et ad Christum cucurrerunt
Ad vocem antistitis.

4a. Waldetrudem cum marito
Mundi curis expedito
Convertit ad Dominum,

4b. Sic honoris implens onus
Intendebat pastor bonus
Ad salutem hominum.

5a. Persuasit Aldegundi,
Ut relicto luxu mundi
Sponsa Christi fieret,

5b. Et sacrandae misit velum,
Patens patris prece caelum,
Dum hanc benediceret.

6a. Landelinum vox superna,
Jam currentem ad inferna
Per vias nequitiae,

6b. Revocavit prece patris
Et ad sinum sanctae matris
Reduxit ecclesiae.

7a. Rex exsultat Dagobertus,
Dum adscire vult Aubertus
Eundem hospitio,

7b. Nec ingratus exstans ei
Large ditat domum Dei
Villae beneficio.

8a. Sic adjuvit vivens multos
Nec desistit post sepultos
Adjuvare cineres,

8b. Nam in vanum non laborant,
Ejus opem dum implorant,
Aegroti vel pauperes.

9a. Ave, praesul gloriose,
Quem virtutum ornant rosae,
Quem honorant luminosae
Cives omnes patriae.

9b. Tuae virtus sanctitatis
Nos emundet a peccatis
Et perducat cum beatis
Ad coronam gloriae.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 223. add. saec. 15.

177. In Translatione s. Auberti.

1 a. Sancti patris in honore
Sonet vocis laus canorae,
Quo patrono, quo pastore
Gaudet hoc collegium.

1 b. Qui praeclaram ducens vitam
In virtute stabilitam
Stravit nobis viam tritam
Ad coeli fastigium.

2 a. Pium patrem et benignum
Fecit Deus signis dignum
Et levavit quasi signum
In his nationibus.

2 b. Dignus morte Landelinus
Et inferno jam vicinus
Ad vitales Christi sinus
Redit sancti precibus.

3 a. Plures ejus hortamentis
Spretis mundi blandimentis
Obtulerunt purae mentis
Summo regi munera.

3 b. Laudet ergo grex Aubertum,
Ut hoc duce per desertum
Hujus vitae callem certum
Percurrat ad supera.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 123. A. — Miss. ms. Morinense saec. 16. Cod. Audomarens. 215. B. — Mel. wohl: Verbum bonum.

178. De sancto Audomaro.

1 a. Praesulis Audomari
Triumphos venerari
Studeat ecclesia,

1 b. Veneremur hodie,
Cujus nos quotidie
Fovent patrocinia.

2 a. Memor evangelii
Spe centeni praemii
Omnia deseruit,

2 b. Mundi spretis omnibus,
Relictis parentibus
Soli Deo studuit.

3 a. Pluribus miraculis
Vita tanti praesulis
Refulsit per saecula,

3 b. Velut gemma splenduit,
Per quem primo claruit
Nobis Christi regula.

4 a. Dies nunc recolitur,
Qua sanctus reducitur
A custode venditus,

4 b. Non permisit Dominus
Adimpleri facinus
Mutando divinitus.

5 a. Fera stupent agmina,
Nil valent conamina,
Deserunt immobilem,

5 b. Abbas fugit territus,
Sanctus suis redditus
Exhibet se mobilem.

6 a. Via nequit capere
Tot volentes cernere
Domini magnalia;

6 b. Seges sparsim vellitur,
Quae statim erigitur
Patroni praesentia.

7 a. Mutatur elementum,
Dum vestes transcurrentum
Non madent ex flumine;

7 b. Rediit cum honore
Punito venditore
Pro commisso crimine.

8 a. Dies redit annua,
Qua privatur vidua
Sinistro officio,

8 b. Festum non reveriti
Contrahuntur digiti
Palmae fixi medio.

9a. Sed placato praesule
Prece, planctu vetulae
Salus datur pristina;

9b. Per quem Dei filius
Nobis sit propitius
Nostra delens crimina.

Miss. ms. Morinense saec. 16. Cod. Audomarens. 215.

179. De sancto Audomaro.

1a. Fluctuantes per hoc mare,
Sancte praesul Audomare,
Tuis salva precibus,

1b. Ne nos hostes et piratae
Conquassata spei rate
Demergant in fluctibus.

2a. Sicut olim oves Christi
Tuo ductu direxisti
Ad coelestes pascuas.

2b. Sic hunc gregem, pastor bone,
In vivorum regione
Victurnm constituas.

3a. Tu relicto patris lare,
Felix exsul, regulare
Subisti coenobium;

3b. Sic ad plenum elimatus
Satis digne praesulatus
Conscendisti solium.

4a. Gratulentur votis plenis,
Qui de terris alienis
Tantum habent exsulem,

4b. O felices illae plebes,
Quibus nostrae spei lebes
Talem dedit praesulem.

5a. Ave, pater reverende,
Veni clemens et intende
Gregis ad subsidium;

5b. Te ductore sic regamur,
Quod directe gradiamur
Ad perenne gaudium.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 123.

180. De sancto Augustino.

1. Supernorum civium

2a. Laudi consonent laudes,
quam offert hodie
coetus ecclesiae,

2b. Celebrans Augustini,
patris sanctissimi,
felicem transitum.

3a. Quo transit ex isto
saeculo ceu de Aegypto,

3b. Multimodis rege
Niliaco plagis attrecto.

4a. Nam virga ejus
virgas absorbuit
magorum,
dementantium regnatorem
Aegyptiacum,

4b. Cum serpentina
ejus prudentia
dogmata
annullavit prava schismatum
nec non haeresum.

5a. Hic Aegyptiorum
aquas in sanguinem
convertisse cognoscitur,

5b. Dum quasi divinam
culturam daemonum
comprobavit mortiferam.

6a. Multas plagas
in Aegypti
fecerat populum,
Israelis
adversarium.

6b. Israeli
exhortando
dedit fiduciam
possidendi
terram promissam.

7a. Per mare rubrum
iter siccum pandit
virga praedicta
manu ipsius,

7b. Dum clericorum
vitam strictam docet
sancta regula
per ipsum data.

8a. Haec omnem
lasciviam respuit
et ad Christi formulam
configurat clericos,

8b. Dum vitam
communem instituit,
a Christo discipulis,
per hos clero traditam.

9a. Hanc regulam
tamquam virgam Aaron
tamquam nullius honoris
contemnit
elatus globus Abiron;

9b. Sed qui virgae
flores dedit aridae,
ad sui honorem
reformat
communis vitae decorem.

10a. Igitur
te sancte poscimus
Augustine,
ut, qui viam
regiam praeostendisti,

10b. Per illam
et nos obtineas
pervenire
sub ducatu
tuo, quo tu pervenisti,

11. Egregie Philochristus.

Grad. ms. Palat. Vindobonens. 12314 saec. 11. A. — Miss ms. Claustroneoburgense 71 saec. 14. B. — Miss. ms. Claustroneoburgense 72 anni 1472. C. — 5a, 3 convertisse non dubitatur BC. — 7a, 3 praedita BC. — 9a, 4 contendit A. — 10b, 2 obtineas et nos B. — 10b, 5 tu fehlt ABC; quo fehlt B. — 11, 1 phylo Christi B.

181. De sancto Augustino.

1a. Augustino praesuli
Decantemus singuli,
A quo fluunt rivuli
Scripturarum.

1b. Dux futurus populi
Luxum fugat saeculi
Imbremque dant oculi
Lacrimarum.

2a. Dum codex inspicitur,
Quo Christus induitur,
Mox error repellitur
Aegrae mentis.

2b. Vox clamat, quod editur
A magnis nec laeditur
Sed in se mutabitur
Mens edentis.

3a. Praecellens ingenio,
Fervens desiderio
Studet in mysterio
Trinitatis.

3b. In haeresis vitio
Pugnat verbi gladio,
Orbem replet radio
Veritatis.

4a. Pastor pascens pabulo
Verbi, vitae spiculo
Omnes, adminiculo
Suum gregem.

4b. Res plena miraculo,
Absque morbi vinculo
Persolvit in lectulo
Carnis legem.

5a. In perenni requie
Revelata facie
Manens regis gloriae
Contemplator.

5b. O doctor egregie,
Tuae sis familiae
Apud ipsum veniae
Impetrator.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123.

182. De sancta Austreberta.

1. Hodiernum virginis
Festum dignis gaudiis
Recolat ecclesia.

2a. Hujus diem virginis
Splendor veri luminis
Sua lustrat gratia,

2b. Quo contemptrix saeculi
Vires fregit zabuli
Potenti victoria.

3a. Ejus fuit meriti,
Quod velamen capiti
Suo comptum cerneret,

3b. More dum infantulae
Umbram suae formulae
In aqua conspiceret.

4a. O beati oculi,
Qui tanti miraculi
Viderunt sublimia
Per Christum prodigia.

4b. Res effectum habuit,
Nam quod umbra docuit,
Est in brevi termino
Consecrata Domino.

5a. Hanc vir clarus
Audomarus
Informavit
Et sacravit
Dei dignam gratia,

5b. Quae magnorum
Meritorum
Plena fulsit
Et indulsit
Infirmis solatia.

6a. O insignis Austreberta,
Margarita es reperta
Nuper in ecclesia,

6b. Tuam gentem, tuae laudi
Attendentem, clemens audi
Poscens vitae praemia.

7a. In fornacem te ingressa
Flammae virtus est repressa,
Cum signum crucis faceres
Pannisque prunas tegeres.

7b. Cujus oram vestimenti
Vis non ussit elementi,
A fornace infera
Nos tua prece libera.

8a. O beata, o benigna,
Austreberta, laude digna,
Apud regem
Christum gregem
Nostrum reconcilia,

8b. Ut patrona te confisi
Ad amoena paradisi
Scala precum
Intrent tecum
Longa post exsilia.

Miss. ms. Morinense saec. 16. Cod. Audomarens. 215. — Mel. selbstverständlich: Mane prima Sabbati.

183. De sancto Austregiselo.

1. Plebs fidelis concine
Cum jucundo carmine
Laudes Austregisili,

2a. Pulsa cordis tympanum,
Sonet vocis organum
Viro venerabili,

2b. Ecce, gemma militum
Scandit aulam coelitum
Cum triumpho nobili.

3a. Commutavit gloriam
Linquens transitoriam
Pro incommutabili,

3b. Debellavit vitium
Mentis aedificium
Petra fundens stabili.

4a. O thesaurum numinis,
Quem nec splendor sanguinis
Nec parentum monitus
Trahunt ad concubitus.

4b. Amor temporalium
Suadet conjugium,
Sed transit in spiritum
Caro perdens debitum.

5a. Regem linquit
Nec delinquit,
Discit legem
Et ad regem
Regendum eligitur.

5b. Mulcet, terret,
Ne quis erret,
Non in sola
Frangit mola
Et utraque frangitur.

6a. O praeclare,
Nos dignare
Et exaudi
Tuae laudi
Congregatos hodie.

6b. Tu beatus
Advocatus
Et medela
Contra tela
Latentis perfidiae.

7a. Per te quidem vidit caecus
Et sessorem sternit equus,
Dum spiritu nequitiae
Cingit ensem militiae.

7b. Urbem solvis a tributo,
Perit praeses cive tuto
Et vincitur egregie
Mentis incoeptum regiae.

8a. O corona sacerdotum,
Sidus inter astra notum,
Preces fundis
Et immundis
Imperas spiritibus.

8b. Illos ergo procul pelle,
Fac nos solum Christum velle,
Sumus tui,
Fac nos frui
Praemiis coelestibus.

9. Hoc det ejus gratia,
Qui regnat per omnia
Saecula.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. — Mel. offenbar: Mane prima sabbati.

184. De sancta Barbara.

1a. Laudent toto corde cleri
Cum devoto et sinceri
Barbarae solemnia,

1b. Quae cognovit trinitatem
Deo vovens castitatem
Vitae per insignia.

2a. Cujus pater idolorum
Cultor erat, qui decorum
Castrum strui fecerat,

2b. Cum fenestris tantum binis,
Ejus nata sed cum trinis
Fore imperaverat.

3a. Virgo fonte baptizatur,
Cui virtus talis datur,
Fert medelam languidis:

3b. Deum trinum confitetur
Genitoris nec terretur
Minis multum perfidis.

4a. A vi patris hanc ferebat
Marmor, pastor qua prodebat
Signi per indicium;

4b. Quique marmor fit repente,
Grex locustae, fit volente
Deo hoc prodigium.

5a. Hinc acerbis cum flagellis
Dire cruciatur pellis
Mitis sanctae Barbarae,

5b. Sauciata carceratur,
Nocte plagis haec sanatur,
Carcer splendet jubare.

6a. Mane facto retorquetur,
Lampas ardens adhibetur
Apertis lateribus,

6b. Caput magis purum stellis
Fit percussum cum martellis,
Truncatur urberibus.

7a. Denudatur, agitatur,
Alba stola sed velatur
De coeli cacumine;

7b. Pro devotis exauditur,
Ense patris jam moritur
Divo fruens numine.

8a. Crimen laesae majestatis
Nece sponsae trinitatis
Actum temerarie

8b. Mox in reum vindicatur,
Nam per ignem concrematur
Perditis nefarie.

9a. Laxis fibris nunc clamemus,
Sponsae sponsum invocemus
Nostro pro collegio,

9b. Ut hinc ejus supplicatu
Expurgato a reatu
Detur vitae regio.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 180. add. saec. 15. A. — Miss. Cameracense imp. Parisiis. 1542. B. — 8b, 1 Mox in eum B. — 8b, 3 Perditis B.

185. De sancta Barbara.

1a. Mittit Dioscoro
Prolem non barbaram
Sed pagano thoro
Virginem Barbaram
Amator hominis.

1b. E spinis trahitur
Rosa vel lilium,
Dum tunc extrahitur
Flos infidelium
In partu virginis.

2a. Barbaram elicit
Ex stirpe pagana
Et suam efficit,
Ut paleae grana
Tollat de medio,

2b. Doctor Origenes,
Quod haec credat, poscit
Et tormenta penes
Docet iter, quo sit
Potens in proelio.

3a. Foras Christiana
Refert Christum regem
Et idola vana
Frangit atque legem
Patris imperii.

3b. Orat sursum ista
Cursum fons incipit,
A sancto baptista
Baptisma suscipit
Virtute nuntii.

4a. Accede, spiritus,
Conforta famulam,
Martyrii ritus
Fac hanc non aemulam
Et dic, ne timeas.

4b. Sis animo forti,
Cogita gloriam
Et aeternae morti
Firma memoriam
Et votum teneas.

5a. Audit et stabilis
Ad poenas ducitur,
Et carnis labilis
Mortem post patitur
Sed admirabilem.

5b. Nam ejus genitor
Caput amputavit
Et coeli janitor
Animam aptavit
In pace stabilem.

6a. Ergo, o Barbara,
Ora tuum sponsum,
Ne nos ad tartara
Satan in absconsum
Secum praecipitet,

6b. Sed dator bonorum
Dimissis peccatis
In regno coelorum
Tuis impetratis
In nobis habitet.

Grad. ms. S. Theoderici saec. 12. Cod. Remens. 169. add. saec. 15. A. — Prosar. ms. Theoderici saec. 15. Cod. Remens. 179. B. — Mel.: Mittit ad virginem. — 6a, 5 participet A.

186. De sancto Baudelio.

1a. Gaude, felix ecclesia,
Gaudio, quo coelestia
Cantus amoenos promunt,

1b. Vox intonet melodia
Baudelio praeconia,
Quem aetherea condunt.

2a. In solemne solatium
Rumpat chorus fidelium
Pervigili jubilo,

2b. Levita dum Baudelius
Ab Evurcio nuntius
Gothorum in populo

3a. Laetus partes ad australes
Verbo vertit infideles
Insigni victoria.

3b. Ardet hinc Gothorum coetus,
Intra minas dum stat laetus
Martyr in angustia.

4a. Victor peroptans terrestrem
Coelestis ditat victorem
Refulgenti bravio.

4b. Martyr minis non teritur,
Crescit et non minuitur
Fides in Baudelio.

5a. Errantibus dat solamen
Et egenis relevamen
Insignis martyr pius.

5b. Canunt strata simulacra:
Tu Baudeli, per lavacra
Fontis sis propitius.

6a. Horrenda pandunt tormenta
Martyri post blandimenta,
Visis quibus laetatur;

6b. Adstat saevus imperator
Dicens, Christi verbi sator,
Haec tibi praeparantur.

7a. Sanctus pronus ad verbera
Judici clamat: propera,
Tibi soli corpus datur.

7b. Tortor ferus hic adfuit,
Quo, dum verbis condoluit,
Sancti caput amputatur.

8a. Ex communi datur jure
A fideli sepulturae
Turba corpus martyris;

8b. Languentibus praestat opem
Et infirmis sanitatem
Hic locus prae ceteris.

9a. Alta laurus sanctum probat,
Ex tumulo quae germinat,
Qua frondes et folia

9b. Incessanter praebent cunctis
Languentibus et aegrotis
Miranda praesidia.

10. Nunc te martyr deposcimus,
Nostris adesse precibus,
Christum pro nobis precare,
Ut nos velit collocare
In coeli palatio.

Miss. Aeduense saec. 15. Cod. Sem. Aeduens. 120. — 5b, 1 Canunt strantes.

187. De sancto Benedicto.

1a. Sancti patris Benedicti
merita

1b. Pangamus, fratres devoti,
inclita.

2a. Quem tanta
suae pietatis
rex Christus decoravit
gratia,

2b. Quo ejus
sibi documenta
consciscat monachorum
milia.

3a. Nunc merito
post beatos
apostolos
venerandum sancta sanxit
per orbem ecclesia.

3b. Qui miseros
post peracta
flagitia
desperatos vita solet
reparare venia.

4a. Jam benignus pater
potensque archiater
divina
gaudet nunc praesentia,

4b. Qui quondam in terris
omnigenis studiis
mundana
vicit oblectamina.

5a. Quis rogo, quis
comparari
tanto queat caelibi
moribus,
viribus
virtutum
cumulato gloria?

5b. Quis omnium
retro patrum
tanta fulsit gratia
fulgida,
splendida,
ut ejus
testantur miracula?

6a. Huic omnis populi
fronte signati
tam magno, tam celso
subdite patri
colla devote
mites, humiles
percepta
redemptionis gratia.

6b. Quo ejus monitis
fide praeclaris
condigne parentes
jungi queatis
omnibus sanctis
coeli dindimis,
quis durant
sine fine gaudia

7. Sempiterna.

Prosar. ms. Tegurinum saec. 11. Cod. Londinens. Add. 19768.

188. De sancto Benedicto.

1 a. Resultent astra dulciter,
Corda recta suaviter
In ejus memoria,

1 b. Qui fuit venerabilis,
Deo valde amabilis
In carnis praesentia.

2 a. Nobilis erat genere,
Nobilior in opere,
Ut fantur sequentia:

2 b. Benedictus puer carus,
Pius placens, vultu clarus,
Omni plenus gratia,

3 a. Patrem fugit et patriam,
Sustinuit miseriam
Voluntate propria.

3 b. Sprevit mundum, mundi florem,
Dei crevit in amorem
Cum honoris gloria.

4 a. Quod frequenter haec ostendit,
Quae in illo non offendit
Dei sapientia.

4 b. Universae bonitatis
Datae viris approbatis
Continet insignia.

5 a. In spelunca occultatur,
Revelatus declaratur,
Applaudit Italia,

5 b. In pastorem eligitur,
Gregem pascit et pascitur
Per diva eloquia.

6 a. Lucet verbo et exemplo,
Domi, foris et in templo,
Congaudet ecclesia.

6 b. Tot et tantis miraculis
Effulsit coram populis,
Pars celatur media.

7 a. Fugat necem, morbos pellit,
Vitiorum onus tollit
Refraenat daemonia,

7 b. Benedicti miracula
Non sonat oris fabula,
Multa sunt et grandia.

8 a. Febre tactus incommodo
Absolutus culpae nodo
Petit oratoria,

8 b. Sacramenta communicat,
Absenti fratri indicat
Signa transitoria.

9 a. Transit pater ad Dominum,
Vivit in aula luminum
Possidens coelestia;

9 b. O dux, pater Benedicte,
Nobis confer palmam vitae
In superna patria.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123.

189. De sancto Bernhardo.

1 a. Ut devote compleatur,
Quod psalmistae vox hortatur,
Laus in sanctis persolvatur
Sanctorum opifici;

1 b. Nam in coelis coronavit,
Quos in terris consecravit,
Quorum cursum consummavit
Triumpho multiplici.

2 a. Bona nempe studeamus
Beatorum, quos amamus,
Imitari studia,

2 b. Quibus Deo floruerunt
Et transire meruerunt
Ad aeterna gaudia.

3 a. Ex illis sanctus Bernhardus
Tamquam pretiosa nardus
Redolet collegio,

3 b. Gloria miraculorum
Et splendore meritorum
Rutilans egregio.

4a. Crucifixit sibi mundum,
Ut se purum atque mundum
Servaret a vitiis;

4b. Totum Deo se dicavit
Et se ipsum victimavit
Jugibus martyriis.

5a. Ante prophetatus
Quam fuisset natus,
Quis futurus fieret,

5b. Post effulsit talis,
Ut a viis malis
Plurimos converteret.

6a. Zelantem ob res divinas
Contra pestes leoninas
Et monstra schismatica

6b. Istum sensit salutarem
Et columnam singularem
Sedes apostolica.

7a. Sic tyrannos refraenavit,
Inimicos complacavit,
Delevit discordias,

7b. Hydros trivit emergentes,
Vulsit haereses recentes,
Peremit blasphemias.

8a. Christi verbum seminabat
Regnis et provinciis,
Quod ubique roborabat
Signis et prodigiis.

8b. Novis orbem adornabat
Late monasteriis
Et supernis corruscabat
Saepe vaticiniis.

9a. Martham quidem atque Liam
Sanctis complens actibus
Plus Rachelem et Mariam
Fovit mentis viribus.

9b. Dum pro causis cogebatur
Vix exire gravibus,
Jugiter sigillabatur
Cor sub claustri legibus.

10a. Charismatibus politae
Tamquam vero coenobitae
Fuit ei tenor vitae
Virtutum perfectio

10b. Semper sese deprimebat
Summos gradus fugiebat,
Ampla quem tot eligebat
Urbium devotio.

11a. Lux tractandi tam sublimis
Hunc implevit coelitus,
Quod sic orthodoxis primis
Adaequatur inclitus.

11b. Regularem parans callem
Salvatoris gregibus
Claram suam fecit vallem
Viis spiritalibus.

12a. Flos famae, facundiae,
Morum, stirpis, gratiae,
Formae, sapientiae
Sanctum illustrabat

12b. Abbas in officiis
Vigil in custodiis
Crebris beneficiis
Multos hilarabat.

13a. O sacer athleta Christi,
Quos in Christo genuisti,
Quo beatus introisti,
Perduc ad palatium

13b. Et ecclesiae totius
Filiis succurre pius,
Ut his Christus, rex illius,
Det coeleste praemium.

Cod. ms. Trecensis (ol. Claraevallens.) 215. saec. $^{12}/_{13}$; daraus in Lalore, Reliques des trois tombeaux saints de Clairvaux. Troyes 1877 p. XXIV.

190. De sancto Bertino.

1a. Uni simul atque trino
Deo demus in Bertino
Laudes et magnalia:

1b. Puer annis generosus,
Sed prae cunctis gloriosus
Sanctitatis gratia.

2a. Ante florem pubertatis
Motus vicit levitatis
Animi constantia,

2b. Mundum sibi crucifixit
Et maturus senex vixit
In adolescentia.

3a. Audomari
Regulari
Fultus providentia,

3b. Nave ductus
Contra fluctus
Fundat aedificia.

4a. Comes orat
Et implorat
Vitam laesa tibia,

4b. Per Bertinum
Fundit vinum
Sicca prorsus hydria.

5a. In praedones
Et latrones
Immittit daemonia,

5b. Fugat Danos
Et insanos
Via necat invia.

6a. Sanctus praesul Turonis
Tentamenta daemonis
Solvit muliebria,

6b. Lex adstringit viduam
Neque movent mortuam
Multa borum paria.

7a. Sanat daemoniacum
Profugumque monachum
Firmat poenitentia;

7b. Lapsus tecti culmine
Liber a gravamine
Nescit praecipitia.

8a. Fugat noctem caecitatis
Et relaxat carceratis
Catenarum vinculam,

8b. Surdum, mutum, claudum sanat
Et de veste sanguis manat
Et de frugum stipula.

9a. Salve, pater et confessor,
Tamquam pius intercessor
Christo nos intitula,

9b. Ut te semper veneremur
Et cum Christo gloriemur
In aeterna saecula.

Miss. ms. Morinense saec. 16. Cod. Audomarens. 215.

191. De sancto Bertrando.

1a. Sacri festa confessoris
Recolamus et canoris
Exsultemus modulis,

1b. Gratulemur mente pura
Prosequentes cordis thura
Labiorum titulis.

2a. Digne decet venerari,
Digne dignum praeconari
Virtutis signiferum,

2b. Cujus fulsit insignita
Documentis sanctis vita
Verborum et operum.

3a. Homo verus, homo purus,
Mundo blandus, sibi durus,
Carnis calcans lubricum,

3b. Contra carnem dimicavit
Et se totum transformavit
In statum angelicum.

4a. Vicit carnem, vicit mundum,
Vicit fortem et immundum
Hostem Adae veteris,

4b. Ex his tribus conculcatis
Summae cultor trinitatis
Conregnat cum superis.

5a. Hospes terrae, civis poli,
Se subducens carnis moli
Sequens spiritalia,

5b. Dum a carne se suspendit,
Supra carnem comprehendit
Angelorum gaudia.

6a. Ubi totus mente tota,
Non impulsus mundi rota
Sed spe firma stabilis,

6b. Christi leve tulit onus,
Pastor lenis, pastor bonus,
Pius, prudens, humilis.

7a. Lignum frondens, vitis viva
Palma florens et oliva
Gratiae fructifera,

7b. Fructum dedit Deo gratum
Et transcendit orbis statum
Cedrus odorifera.

8a. Se praecingens castitate
Cum lucernae claritate
Vigil in excubiis

8b. Pernoctavit exspectando
Nuptialem sponsum, quando
Rediret a nuptiis.

9a. Supra petrae firmamentum
Domum struxit et talentum
Duplicatum reddidit,

9b. Servus prudens et fidelis
Non in terra sed in caelis
Talentum recondidit.

10a. Hic ad pauca constitutus
Ibi gaudet assecutus
Infinita milia,

10b. Hic dispergit, ibi legit,
Hic decessit, ibi degit
Immortali gloria.

11a. Cui finis infinitam
Dedit lucem, dedit vitam
Et perenne gaudium,

11b. O Bertrande, pastor bone,
Ad coelestis nos coronae
Introducas bravium.

Brev. Tolosanum imp. Parisiis 1553.

192. De sancto Blasio.

1a. Lux illuxit nobis laeta,
In qua passus est athleta
Blasius martyrium;

1b. Christi fidem, in qua fulsit,
Praedicavit et avulsit
Errores gentilium.

2a. Christianae fides turbae
Praeelegit hunc in urbe
Praesulem Sebastiae,

2b. Monargiae scandens montem
Vitam sanctam et insontem
Duxit solitarie.

3a. Hunc agrestes lustrant ferae,
Per quem gaudent obtinere
Sospitatis gaudia;

3b. Quem fidelis offert anus,
Est effectus puer sanus
Sancti per subsidia.

4a. Bellatoris corpus dari
Praeses jubet, lacerari
Ferreis pectinibus,

4b. Mulieres septem bonae
Assistentes in agone
Poenis dantur paribus.

5a. Lacus totus exarescit,
Aqua tota extabescit,
Dum sanctus ingreditur,

5b. Infideles hunc sequuntur
Et renato submerguntur
Lacu, dum egreditur.

6a. Jussu tandem praesidali
Poenae datur capitali
Cum duobus pueris;

6b. Cujus precum interventu
Collocemur in conventu
Coelesti cum superis.

Miss. ms. Biterrense saec. 14. Cod. S. Josephi Lugdunens. Yd 5. — 2b, 1 sonst heifst dieser Berg Mons Argeus. — 3b, 1 Que Hs. — 4a, 1 Bellatores Hs. — 4b, 3 Prius datur paribus Hs.

193. De sancto Briccio.

1a. In natale tanti viri
gaudeat haec concio,

1b. Ut per ipsum liberari
possit a supplicio.

2a. Qui temptatus, ut peccaret,
fuit a daemonio,

2b. Saepe sibi proclamante:
eia te, Briccio.

3a. Sed vir sanctus mundum spernens
et mundus a vitio

3b. Castus vixit et immunis
ab omni contagio.

4a. Hoc probavit ignis ardens,
quem portavit pallio,

4b. Et hoc Christus demonstravit
infantis eloquio.

5a. Pulsus, tractus, exsul factus
plebis maleficio,

5b. Dum plebs saevit, sanctus flevit
cum magno suspicio,

6a. Pro beati juste pati
se dicens opprobrio,

6b. Romam tendit, Papae pandit,
datur benedictio.

7a. Hunc honorat ac decorat,
restaurat officio,

7b. Ejulavit, qui peccavit,
in sancti convitio.

8a. Celebravit, consecravit
divinum mysterium,

8b. Dum veniret et adiret
Turonis ovilium.

9a. Armentinus repentinus
mortis in exsilio

9b. Pastorali cathedrali
locatur in solio.

10a. Dei dona multa bona
ministrat in propria,

10b. Post septenis vivens annis
migravit in gloria.

11a. Ejus pia suffragia
perducant ad gaudia.

11b. In sanctorum patria,
ubi pax et gratia.

Miss. ms. S. Martini Turonens. saec. 15. Cod. Turonens. 194. A. — Miss. ms. S. Martini Turonens. saec. 15. Cod. Turonens. 195. B. — 9a, 2 Armentius AB; armentinus für armentivus = armentarius? — 9b, 2 locatur in exsilio A.

194. De sancta Caecilia.

1. Ave, praeclara
poli stella,
de stirpe gentium,
Caecilia, divinitus orta.

2a. Euge, coeli porta,
cui fit aperta
trinitatis lumen
summae fontem laetitiae
conspicaturae
lucis in arce.

2b. Virgo Dei summi,
regina saecli
praeelecta ut sol,
pulchra lunaris ut fulgor,
agnosce omnes
te diligentes.

3a. Tu juncta sponso
sponsum exspectans lampade,
praeparatum divini
decoris thalamum
intras feliciter.

3b. Te conjugatam
donis tercentenis auctam,
duplex praedicatricem
centena virginum
corona perornat

4a. Tu agnum regem,
virginum amatorem
virginisque prolem virgo sectaris,
cui martyr rubens virgo
placuisti.

4b. Tuque ferocem
sponsum quasi leonem
sponsique fratrem ad fidem convertens
damnoso crimine mundos
exuisti.

5a. Hoc gentium rex perquisito
Valerianum cum Tiburtio
mirum in modum
Christo innixos
velut occisionis agnum
regnantem coeli aeternaliter
revocavit ad poenam
mactandum mysterialiter.

5b. Hic manna datum Israelitis,
coelo veris Abrahae filiis
admirantibus,
quondam Moysi
quod typus figurabat, et mox
abducto velo noctis admotu
forti virgo hos corde
pane coeli dignos efficit.

6a. Jam fontem dulcem
gaudent in coelo,
quam Christe parasti,
degustare,
sed virgo falsa fide
renuens constringi
monet Almachium,
utrem tumidum
in sese speculari.

6b. Fax ignis cedit
nec eam laedit
ut rubum, quem flamma
non combussit;
sed virgo martyr facta
ter caesa cervice,
bis tincta carne
mundi Domino
meruit praesentari.

7a. Audi nos,
virgo, quam sponsus
exaudiens honorat.

7b. Salva nos,
Jesu, pro quibus
virgo martyr te orat.

8a. Da rogatu Caeciliae,
pudicos mentis oculos
in te defigere,

8b. Quo haustu sapientiae
saporem vitae valeat
mens intelligere,

9. Christianismi fidem
operibus
praevenire,
beatosque fide
spe firmos, caritate duplici,
auctor, ad te transire.

Grad. ms. Franciscan. in Hüls saec. 15. — Mel.: Ave praeclara maris stella.

195. De sancta Caecilia.

1a. Exsultemus cum jucundo
Cantu, corde simul mundo
Virginis martyrium;

1b. Victis hoste, carne, mundo
Caecilia de profundo
Scandit ad palatium.

2a. Virgo prudens, exsors sordis,
In arcano semper cordis
Servans evangelium,

2b. Foris nitens indumentis,
Subtus cultum parans mentis
Gerebat cilicium.

3a. Cantantibus organistis
Commutare non pro istis
Vult Christi connubium,

3b. Fructum ventris virginalis
Rogans, ne sponsi carnalis
Sentiat contagium.

4a. Stupentem Valerianum
Sponsum mittit ad Urbanum,
Praesulem fidelium,

4b. Quem in fide reddit sanum,
Cui Deus et germanum
Sociat Tiburtium.

5a. Currunt fratres ad certamen,
Cui virgo dat solamen,
Ut vincant supplicium;

5b. Cadit corpus, vincunt tamen
Nec pavent mortis gravamen
Propter vitae praemium.

6a. Sponsa sponso reddens vicem
Feriendam dat cervicem
Neque timet gladium,

6b. Sponsus sponsam pugnatricem
Introducit in felicem
Thalamum coelestium.

7a. Caecilia, nos exaudi,
Ut resistas semper fraudi
Nobis adversantium;

7b. Sancto fine fac nos claudi
Et vacantes tuae laudi
Duc ad regni solium.

Miss. ms. Venetense saec. 15. Cod. Rotomagens. 307.

196. De sancto Calixto.

1a. Mater Sion gloriosa,
Hierusalem filia,

1b. Jucundetur Deo libans
vocum modulamina.

2a. Jucundare, dies ista
tibi confert gaudia,

2b. Quae Calixti viri sancti
refert natalitia.

3a. Hic Calixtus ab aetate
juventutis florida
Famulatur regi suo
servitute fervida.

3b. In quo dulci famulatu
zabuli familia
Adversatur famulanti
veri Dei nescia.

4a. Contra fidem conterendam
surgit idolatria,
Nazareos Dei viros
provocat ad proelia.

4b. Horum unus, vir Romanus,
Petri trahens retia,
Coartatur, dum piscatur,
raptus ad judicia.

5a. Imperantis Alexandri
ductus ad praetoria,
De neganda Christi fide
suscipit contraria.

5b. Nega Christum, inquit praeses,
et diis sacrifica,
Alioquin per tormenta
peribis horrifica.

6a. Praeses ait, Deos colis,
hominum simulacra,
Ego Deum vivum colo,
qui creavit omnia.

6b. Qui creavit coelum, terram
et fundavit maria,
Hunc adoro nec formido,
quaevis fer supplicia.

7a. Hoc relatu praeses motus
ferali dementia
Sub horrenda jubet claudi
carceris angustia.

7b. Clausus ergo Christi miles
premitur inedia
Et addictus poenis diris
vicit patientia.

8a. Sic tyranno superato
palmam de victoria
Infert coelo, congaudenti
gaudeat ecclesia.

8b. O Calixte, quo concive
gaudet coeli curia,
Te precamur, nobis adsis
reddens prima gaudia.

Miss. ms. Marchianense saec. 16 in. Cod. Duacens. 89. A. — Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. B. — Miss. ms. Cisoniense saec. 16. Cod. Insulens. 37. C.

197. De sancto Carlilefo.

1a. Clare rutilans
symphonia
dulci resonet melodia

1b. Phtongis paribus
metricata
phalanx reboet ac librata.

2a. Sancti patria
digne gesta
anni orbita revoluta

2b. Pandat plectrica
voce summa
omnis concio atque tanta.

3a. Succincto perplexa
ordine harmonia
terminatis magadis
resultet sonora

3b. Cunctaque per loca
Quantitate discreta
castigatis nervulis
musica psallat.

4a. Quinque conlectet
species prima
cordulis tensa
bis spatia bina,

4b. Quibus tonorum
efficit summa
et diapente
dat regulam rectam.

5a. Inter haec
terna tonorum spatia
bina occurrit
semitonii inaequalitas

5b. Imparque
proportionalitas,
sicque succrescit
constitutionis duplica.

6a. Post quam diatessaronica
proportio est altera

6b. Binarii tono gemino
semitonio atque acta.

7a. *Tonis geminis*
geminatis
stat symphonia
diapasonica,

7b. Octonarii
singularis
perfectione
nervis exposita.

8a. Finis primae mesanica
initium secundae
bis diapason
complet melodiam.

8b. His est omnis cantilena
melodiis cauenda,
quidquid resonat
omnis symphonia.

9a. Hac in sancti hodierna
Karileppi gratia
Tibi, Christe, regi regum,
damus laudes inclitas.

9b. Quem regnantem super aethra
coeli laudant agmina,
Sanctus, sanctus terque sanctus
semper proclamantia.

10a. Quem adorat summa coeli
terrae nec ne machina,
Supplicamus corde puro
menteque humillima

10b. Hujus sancti confessoris
juves nos clementia,
Qui cum sanctis tecum regnat
per saeculorum saecula.

Cod. Aurelianens. (ol. Floriacens.) saec. 9. add. saec. 10/11 mit Neumen. — In Str. 7 ist die Schrift durch Feuchtigkeit fast erloschen; die drei mit liegender Schrift gedruckten Worte sind nicht mit Sicherheit zu lesen. — 3a, 4 und 6b, 2 haben je eine Silbe mehr als die Parallelzeile. — In der Hsch. trägt die Prosa den Titel „Prosa Clarellae".

198. De ss. Cassiàno et Hippolyto.

1a. Laudes Deo modulizet
solemnis ecclesia,

1b. Laureata triumphali
martyrum victoria,

2a. Qui Jerusalem coelestis
ornant aedificia,

2b. Sardii inter beryllos,
rosae inter lilia.

3a. Purpura regis induta
legio pulcherrima,

3b. Suavissimi odoris
facta Deo victima.

4a. Hi bellatores,
Qui tenentur regis David
Sion propugnacula,

4b. Triumphatores,
Quorum stolas sanguis lavit
Agni sine macula.

5a. Felix eorum conflictus
et felix victoria,
Brevis poena, merces plena,
sine fine gloria.

5b. Agnum sequentes occisum
gestant diademata
Et theologa concinnant
exsultantes pneumata.

6a. Horum stemma ornat gemma
Nobis splendens
Et egregie praetendens
Passionis documenta,

6b. Cassianus, qui per manus
Pueriles
Gloriosus Dei miles
Mortis passus est tormenta.

7a. Eruditor puerorum
Caeditur stilis eorum
Tyranni sententia,

7b. A discipulis in schola,
Pueris aetate sola,
Fit magister hostia.

8a. Felix ille magistratus,
Infelix discipulatus,
Nocens pueritia;

8b. Ille nutrit, isti caedunt
Ille docet, isti laedunt,
Bono dant contraria.

9a. Psallat ergo puerilis
martyri laetitia,

9b. Quem non bene puerilis
libavit saevitia.

10a. Cum quo gaudet et trophaei
Et hujus festae diei
Hippolytus gaudia,

10b. Pro amara passione
Laetus clara mansione
In coelesti regia.

11a. Jaspides duo micantes
Die juncti superis
Hodierna,

11b. Nos vobis solemnizantes
Ferte precum humeris
In superna.

12a. Adjuvante generali
sanctorum frequentia

12b. Et praestante rege regum,
cui laus et gloria.

Prosar. ms. Laudunense saec. 12. Cod. Laudunens. 263. — Mel.: Congaudentes exsultemus.

199. De sancta Cilinia.

1a. Gaudeat et jubilet
fidelis ecclesia,

1b. Solemnizans renovet
hodierna gaudia.

2a. Dies est sacrata,
qua subit coelorum
palatia

2b. Mater gloriosa,
devota Christo, sancta
Cilinia.

3a. Sacer vates Montanus
audivit secreta
coelestia,

3b. Quod per eam Galliae
parceret divina
clementia.

4a. Nec mora, nuntiat,
qualis fuerit sententia,
Dicens: paries
filium, cui Deus sacra
committet
plebis regimina.

4b. O benedicta
talem portantia viscera,
Qui lacte matris
manu sacrata caecum vatem
perungens
reddidit lumina.

5a. O quanta supernorum
civium cura
creditur de salute nostra,

5b. Nam precibus illorum
diu sterili
fecunditas est renovata.

6a. Igitur germinantia
terrae cuncta
benedicant voce pura
et collaudent tua,
summe Deus, opera.

6b. Ex cujus prudentia
est concessa
matri sanctae proles sancta,
coelo digna, per quam
gens Francorum inclita

7a. Verae fidei sacramenta
est assecuta,

7b. Ut mereatur sempiterna
coeli gaudia.

8a. Ideo te rogamus,
Dei electa,

8b. Ut nostra excuses
delicta tua

9. Prece benigna
in coeli curia.

Prosar. ms. Laudunense saec. 12. Cod. Laudunens. 263 A. — Miss. ms. S. Remigii saec. 13. Cod. Remens. 122. B. — Mel.: Hodierna Christi pangimini. — 3b, 2 pateret B. — 4a, 2 fuerat B. — 4a, 4 committeret B. — 4b, 2 portantis A, portans B. — 6a, 3 benedicantur B. — 7b, 1 mereantur B.

200. De sancta Clara.

1a. Sonet vox ecclesiae
Digna laudes hodie
Virginis eximiae,
Sanctae Clarae.

1b. O digna memoriae,
Quae cum rege gloriae
Palmam fers victoriae,
Gratulare.

2a. Cui merces operis
Solvitur cum superis,
Quia sponso frueris,
Quem amasti.

2b. Quanto carne nobilis,
Tanto magis caeteris
Humilem puellulis
Te donasti.

3a. Adhuc virgo tenera,
Mundi spernens prospera,
Poenitentis aspera
Suscepisti.

3b. Sub Francisci formula
Relinquendo singula
Perfecta discipula
Tu vixisti.

4a. Jam congaudent angeli,
Quod in sexu fragili
Fluxum diri saeculi
Conculcasti.

4b. Hic exemplo vigili
Nos in carne simili
Sub procella labili
Confortasti.

5a. Clara, candens lilium,
Forma, flos humilium,
Tuum per auxilium
Consolemur.

5b. Ora Dei filium,
Spes sanctorum milium,
Ut post hoc exilium,
Coronemur.

Grad. ms. Franciscan. saec. 14. Cod. Pragens. I E 12.

201. De sancta Clara.

1a. En in regno claritatis
Clara regnat cum beatis
Virgo cum virginibus,

1b. Juncta sponso castitatis
Gaudet nuptiis optatis,
Aeternis amplexibus.

2a. Clara stirpe generosa
Claris claret actibus,
Nominata necdum nata
Est praeventa laudibus.

2b. Haec Franciscum imitata
Mundi spretis opibus,
Altis votis elevata
Praevolat virtutibus.

3a. Haec in claustro paupertatis
Sese Christo dedicat
Et exempla sanctitatis
In orbe multiplicat.

3b. Haec magistra dominarum,
Felix primiceria,
Greges ducit puellarum
Ad Christi connubia.

4a. Casta membra cruce terit,
Crucifixum corde gerit
Crucis amans glorias;

4b. O quam dura vestitura
Macerare membra pura
Suas docet filias.

5a. Orat, civis liberatur,
Gens profana diffugatur,
Pelluntur daemonia.

5b. Mire panis augmentatur
Oleumque coelo datur
Sanantur languentia.

6a. Digne tanti reputatur,
Quod infirmans honoratur
Papali praesentia;

6b. A regina visitatur,
Transitura palliatur
Virginum solertia.

7a. Scandit coelos laureata,
Cum beatis jam beata,
Probant mirabilia;

7b. Luce clara vocitata,
Cujus claret decorata
Floribus ecclesia.

8a. Virgo Clara
Tuis para
Devotis hospitia,

8b. Per te data
Sint optata
Salus, quies, gloria.

Prosar. Franciscan. saec. 13/14. Cod. Parisiens. 1339.

202. De sancta Clara.

1a. Novae lucis radius
In excelsis oritur,
Sole fulget clarius,
Clare Deo fruitur.

1b. Clara quidem nomine
Sed virtute clarior,
Illustris propagine
Sed gestis illustrior.

2a. Dum mater pavesceret,
Ne partu deficeret,
Audivit oraculum,

2b. Quod lumen produceret
Clarum, quod claresceret
Universum saeculum.

3a. Carnis supercilium
Domans per jejunium
Ab aetate tenera,

3b. Sub fulgore vestium
Celabat cilicium
Parvipendens prospera.

4a. Toto mentis studio
Inhaerens vestigio
Virginis Christiferae,

4b. Francisci consilio
Soli Dei filio
Praeelegit vivere.

5a. Haec Francisci plantula
Se celans in cellula
Dominarum pauperum,

5b. Mansurum per saecula
Inchoavit primula
Ordinem florigerum.

6a. In supernis sedibus
Virgo cum virginibus
Clara clare radias,

6b. Tuis sanctis precibus
Junge coeli civibus
Fratres atque filias.

Miss. ms. Romano-Franciscan. saec. 14. Cod. Carpentoractens. 107.

203. De sancta Clara.

1a. Inclarescat melodia,
Clara cordis harmonia
Clarae det praeconia,

1b. Concors soli symphonia
Trina poli hierarchia
Depromat tripudia.

2a. Haec est planta novitatis,
Spinis septa paupertatis,
Rosa pudicitiae,

2b. Sacco tecta vilitatis,
Fune cincta castitatis,
Gemma poenitentiae.

3a. Ortum docet virginalem
Concludendo sensualem
Haustum virulentiae,

3b. Legem ligat sensualem
Per doctrinam spiritalem
Vitae sanctimoniae.

4a. O quam clare illustratur,
Velut Jacob contemplatur
Spiritus excubias,

4b. Petrae caput reclinatur,
Humo nuda pernoctatur
Edom ob insidias.

5a. Quam praeclara signis facta,
Claritatis nomen nacta
Dono parsimoniae,

5b. Caro menti sic subacta
Vi virtutis dat contracta
Foenus patientiae.

6a. Ergo, mater pietatis,
Nos illustra claritatis
Bysso novae gratiae,

6b. Sacco, fune nuditatis
Cinctos stola novitatis
commutetur gloriae.

Grad. ms. Bernhardinorum Cracoviensium s. sign. saec. 15. ex. A. — Miss. ms. Voraviense 35. saec. 14. B. — Grad. ms. Graecense 36. saec. 14. C. — Grad. ms. Franciscan. saec. 14. Cod. Parisiens. 10503. D.

1a, 3 dant A; dat D. — 1b, 2 Terna A. — 3a, 3 virulentia A; virulentiam D. — 3b, 3 sanctimonia A; sanctimoniam D. — 4a, 1 praelustratur D. — 5a, 1 O quam praeclara BC. — 5a, 3 Domo A. — 6b, 2 Cunctos stella. A. — 6b, 3 comitetur A. — B giebt die Sequenz irrtümlich als de S. Caecilia und schreibt sogar unsinnig 1, 2 Caecilia cordis harmonia, obschon hier Clara Adjektiv, nicht Eigennamen war. — Die Hs. D stammt aus dem hl. Lande und ward 1630 von den Türken angekauft.

204. De sancta Clara.

1a. Lucis novae claritas
Illustrat ecclesiam,
Quam insignit sanctitas
Novae Clarae.

1b. Praecellens humilitas
Redundans in gratiam
Laudis est sublimitas
Tam praeclarae

2a. Haec in matris utero
Quasi lumen radians
Mundo fore misero
Praesignatur.

2b. Quae clara progenie
Sacris rebus inhians
Sub virtutum serie
Regulatur.

3a. Haec Francisci filia
Et lapis primarius,
Inclusarum praevia
Dux virtutis.

3b. Quarum multa milia
Sequuntur ardentius
Ejusdem vestigia
Spe salutis.

4a. Crebrescunt miracula
Ob vitae praeconium,
Approbantur singula
Fide plena.

4b. Liquor crescit olei
Ac panis edulium,
Pars fugatur fidei
Aliena.

5a. Mors Christi praesentia
Ac sacrata virginis
Et coelesti curia
Honoratur.

5b. Per quam clarus exitus
Per quam sacri flaminis
Donum nobis coelitus
Largiatur.

Miss. ms. Francisc. n. saec. 14. Cod. Cenomannens. 249.

205. De sancto Clemente.

1a. Glorietur Gallia
Clementis clementia,
Quae misit divinitus

1b. Athletam Macarium
Adversus Mercurium
Conterendum penitus.

2a. Tertius ecclesiae
Romanae Clemens pie
Episcopus praefuit,

2b. Informatus moribus
Petri nostris gentibus
Et Judaeis placuit.

3a. Insidians impius
Uxori Sisinius
Caecus, surdus redditur,

3b. Sed Clementis precibus
Renovatis sensibus
Sanus reefficitur.

4a. Sed ut morum floribus
Velut ver redoluit,
Paganis dolentibus
Trajanum non latuit.

4b. Rescribit: Diis praebeat
Clemens sacrificium,
Aut trans mare subeat
Chersonae exsilium.

5a. Mamertinus igitur
Tentat hunc pervertere,
Sed hunc Clemens nititur
Ad fidem perducere.

5b. Tanta Deus gratia
Suum testem imbuit,
Quod et necessaria
Judex navi tribuit.

6a. Cum ad locum pervenerunt,
Exsulatos invenerunt
Plus quam duo milia;

6b. Marmoribus hi secandis
Damnabantur a damnandis,
Quibus dixit talia:

7a. Ut sim consolationis
Consors sicut passionis,
Missus sum cum miseris.

7b. Ut aquam gravi taedio
De sexto miliario
Ferri novit humeris,

8a. Inquit: Tu qui percussisti,
Deus, petram et dedisti
Aquam in abundantiam,
Hanc releves inopiam.

8b. Post hoc vidit agnum Dei,
Qui ostendit locum ei,
Fodiensque sarculo
Potum dedit populo.

9a. Ad hanc famam baptizantur
Quingenti, fana vastantur,
Septuaginta fundantur
Et quinque ecclesiae.

9b. Per populum tunc paganum
Fama currit ad Trajanum,
Qui misit Arfidianum,
Ministrum perfidiae.

10a. Qui cum sanctum intuetur,
Jubet anchora ligetur
Collo et praecipitetur
Sic in maris medium.

10b. Quo facto suis flentibus
Et ad eum orantibus,
Tribus recessit milibus,
Cernunt domicilium

11a. Sancti, locum saxeum
Et templum marmoreum.

11b. Tam pia victoria
Praestet nobis gaudia.

Miss. ms. S. Remigii Remens. saec. 13. Cod. Remens. 122 add. saec. 14. — 3b, 3 reficitur Hs.

206. De sancto Corbiniano.

1. Deus deorum,
vera sanctorum
confessorum
gloria tuorum,

2a. Hoc sacro confessore
cum levi pacto nomine

2b. Gloria et honore
coronasti eum, Domine.

3a. Posthumus natus
vocatus
fit patris nomine,

3b. Sed matri gratus
mutatus
nominis omine.

4a. Corbinianus,
cor binum
gerens, crementa
geminae caritatis

4b. In terris sevit,
quod crevit,
sinus implevit
messibus centuplatis.

5a. Nobilis indolis
mundi pompis frivolis,
lusibus subdolis

5b. Restitit propere
cordis, oris, operis
strenuus opere.

6a. Rimatur grammata
psalmidica,
sectatur dogmata
dominica,
rimando, sectando
scripta lectitat,
actitat
operando.

6b. Carnis illecebris
obstat crebris,
orans jejuniis,
vigiliis,
mansuetus, quietus,
castus, sobrius,
humilis,
prudens, pius.

7a. Cum subterfugia
quaerit, honorum
majorum
crescit gloria.

7b. Nam sacerdotio
papatus donat,
coronat
pontificio.

8a. In via fessum,
famem perpessum
per piscem aquila
sanctum pavit.

8b. Jussu domatur
ursus, saginatur
jugalis vice, quem
nece stravit.

9a. Furem mula reportavit
abiens, qui eam
stimulavit.

9b. Latro vitae redit sanus,
pensus patibulo
triduanus.

10a. Montem baculo fodit,
fons siliens prodit,
lux oranti mane
fulgens sane
coelitus se prodit.

10b. Odoris residuum
manet per triduum,
praescit vitae metam,
intrat laetam
aulam spirituum.

11a. Terrae mandata
servans pignora beata
stat Frisingia laureata.

11b. Spes datur orbi,
morbi quilibet curantur,
arrepticii liberantur.

12a. Dux bone,
pater patrone,
paterna
prece pia
in aeterna gloria
nobis adsis memoria.

12b. Cunctorum
laus confessorum,
corona,
merces bona,
Christe, nobis praemia
cum eis da coelestia.

Miss. ms. S. Crucis 21 saec. 15. A. — Miss. ms. Mellicense 979 saec. 15. B. — Miss. ms. Underdorfense anni 1437 Clm. Monacens. 7550. C. — Miss. Pataviense imp. 1503. D. — Miss. Frinsingense imp. 1579. E. — 6a, 3 secta vir dogmata D. — 12b, 2 Christe laus B.

207. De ss. Cosma et Damiano.

1a. Venerentur Christiani
Gloriosi Damiani
Cosmique solemnia,

1b. Quos effudit venter unus,
Votum, vita, fides, funus
Quos unit per omnia.

2a. Horum quidem fervens votum
Ad supernam tendit totum
Et suspirat patriam,

2b. Vita docet intuentes,
Fides pugnat inter gentes,
Vincit idolatriam.

3a. Sic ad sanctum funus tendunt
Et humana vilipendunt
Intenti coelestibus,

3b. Gratis praestant medicinae
Curam aegris et doctrinae
Salutem errantibus.

4a. Temptat praeses infidelis,
Ut ad scelus fixum caelis
Fratrum trahat spiritum,

4b. Sed dum simul stant invicti,
Post tormenta sunt addicti
Pari poenae capitum.

5a. Horum ergo sub honore
Sonet dulcis et canorae
Vocis jubilatio,

5b. Ut in festo jubilaei
Nostra sit in domo Dei
Cum ipsis cantatio.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 180. A. — Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 123. B.

208. De ss. Cosma et Damiano.

1a. Dies adest reverenda,
Dies votis amplectenda,
Dies digna laudibus,

1b. Diem Deus hanc sacravit,
Qua praesentes aggregavit
Martyres martyribus.

2a. Isti fratres sunt natura,
Fide, poenis, sepultura,
Signis et potentia,

2b. Quos gemellos mater fudit,
Hos coaequat, hos concludit
Meritum et gloria.

3a. Ars istorum medicina,
Quorum fuit disciplina
Pretium respuere,

3b. Gratis datum gratis dabant
Et sic manus conservabant
Immunes a munere.

4a. Vim medendi, qua pollebant,
Ex coelesti obtinebant
Dono, non ab homine,

4b. Ars humana, vis herbarum
Cito fallit, prodest parum
Sine sacro flamine.

5a. Qui salutem dat aegroto,
Sed ex parte, non ex toto,
Non est artis optimae

5b. Ars, quam docet sacrum flamen,
Confert aegris medicamen
Corporis et animae.

6a. Claudus, surdus, mutus, caecus
Sanabantur, quin et pecus
Horum beneficio.

6b. His cesserunt cuncta rite,
Daemon, tortor, crux, sagittae,
Lapis, mors, perditio.

7a. Consummatos fine pari
Jussit simul tumulari
Vox cameli nuntia,

7b. Sic in terris praedicatur,
Sic in coelis coronatur
Martyrum victoria.

8a. Pater, pastor, rex cunctorum,
Nutri, serva, rege chorum,
Ut sequamur vota, quorum
Fruimur praesentia.

8b. Vobis Cosma, Damiane,
Grex a somno surgens mane
Verae vitae vero pane
Vivat vestri gratia.

Miss. ms. Morinense saec. 16. Cod. Audomarens. 215.

209. De ss. Crispino et Crispiniano.

1a. De radice verae vitis
Pullulavit palmes mitis
Odoris fragrantia,

1b. Flore vernans fructu dulcis,
Quem in hujus terrae sulcis
Fixit Dei gratia.

2a. Hic est sanctus vir Crispinus
Et cum eo vir non minus
Digna dignus laurea,

2b. Per quos hujus regionis
Coli coepit a colonis
Carnis Christi vinea.

3a. Ante regis torvos vultus,
Quem delectat Jovis cultus,
Mente stant intrepida

3b. Assertores legis novae,
Ut in Christum spreto Jove
Corda credant perfida.

4a. Praedicata fide foris
Victum intus in sutoris
Promerentur cellula,

4b. Ne fidelis sermo fictus
Videatur causa victus,
Quem non praestat subula.

5a. Gloriantur stringi loris
Nec in vocem vis angoris
Prorumpit interea,

5b. Dum injustus rex injuste
Torquet justos, caedit fuste,
Descendit in troclea.

6a. Sudes inter ungues mitti
Patiuntur non inviti
Non edentes murmura,

6b. Horret cutis jussa tolli
Dura manu dorso molli
Nuper usa purpura.

7a. Vincti saxis in abyssi
Congelato fluctu missi
Servantur ab anxona;

7b. Cujus ripe restituti
Laudem summae dant virtuti
Voce menti consona.

8a. Stridet adeps in lebete,
Ubi fortes sunt athletae
Flamma frixi subdita,

8b. Quibus pice, plumbo coctis
Post unius cursum noctis
Amputantur capita.

9a. Pressa prelo tam crudeli,
Dum redundat clivo preli
Sanguinis vindemia,

9b. Coeli patent apothecae
Animasque sine faece
Admittunt cum gloria,

10. Cum solemni Alleluja.

Miss. Suessionense imp. Parisiis 1516.

210. De ss. Crispino et Crispiniano.

1. Diligens quos et in fide
germanos et in genere,

2a. Passionis testes suae
Deus ornat hodie
stola gloriae,

2b. Tamquam aurum nobile
decoctos in fornace
patientiae.

3a. Quos nec sub ense
timor poenae
potuit evincere

3b. Qui pari mente
spe coronae
dimicarunt strenue.

4a. Hos jam dignos requie

4b. Dux hujus militiae

5. Vocatos ad se
adscripsit digne
in libro vitae
cum diligentibus se.

Miss. ms. S. Remigii saec. 13. Cod. Remens. 122. add. saec. 14. — Leider ohne Mel. Von 4a an in der Hs. nur zwei Clauseln, deren zweite mit 5, 2 beginnt.

211. De sancto Cuthberto.

1. Alme concrepent
sonore linguae
Alleluja,

2a. Odis organicis
harmonizando eja

2b. Mira mirifice
(eja) Cuthberti insignia

3a. Clara, coeligena
vernat qui coelipotens
inter astra,

3b. Orbe signipotens
pollet apostolica
et per gesta.

4a. Infantia
cujus sacra virtutum
habuit primitiva
crepundia ista.

4b. Miridica
pusioli parvuli
triennis praedixerat
tenera lingua

5a. Inthronizandum cathedra
sacra praesulem
cleri laude veneranda.

5b. Hoc infulatus munere
primo culmina
post pervenit ad majora.

6a. Arcanus arce
missus ab alta
Raphael adest
huic lampabilis (huic),
digna ferens remedia
languido genu
imponenda.

6b. Hinc lunigera
nocte profunda
jam noctiundus [sic]
ferri viderat
Aidani animam
pompa triumphi
super astra.

7a. Monazonta
fit hinc rutilis
sola considerans
theorica

7b. Ac delato
sibi meruit
pasci obsonio
per supera.

8a. Et dum tanta
luce fulguraret
Christi gemma
satis almicoma,

8b. Gloriosa
sacer sublimatur
a popello
pontifex cathedra.

9a. Hinc gaudet virgo laeta
hoc sponso ecclesia.

9b. Hinc fides Christi, hinc pax
alma Christi pullulat.

10a. Laus ubique volat
jubar hoc
coeleste praedicans.
Comperta hac fama
adest caterva
morbiflua
cara captans remedia

10b. A Christi immensa
gratia
in isto rutilans.
Osculum quo dante
puer, quem mater
seminecem
detulerat, revixerat.

11a. Prophetica
qui dum gratia
noscit futura
ut praeterita,

11b. Insignia
sua ultima
lingua praescia
praesignaverat.

12a. Victor lauripotens
cum magna gloria.

12b. Coeli hymnidicans
scandit ad curiam,

13. Clarus ovans
ubique praesentia
Christi aeterna.

Miss. ms. Whitbiense saec. 14. Cod. Oxoniens. Miscell. Liturg. 390.

212. De ss. Cyrico et Julitta.

1. Pangat simul, eja,
praesens caterva

2a. Saeculo veneranda
martyrum certamina,

2b. Qui dudum carnis cuncta
calcarunt supplicia.

3a. Tibi gloria
ac virtus sit, Christe, omnia
per saecula,

3b. Cujus gratia
contulit sanctis triumphandi
constantiam.

4a. Ecce hodie
redit annua
Dies lucida,
qua de terra
insontem Cyricum
sublimasti
super ardua
coeli sidera.
Cujus inclita
genitrix Julitta
coelica
infanti
propinabat pocula.
Inter dulcia
amplexus oscula,
admonens, terrea
ne unquam
formidaret verbera.

4b. Statim fidei
tectus galea
Coram praesidis
Alexandri
perductus conspectu
adhuc trinus
se Christicolam
ultra reboat.
O quam stupenda
in sanctis pietas
Domini,
o magna
ipsius clementia!
Qui necdum verba
tonare poterat,
respuit idola
et mira
restitit facundia.

5a. Hinc laus sit aeterna,
virtus ac magnificentia,

5b. Jesu bone, per cuncta
tibi saeculorum saecula.

6. Amen simul
clangat vox nostra.

Miss. ms. S. Amandi saec. 13. Cod. Valentinianens. 114. A. — Miss. ms. S. Amandi saec. 14. Cod. Parisiens. 1101. B. — Miss. ms. S. Amandi saec. 14. Cod. Valentianens. 111. C. — Prosar. ms. S. Amandi saec. 16. Cod. Valentianens. 99. D. — 3a, 2 omnia ergänzt. — 4a und b bestehen jedes aus vier Klauseln. — 4b, 3 Clara praesidis B. — 4b, 15 conari poterat AB. — Die Sequenz ist vermutlich von Hucbald; vgl. J. Desilve, De schola Elnonensi, Lovanii 1890 p. 186 et 187 bis.

213. De ss. Cyrico et Julitta.

1a. Christum regem collaudemus
Et laudando praedicemus
Martyrum victoriam,

1b. Qui per poenas meruerunt,
Quod jam coelum intraverunt
Et coelestem gloriam.

2a. Quia Christum amaverunt,
Propter eum tradiderunt
Corpus ad supplicia,

2b. Nec vincuntur in tormentis,
Nam divinae virtus mentis
Adest eis praevia.

3a. Alter horum est Cyricus,
Dei carus et amicus,
Sua matre socia.

3b. Rapiuntur et ligati
Et catenis coartati
Adstant ad praetoria.

4a. Praesentatur tribunali
Sub catena sociali
Julitta cum filio,

4b. Ante regis feritatem
Confiteri trinitatem
Audent ore proprio:

5a. Trinitatem unitatis,
Unitatem trinitatis,
Deum unum credimus,

5b. Universa qui creavit
Et infernum spoliavit,
Illum pie colimus.

6a. Pueriles puer manus
Coelo tendens: Christianus
Ego sum, ingeminat;

6b. Vitam carnis vult exire
Et vult vitam introire,
Quam finis non terminat.

7a. Mater timet et veretur,
Ne quod puer confitetur,
Deserat perterritus;

7b. Ille matrem consolatur
Et ad palmam exhortatur
Repromissam coelitus.

8a. Juste Deus, nil contemnis,
Puer erat vix triennis
In aetate parvulus,

8b. Sed in sensu juvenili
Sub aetate puerili
Christi cultor sedulus.

9a. Sancti Dei cruciantur,
Et diversa variantur
Tormentorum genera,

9b. Simul ambo gratulantur,
Simul ambo decollantur,
Simul scandunt aethera.

10a. Sic in fide permanentes
Et immoti persistentes
Passi sunt martyrium,

10b. Illos fratres veneremur
Et eorum deprecemur
Devoti suffragium.

11a. Ergo, Christe, per laborem
Quem sunt passi ob honorem
Tui sancti nominis,

11b. Tuae regnum pietatis
Nobis confer emundatis
Omni noxa criminis.

12a. Da post mortem corporalem
Vitam nobis aeternalem
In coelesti solio,

12b. Ut cum sanctis perfruamur,
Quorum opem deprecamur,
Angelorum gaudio.

Miss. ms. Ebroicense saec. 15. Cod. Ebroicens. 99. — 11a, 2 ob honorem fehlt Hs. und ist hier ergänzt.

214. De ss. Cyrico et Julitta.

1a. Lumen vitae sanctis datum,
Res praeclara, munus gratum,
Felix eminentia,

1b. Quo virtutum jubar crescit,
Jugum mortis emarcescit,
Floret innocentia.

2a. Lucis hujus ornamento
Forma datur firmamento,
Firmatur ecclesia,

2b. Stellis splendor ampliatur,
Sanctis honor cumulatur
Et accedit gratia.

3a. Quis humanae statum mentis
Solidavit in tormentis,
Quis subegit tristia?

3b. Quis immanes tyrannorum
Pressit motus et malorum
Confregit imperia?

4a. Christus vitae lumen verum
Pacis auctor, ordo rerum,
Dei sapientia,

4b. Dei virtus, rex virtutum,
Verbum verax, cujus nutum
Subsequuntur omnia.

5a. Hic praecones veritatis
Eruditos in mandatis
Formavit scientia,

5b. Ut efferrent excellenti
Gradu statum testamenti
Super sacrificia.

6a. Dedicata sunt in sanctis,
Quae per manum judicantis
Coronantur gloria.

6b. Hinc praeclarae passiones,
Plagae mortis et agones,
Hinc sacra martyria.

7a. Hoc virtutes insignitae
Cyrici sunt et Julittae
Claraque victoria,

7b. Qui quo Christo passi poenas
Sedes nacti sunt amoenas
Et regna felicia.

8a. Res miranda, res stuporis,
Res coronae dignioris,
Res virtutis conscia,

8b. Quod tormentis actus crebris
Sexus stetit muliebris
Nec cessit infantia.

9a. Infans tener in tortura
Fide Christum loquens pura
Fideli constantia

9b. Cum parente flagellatur,
Quae plus tamen anxiatur
In prolis angustia.

10a. Quos non posse frangi videns
Ira ferox, voce stridens
Praeses ab insania

10b. Condemnatos sorte pari
Jubet ambos decollari
Dictante saevitia.

11a. Vita segnes, actu rei
Vos precamur, sancti Dei,
Voce voti praevia,

11b. Ut ad regnum claritatis
Nos orando transferatis
De mundi malitia.

Miss. ms. Aquicinctense saec. 12. Cod. Duacens. 90. A. — Miss. ms. S. Amandi saec. 13. Cod. Valentinianens. 114. B. — Miss. ms. S. Amandi saec. 14. Cod. Valentinianens. 111. C. — Grad. ms. Aquicinctense saec. 15/16. Cod. Duacens. 124. D.

A giebt die Sequenz als de Sancta Ursula, D als de sancta Sambaria, wodurch folgende Auslassungen bedingt werden: Str. 1b fehlt A. — Str. 6a fehlt AD. — Str. 9 und 10 fehlen AD. — 3a, 2 solidatur A. — 5a, 1 Hinc praecones A. — 5a, 3 Ornavit D. — 7a, 2 sq. Virginum sunt hoc politae claraque victoria AD. — 7b, 1 Quae... passae AD. — 7b, 2 nactae AD. — 8b, 3 Fideli constantia AD. — 11a, 2 sanctae Dei AD.

215. De sancto Demetrio.

1a. Regnum emit, pro quo demit
Tria pius a se prius
Athleta Demetrius;

1b. Sic impletur ejus omen,
Ut laudetur juxta nomen
Suum efficacius.

2a. Demit tria sane, quia
Mundi sensum, fastum, censum
Abdicavit penitus.

2b. Emit eo, quod se Deo
Voto, prece, vita, nece
Dedicavit funditus.

3a. Non hunc favor promissorum
Neque pavor tormentorum
Potuerunt vincere,

3b. Quin constanter, incessanter
Christi fidem palam quidem
Praedicaret libere.

4a. Ob hoc captus, vinctus, raptus
Condemnatur et necatur,
Perforatur lanceis;

4b. Per hanc mortem ad cohortem
Angelorum beatorum
Pervenit cum laureis.

5a. Marianum fecit sanum,
Non est vanum, ejus manum
Adjutricem poscere;

5b. Hunc precemur, ut purgemur
Et lucremur, quod donemur
Salvandorum dexterae.

Miss. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 74. — 4b, 3 Pervenit o laureis.

216. De sancto Donatiano.

1a. Dies nobis reparatur
Solemnis laetitiae,

1b. Qua Donatiano datur
Corona justitiae.

2a. Hunc patronum
Patri nonum
Partus unus edidit,

2b. Qui creari
Modo pari
Septenos non credidit.

3a. Hic futurus vas honoris
Et exemplum ceteris,

3b. Decus vitae sanctioris
Addit annis teneris.

4a. Aquis absorptus
Vivus manet, sed obortus
Clamor plangit mortuum,

4b. Dum stat immota
Natans super eum rota,
Effertur post triduum.

5a. O quam pulchrum renovavit
In eo spectaculum,
Qui Moysen conservavit
In aquis infantulum.

5b. Cetus Jonam devoratum
Reddit terrae sospitem,
Marna praebens famulatum
Novum fovet hospitem.

6a. Praesul Remis consecratus,
Acceptus omnibus
Et moribus ornatus
Aequitatis stans in via,

6b. Martham foris exhibebat
Per ministerium
Sed otium quaerebat
Intus idem, quod Maria.

7a. Nunc in bonis consummatus
Est a Deo commendatus
Signis et miraculis,

7b. Daemon, aqua bulliente
Quos caecavit, hic repente
Lumen reddit oculis.

8a. Miles sancto preces sternens,
Se precantem dire spernens
Caecatur continuo,

8b. Ex flagello culpam noscens,
Quod negabat, mox ignoscens
Per hunc videt denuo.

9a. Vota reddunt pro salute
Duo paralitici,

9b. Gloriantes de virtute
Tam potentis medici.

10a. Filiorum jugulatrix
Atque viri, dum peccatrix
Flet in ferro scelera,

10b. Sancto Dei provoluta
Culpa ferroque soluta
Domum redit libera.

11a. Ipse pedes compeditae
A junctura natium
Separavit,

11b. Quae procedens expedite
De salute gaudium
Reportavit

12a. Cujus prece
Nos a faece
Mundi, Deus, erue

12b. Et post mortem
Redde sortem
Salutis perpetuae.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 180. A. — Miss. ms. Cameracense saec. 15. Cod. Cameracens. 151. B. — Miss. Cameracense imp. Parisiis 1542. — Mel. selbstverständlich: Congaudentes exsultemus.

217. De ss. Donatiano et Rogatiano.

1a. Dies ista sit jucunda,
In qua fulgent duo munda
Mundo luminaria,

1b. Duae rosae speciosae,
Quae nunc spirant gloriose
In coelesti curia.

2a. Quam felices fratres isti,
Quorum ad honorem Christi
Agimus solemnia,

2b. Quos nec horror carceralis
Nec tyranni bestialis
Tenuit saevitia.

3a. O miranda virtus mentis,
Quae nec minis nec tormentis
A Christo fit devia,

3b. Miro modo gravis poena
Fit suavis, fit amoena,
Dura fiunt mollia.

4a. Miro modo poena gravis
Fit amoena, fit suavis
Et tormenta dulcia,

4b. Nam dum caro flagellatur,
Mitis fratres consolatur
Spiritalis gratia.

5a. Cum sit ergo generalis,
Nostrae tamen specialis
Urbis est laetitia,

5b. Urbe nostra fratres nati,
Urbe nostra sunt renati
Christo per supplica.

6a. Alter unda baptizatus
Sed uterque decollatus
Pari fulget gloria,

6b. Quem non fecit unda lotum,
Cruor fusus lavit totum
Et mentis constantia.

7a. Cui sacerdos abfuit
Non illi minus adfuit
Divina potentia,

7b. Quibus enim cor devotum,
His nocere sacerdotum
Non potest absentia.

8a. Omnes ergo jubilemus,
Jubilantes celebremus
Fratrum natalitia,

8b. Hos precantes corde puro,
Ut sint nobis hi pro muro
Contra mundi vitia.

Miss. ms. Nannetense saec. 15. Cod. Cenomannens. 223. — 6b, 1 Qui non fecit Hs. — 7a, 1 Qui sacerdos Hs. — 7a, 2 abfuit Hs.

218. De sancto Edmundo.

1a. Laetabundus
Edmundo decantet mundus,
Alleluja,

1b. Qui jucundus
Exsultat in Deo mundus
In gloria.

2a. Edmundi memoria
Per mundi confinia
Viget cara,

2b. Corporis praesentia
Erit in ecclesia
Semper clara.

3a. Oppressis daemonibus
Ejus est hominibus
Virtus nota,

3b. De diversis Partibus
Concurrit cum laudibus
Plebs devota.

4a. Laetetur religio
Sancti patrocinio
Praemunita,

4b. De cujus consortio
Coeli gaudet legio
Infinita.

5a. Populis est cognitum,
Ad videndum deditum
Corpus sancti, positum
Sancta theca.

5b. Per hunc mutus cecinit,
Aeger sanum meminit,
Creatura desinit
Essae caeca.

6a. Hujus sunt opera,
Velut innumera,
Quae docet visus
et litera.

6b. Hic prece prospera
De valle misera
Nos regna ducat
ad supera.

Miss. Trecense imp. Trecis 1533.

219. De sancto Eleutherio.

1a. Tornacensis civitas,
Laudes pange debitas,
Est enim solemnitas
Patris Eleutherii;

1b. Per quem cessit falsitas,
Nam gentes indomitas
Reduxit ad semitas
Divini consilii.

2a. Hunc Serenus genuit,
Blanda mater aluit,
Motus carnis domuit
Et aetatis lubricae.

2b. Christum puer induit,
Hinc Tornaco praefuit,
Ubi pastor claruit
Praevisus prophetice.

3a. Dum perfusus coeli rore
Christum orat in fervore
Temptat eum suo more
Satanas per virginem.

3b. Quae subintrat in furore,
Nacta tempus hujus horae,
Causam morbi pandens ore,
Gestit ad libidinem.

4a. Dum declarat blandimentis
Flammam ignis vehementis,
Mox ad vocem arguentis
Suffocata corruit.

4b. In excessu sanctus mentis
Orat precibus attentis,
Exauditur vox petentis,
Hanc vitae restituit.

5a. Verbum vitae sanctus serit,
Infideles plaga ferit,
Pars insanae plebis perit,
Praeconem incarcerat.

5b. Christus sancti curam gerit,
Nam qui erat, est et erit,
Solvit claustrum, vectes terit
Et pastorem liberat.

6a. In fervore magnae spei
Caecus orat sanctum Dei,
Signo crucis confert ei
Sanitatis gratiam.

6b. Vir infectae speciei
Clamat: miserere mei;
Mox compassus sanctus rei
Purgat leprae scoriam.

7a. Dolentes haeretici
Suum dogma dejici,
Sancto plagas ingerunt,

7b. Morte coepit affici,
Cives adsunt coelici
Spiritumque deferunt.

8a. Thecla vacat somnio,
Suscitata tertio
Jussum facit publicum;

8b. Sancti fit inventio,
Thecla fit de medio
Post sumptum viaticum.

9a. Per te, pater, tres defuncti
Suscitantur vita functi,
Tornacenses in te cuncti
Respirant pro venia.

9b. Tua prece sint compuncti
Pro peccatis, intus uncti,
Donec Christo plene juncti
Fruantur in patria.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123.

220. In Elevatione s. Elisabeth.

1a. Super omnes una mitis,
Ortu magna Sunamitis
Duo ligna colligit,

1b. Et junctura fit lignorum,
Dum ducissa Thuringorum
Paupertatem eligit.

2a. Prima, postquam senuit,
Praecursorem genuit,
Elisabeth fecunda;

2b. Prolem edit geminam,
Masculum et feminam,
Elisabeth secunda.

3a. Forma nuptis et imago,
Viro servit haec virago
Tamquam Sara subdita;

3b. Quo defuncto, de nuptarum
Fructu laeta, viduarum
Transvolat ad merita.

4a. Abyssus gloriae
Abyssum invocat
In se miseriae,
Quae sese collocat
In loco flentium.

4b. Luctus et gemitus
Est consolatio,
Paupertas spiritus
Felix possessio
Terrae viventium.

5a. Miris fulget vita signis,
Plus mirandis mors insignis
Et honore multo dignis
Ad multorum commoda.

5b. Habet vita vocem diam,
Fugam hostis, prophetiam,
Dulcem avis melodiam
Et signa multimoda.

6a. Mors octonis in defunctis
Et in aegris claret cunctis
Ejus beneficium.

6b. Auro mundo corpus mundum
Collocatur in secundum
Propitiatorium.

7a. Sic talentum super aurum,
Duplum legit sic thesaurum,
Gloriae divitias;

7b. Sic oliva pietatis
Paradisi voluptatis
Fertur ad delicias.

8. Quo nos omnes, Jesu bone,
Tua dulci visione
Satiari facias.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 180. — Miss. Cameracense imp. Parisiis. 1542. B.

221. In Inventione ss. Epiphanii et Isidori.

1. Laudemus Epiphanium
Demus mundum praeconium.

2a. Pangat chorus noster melos,
Tangat dulcor cujus caelos.

2b. Isidoro causa pari
Laus a choro debet dari,

3a. Non funebri tragoedia
Sed celebri melodia.

3b. Hi devote toti tui,
Christe, pro te sunt mortui.

4a. Haec profecto plenissima
Ostenditur dilectio

4b. Pro dilecto dum anima
Exponitur martyrio.

5a. Sic Stephani debet cani
Egregium martyrium,

5b. Militum Christi praevius
Meritum habet celsius.

6a. Hujus latum os brachii
Ornat statum Bisuntii.

6b. Magnificemus virginem,
Cujus habemus pectinem,

7a. Crines, cingulum filii,
Sui cumulum gaudii.

7b. Excedit rerum ordinem,
Quae dedit Deum hominem.

8a. Innocentum reliquiae
Sunt augmentum laetitiae,

8b. Hi sanguine baptizati
Sine fine sunt beati.

9a. Haec praefata simul data
Sunt incolis Chrysopolis
A pio Theodosio.

9b. O quam bonum fuit donum,
Quanta praesens ecclesia
Tanta habens jocalia.

10a. Quorum adest solemnitas,
Horum juvet nos sanctitas,

10b. Ut consequamur gratiam,
Adipiscamur gloriam.

11a. In qua verae divitiae
Sunt et verae deliciae,

11b. Fastigia, concordia,
Praeconia perennia.

Miss. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 74. A. — Miss. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 77. B. — Miss. Bisuntinum imp. Parisiis 1497. C. — 11a, 2 merae deliciae A.

222. De sancta Eusebia.

1. Pulsis luctus tenebris
Adest nobis celebris
Novae lux laetitiae,

2a. Votis, vita, vocibus
Insistamus laudibus
Praecluis Eusebiae,

2b. Cujus mores, actio
Laus, virtus, devotio
Trames sunt justitiae.

3a. A primaevo tempore
Miro fulta robore
Maturescit moribus,

3b. Matris paret monitis,
Matrem aequat meritis,
Matri compar actibus.

4a. Aetas, sexus, dignitas,
Census vel prosperitas
Non ad res illicitas
Ejus flectunt semitas.

4b. Haec Abysag mystica,
Axa Caleph typica
In cella Hammatica
Vita vivit coelica.

5a. Nata Jepte
Nil inepte
Machinatur,
Dum sacratur
Deo placens hostia,

5b. Arens lignum
Praestat signum
Vitae mundae,
Cum fecunde
Nova promit folia.

6a. Martyr mente,
Nam attente
Carnem domat,
Ne quid promat
Contra legem spiritus;

6b. Tecta velo
Vacat caelo,
Fervet zelo,
Zeli telo
Vulnerata coelitus.

7a. O lucerna luminosa,
Margarita pretiosa,
O navis institoria,
Phiala libatoria.

7b. Sis adjutrix copiosa,
Nostri custos operosa,
Tres signis est notoria,
Quam felix sis in gloria.

8a. Nostris votis obsecunda,
Nos emenda vita munda,
Fide funda
Et fecunda,
Duc ad lucis atria.

8b. Ubi nec vis est nec poena
Sed pax, salus, quies plena,
Vitae vena,
Lux amoena,
Ubi Deus omnia.

9. Amen dicant omnia.

Grad. ms. Marchianense saec. 14. Cod. Duacens. 114. A. — Miss. ms. Marchianense saec. 12. Cod. Duacens. 83. add. saec. 12. B. — Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. C. — Mel.: Mane prima Sabbati.

223. De sancto Eutropio.

1. Plectrum linguae moderetur
Et affectus excitetur
Vocum consonantia,

2a. Lyrae chorda temperetur
Et in servo collaudetur
Rex, qui regit omnia.

2b. Non discordet voci vita,
Si vox cordi sit unita,
Dulcis est symphonia.

3a. Decantemus in hac die
Eutropii pii pie
Pia natalitia,

3b. Discant omnes et discant singuli,
Xantonensis hic salus populi,
Lux, decus et hostia.

4a. O quam felix, quam praeclarus
Fuit martyr Deo carus
Ex regum propagine,

4b. Summi regis opera
Videns sprevit prospera
Cum mundi caligine.

5a. Erat praesens in deserto,
Cursu currens tunc incerto,
Quando quinque milia

5b. Panis vivus satiavit,
Bis sex sportas cumulavit
Quinque panum copia.

6a. Et in urbe Jebusaea
Erat, quando plebs Hebraea
Christo venit obvia,

6b. Lazaro jam suscitato
Parum ante circumdato
A Judaeis Messia.

7a. Haec et plura vidit signa
Salvatoris fide digna
Felix hic Eutropius,

7b. Mente Christo jungitur,
Cujus mortis nititur
Felix fore socius.

8a. Cum audisset Christum passum
Mortem crucis, non incassum
Jam passo compatitur;

8b. Mox relictis omnibus,
Auro, gemmis, opibus
Ad has partes mittitur.

9a. Vita signis
Vir insignis
Corde, ore
Miro more
Verbum Dei praedicat,

9b. Multi credunt,
Morbi cedunt,
Moestis risum,
Caecis visum
Reddit, aegros visitat.

10a. Mundi facit contemptores
Deo parcos et victores,
Morbos fugat et languores,
Reprimit daemonia.

10b. Dat captivis libertatem,
Vitae confert novitatem,
Ditat dictam civitatem
Morum affluentia.

11a. Christi martyr, lux decora,
Prece pia Christum ora
Et pro nobis nunc implora
Ejus patrocinia.

11b. Nostra salus, spes reorum,
Consors regni beatorum,
Pressos mole vitiorum
Deo reconcilia.

12a. Assistentes tuae laudi,
Pretiose martyr, audi,
Quos hic soles confovere,
Post hanc vitam lucis verae
Transfer ad palatia.

12b. Quos hic Christo scis servire,
Ora poenas non sentire,
Sed cum dies erit irae,
Nobis confer et largire
Sempiterna gaudia.

Miss. ms. SS. Trinitatis Vindocinens. saec. 15 ex. Cod. Vindocinens. 267 bis. A. — Miss. ms. SS. Trinitatis Vindocinens. anni 1457. Cod. Vindocinens. 16. B. — 1a, 1 moduletur A.

224. De sancto Everardo.

1a. Militis eximii
Concio Cysonii
Recolat memoriam,

1b. Qui praesentem praedio
Digniter in proprio
Fundavit ecclesiam.

2a. Hic illustris actibus,
Parentela, moribus
Eleganter claruit,

2b. Atque Christo populum
Colligens incredulum
Bellando perdomuit.

3a. Tenente Lothario,
Ludovici filio,
Monarchiam Galliae

3b. Terrae principatui
Hujus et ducatui
Praefuit Italiae.

4a. Contra gentes perfidas
Sclavos, Mauros, Numidas
Ducebat exercitum,

4b. Ut eas converteret
Et errorem pelleret
Ab ipsis ingenitum.

5a. Hinc turba gentilium
Sequens evangelium
Fiebat catholica,

5b. Crescebat religio,
Quia suppositio
Cessabat phantastica.

6a. At vir beatissimus
Cunctisque gratissimus
Condens monasteria

6b. Deo servientibus
De suis redditibus
Dabat necessaria.

7a. Non honor, non dignitas,
Nec rerum prosperitas
Poterant attollere,

7b. Sic e contra tristia
Supervenientia
Nequibant opprimere.

8a. Consolator pauperum,
Se servabat exterum
Ab omni superbia,

8b. Ad coeli palatium,
Ubi pax et gaudium,
Via tendens regia.

9a. Everarde nobilis,
Patronus immobilis
Nostro sis collegio,

9b. Ut carmen assiduum
Hic et in perpetuum
Cantet cum tripudio.

Miss. ms. Cisoniense saec. 16. Cod. Insulens. 37.

225. De sancto Felice.

1a. Solemni gaudio
Sonet in jubilo
Mater ecclesia

1b. Christi praeconia
Dulci harmonia
Sine molestia.

2a. Exsultent hodie
Catervae coelicae
Felicis gloria,

2b. Quem Christi dextera
Vexit ad aethera
Summa victoria.

3a. Mundus congaudeat,
Ejus ut valeat
Juvari meritis,

3b. Cujus solemnia
Colit ecclesia
Laudibus debitis.

4a. Nam clarus genere
Pro Christi nomine
Relinquens patriam,

4b. Cujus juvamine
Veloci remige
Venit Hispaniam.

5a. Barcinonam, Impuricas
Et Gerundam edocuit,

5b. Doctrina cujus aurea
Plebs Christum credens coluit.

6a. Christi miles dum praedicat
Trinitatis magnalia,

6b. Rufinus plebem incitat
Ad daemonum servitia.

7a. Ergo Felix plectitur
Vincens poenae cumulum,

7b. Quem Christus amplectitur
Praebens vitae pabulum.

8a. Trahitur, discerpitur
Mulis saevientibus,

8b. Sanatur, eripitur
Ex marinis fluctibus.

9a. Gaudet Felix, et Rufinus
Cruciatus duplicat;

9b. Jam in coelis laude dignus
Coram Christo rutilat.

10a. Alme Felix, martyr Christi
Jesu, pro nobis supplica,

10b. Ut tecum laudes numini
Persolvamus in gloria.

Miss. ms. Biterrense saec. 14. Cod. S. Josephi Lugdunens. Y d. 5.

226. De ss. Fereolo et Ferutio.

1a. Triumphali vestitos gloria
Fratres invictissimos

1b. Veneremur vocum concordia,
Vox invitet animos.

2a. Felix haec fraternitas,
Quam glutinat sanctitas,
Fereolum caritas
Ferutio.

2b. Alter sacerdotio,
Alter diaconio
Functi cadunt gladio
Sub Claudio.

3a. Hi refulgent miris signis,
Hi confirmant dicta dignis
Virtutum operibus.

3b. Lingua nequit explicare,
Quae per eos declarare
Vult Deus fidelibus.

4a. Miratur super his
Instigator sceleris

4b. Quod verba proferat,
Quem lingua privaverat.

5a. O fides, o virtus,
O digna laudibus
Martyrum constantia!

5b. Nec minis nec poenis
Nec terret fustibus
Tyranni saevitia.

6a. Ad trochleas extenduntur
Et flagellis conciduntur
Et malleis infiguntur
Subulae corporibus,

6b. In his sancti non turbantur,
Sed ad palmam roberantur,
Tandem caesis coronantur
Martyres capitibus.

7. Coelum patet spiritibus,
Horum muniamur precibus.

Miss. ms. Vergiacense saec. 13 in. Cod. Dolens. 48. A. — Miss. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 74. B. — Miss. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 75. C. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 14. Cod. Bisuntin. 63. D. — Miss. Bisuntinum imp. Parisiis 1497. E.

227. De sancto Fiacrio.

1a. Voce cordis concinente
Psallat chorus pura mente,
Austro terris influente
Spirat aura nuntius.

1b. Gaude, Sion, noli flere,
Fugit hiems orto vere,
Austro comparatur vere
Beatus Fiacrius.

2a. Nam medelam sanitatis
Auctor summae bonitatis
Morbo confert pressis gratis
Ejus piis precibus.

2b. Fide, vita vir insignis,
Clarus nec non miris signis,
Attollendus est condignis
Hymnis atque laudibus.

3a. Laudes ergo decantemus
Et ad coelos elevemus
Cor et manus et oremus
Voce tamen supplici:

3b. O Fiacri, pastor bone,
Fac nos frui visione
Summi regis et coronae
Participes effici.

Miss. Remense imp. Parisiis 1513. — Mel. offenbar: Verbum bonum.

228. De sancta Fide.

1a. Sanctae Fidis ad honorem
Qui spem dedit et fervorem
Fidei cultoribus,

1b. Psallat chorus, psallant corda
Et concordi pulsent chorda
Conjunctis psallentibus.

2a. Haec est virgo benedicta
Et pro fide Fides dicta,
Quam constanter tenuit,

2b. Cujus igne sic ignita
Et amore sic munita,
Quod in nullo timuit.

3a. Nam in poenis non expavit
Sed in flammis exsultavit
Prunis crepitantibus,

3b. Nullam tamen laesionem,
Nullam sensit ustionem
Cunctis admirantibus.

4a. Miro modo visitata
Per columbam, sic sedata
Statim sunt incendia,

4b. Quae in rorem sunt conversa,
Non est tamen hinc conversa
Praesidis insania.

5a. Sed in ipsam magis saevit,
Decollari mox decrevit
Ejus ob constantiam;

5b. Sic ad sponsum sponsa venit,
Quem pro nobis orans lenit
Impetrando veniam.

Miss. ms. Ebroicense saec. 15. Cod. Ebroicens. 99. A. — Miss. ms. Ebroicense saec. 14. Cod. Rotomagens. 304. B.

229. De s. Firmino Confessore.

1a. Adest nobis dies grata,
Dies diu praeoptata,
Dies digna laudibus,

1b. Qua Firminus Ambianis
Ad divinos ab humanis
Raptus est adspectibus.

2a. Hic praefecti urbis natus
Adolescens amplexatus
Literarum studia,

2b. Renes servans et cor mundum,
Vicit carnem, vicit mundum,
Vicit et daemonia.

3a. Juventute pubescente
Crevit carne, crevit mente,
Crevit morum gratia,

3b. Lite carnis praesopita
Magnus ortu, major vita,
Maximus justitia.

4a. Quod Firminus in sudore
Martyr sevit et cruore
Fuso pro ecclesia,

4b. Hic succedens in haeredem
Ambianis nactus sedem
Messuit in gloria.

5a. Ab utroque sacerdote
Illustrata clara dote
Gaudet Sommonobria,

5b. Quod si penset ex aequali,
Flore vernat speciali
Horum ex praesentia.

6a. Hic Lugdunum consecratus,
Romam adit commoratus
Cum papa Vigilio,

6b. Ubi gravi sub censura
Carnis motus lege dura
Domuit triennio.

7a. Solo datus hinc natali,
Ambianis in paschali
Dum sacraret tempore,

7b. Coeli patent, et oblatum
Dextra Dei munus gratum
Consecrat ab aethere.

8a. Caecos, claudos, surdos, mutos,
Sed et quosvis dissolutos
Morbo solvit et solutos
Sua servat gratia.

8b. Christum ergo exoremus,
Ut dimissis, quae timemus,
Cum Firmino exsultemus
In coelesti patria.

Miss. ms. Ambianense saec. 15. Cod. Ambianens. 163. A. — Miss. Ambianense imp. Rotomagi 1506 B. — Miss. Ambianense imp. Parisiis 1529. C.

230. De s. Firmino Martyre.

1a. Uvam calcat Ambianis
Sibi missam ab Hispanis
De Christi propagine,

1b. Uva pressa torculari
Se prementem salutari
Respersit dulcedine.

2a. Si Firminum praeses pressit,
Praesul firmus nunquam cessit,
Ut vincat, dum patitur;

2b. Praeses premens, praesul pressus,
Prius tamen praeses fessus
Quam praesul, dum premitur.

3a. Terrae datus diu latet,
Sed nocturno sole patet
Et hibernis floribus

3b. Hic odoris fons amoeni
Sicut odor agri pleni
Benedictionibus.

4a. Hujus mira vis odoris
Mundat intus, mundat foris
Quodcunque contagium;

4b. Mundat longe, mundat prope,
De leprosis ejus ope
Miles valle gentium.

5a. O martyr floride,
Sic nobis provide
De te sperantibus,

5b. Quod post hoc stadium
Optatum bravium
Detur currentibus.

Miss. ms. Ambianense saec. 15. Cod. Ambianens. 163. — Miss. Ambianense imp. Parisiis 1529. B. — Miss. Ambianense imp. Rotomagi 1506. C. — 1b, 1 Auro pressa ABC. — 3b, 1 Hinc odoris A. — 4b, 2 ejus ore ABC.

231. De sancto Francisco.

1a. In superna civitate
De Francisci novitate
Felix gaudet curia,

1b. Hunc recenter nobis misit,
Qui mansuram se promissit
Semper cum ecclesia.

2a. Petrus clavos, clavos iste
Laterisque tui Christe
Monstrat privilegia;

2b. Tu in Petro crucifigi,
Sed hunc tibi vis configi
Passione socia.

3a. Vulneratrix aliorum,
Istum solum dilectorum
Crucifixit caritas,

3b. Quem in carne nullo disco,
Crucem carnis in Francisco
Miretur humanitas.

4a. Ergo laudes huic solvamus,
Cujus festum celebramus
Tamquam patris filii,

4b. Ut finita vitae rota
Sit ipsius proles tota
Coeli consors gaudii.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis. 1534.

232. De sancto Francisco.

1a. Cor devotum inflammetur
Et Francisci celebretur
Devota solemnitas,

1b. Crucifixus hic secundus,
Crucifixus fuit mundus
Huic et mundi vanitas.

2a. Crucifixi primi Christi
Mors et vita fuit isti
Jugis meditatio,

2b. Cujus cordis vim fervoris
Ostendit per membra foris
Stigmatum impressio.

3a. Foris lucet, intus ardet,
Ut se cunctis exemplar det
Quaerendi coelestia.

3b. Ordo minor, ordo Clarae,
Sancte, praetendunt te clare
Et de poenitentia.

4a. Crucifixe, singulari
Modo cruci conformari
Mente sic et habitu

4b. Fac nos, ut in regno lucis
Perfruamur fructu crucis
Quo crederis fruitu.

Miss. ms. Romano-Franciscan. saec. 14. Cod. Carpentoractens. 107. — 3b, 2 et clare Hs. — 3b, 3 zu ergänzen ordo (de poenitentia), der sogenannte dritte Orden.

233. De sancto Francisco.

1a. Veni, Sion filia,
Speculare, qualia
Rex regum magnalia

1b. In Francisco paupere
Patrat, cujus corpore
Novo claret opere.

2a. Consolator pauperum,
Hunc crucis signiferum
Christi passi vulnerum

2b. Testem offert saeculo,
In quo carnis oculo
Haec cernat absque scrupulo

3a. O lux luce pulchrior
Et cunctis sideribus,
Dum in curru radias,

3b. Sole refulgentior
Te praesentas fratribus,
Mentes reddis pervias.

4a. Prophetarum gemina
Hunc attollit gratia,
Nam ventura nuntiat,

4b. Creaturis imperat
Daemonesque superat,
Portas mortis reserat.

5a. Os mutorum loquitur,
Lumen caecis redditur,
Omnis pestis tollitur.

5b. O Francisce, propera,
Educ nos ad aethera
De hac valle misera.

Grad. ms. Graecense 36. saec. 14. — Mel.: Veni sancte spiritus.

234. De sancto Francisco.

1a. Salve, fratrum dux minorum,
Doctor vitae, via morum,
Vas coelestis gloriae,

1b. Tu sigillum summi ducis,
Quod incidit clavis crucis
Manus sapientiae.

2a. Salve, decus pauperum,
In quo Christus iterum
Monstrat sua vulnera,

2b. Tu Christi signaculum,
Crucifixi speculum,
Fulgens plus quam sidera.

3a. Tu parvus et humilis,
Cujus lingua fertilis
Tres flores parturiit,

3b. Per tuum consilium
Virginale lilium
Loca clausa petiit.

4a. Signa probant te beatum,
Cujus ossa sanitatum
Vaporant dulcedinem,

4b. Quot sunt morbi, tot medelae,
Visus, gressus et loquelae
Praebes plenitudinem.

5a. Tu liber intus et foris
Scriptus, gesta Salvatoris
Est libri materia,

5b. In quo sanguis agni claret,
Orbis totus hic apparet
Et patrum magnalia.

6a. Crucem praefers specialem,
Nec in terris habet talem
Sanctus nec in patria;

6b. Novi clavi lateris,
Vulnus novi sideris
Probant privilegia.

7a. Palmam sibi roseam
Solo voto vendicat,
Dum non timens rompheam
Sarracenis praedicat.

7b. Defunctos vivificat,
Nova membra construit,
Leprosos purificat,
Quos hic non abhorruit

8a. Salve templum pietatis,
Qui totius trinitatis
Es imago nobilis,

8b. Verbi tamen crucifixi
Speciali, quem praedixi,
Cruci valde similis.

9a. O Francisce, lux solaris,
Crucifixo singularis,
Jam cum Christo gloriaris
In choro coelestium.

9b. Supra astra situs poli
Miserere tuae proli,
Virgo, quam docebas coli,
Placet nobis filium.

10a. Latus rubens, nova rosa,
Pii cordis fuit glosa,
Tu sis nobis vitae via,
Tu pro nobis semper pia
Prode Christo stigmata.

10b. Jesu, summae fili matris,
Serva prolem tanti patris,
Hic consortes tuae crucis
Fac nos et post verae lucis
Perducas ad sabbata.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. — Mel.: Salve mater Salvatoris. — Kehrein bietet unter No. 577 ein Lied gleichen Anfangs, welches eine Umdichtung der vorliegenden Sequenz auf die Melodie Laudes crucis ist. — 2a, 1 paupertatis Hs.

235. De sancto Francisco.

1a. Eructetur dulce melos,
Sonus cujus tangat caelos,
Et Francisco jubilet;

1b. Novus Noë hic servatur,
Qui per lignum liberatur
Cum sua familia.

2a. Alter Abraham revera
Deo credens mente mera
Relinquendo terrea;

2b. Hic Loth alter comprobatur,
Qui in monte liberatur
Pereunte Sodoma.

3a. Hic Isaac Deo gratus
Et ad victimam paratus,
Si truncasset gladius;

3b. Servus Laban hic fidelis,
Liae prius, post Rachelis
Ditatus connubio.

4a. Alter filius accrescens
Linquit pallium horrescens
Ad tactum Aegyptiae;

4b. Hic est Moyses mansuetus,
Trahens Hebraeorum coetus
Ab Aegypti tenebris.

5a. Novus David patriarcha,
Nudus saltans coram arca,
Vilem sese reputans;

5b. Intus cruci conclavatus,
Foris pedes, manus, latus,
Christi prodit stigmata.

6a. Multis vitam, caecis visum,
Lepram sanans moestis risum,
Mutis fari, claudis gressum
Hic Franciscus reddidit.

6b. O Francisce, dux minorum,
Vitae norma, dogma morum,
Nos ad culmen angelorum
Tuis trahe meritis.

Prosar. ms. Franciscan. saec. 13/14. Cod. Parisiens. 1339. A. — Miss. ms. Franciscan. saec. 14. Cod. Cenomannens. 249. B. — 1 a, 2 Fontis cujus tangat A. — 1 b, 1 hic cernatur B. — 2 a, 1 Hic est Abraham A. — 4 a, 1 Hic est filius A. — 4 a, 2 Linquens A.

236. De sancto Francisco.

1 a. De Francisco confessore,
Magno facto de minore,
Gaudeat ecclesia,

1 b. Cor fervescat in amore,
Laudes concrepet in ore
Sitque manus socia

2 a. Hic est nova mundi stella,
Rosa rubens et novella,
Rubens agni sanguine;

2 b. Hujus salvet nos fiscella,
Hujus lingua lac et mella
Dat de plenitudine.

3 a. Ecce novus crucifixus,
Cruci crucifixi fixus,
Crucis florens germine,

3 b. Hic in cruce mente fixus
Super passum est innixus
Passus in imagine.

4 a. Stupet in plagis natura,
Quas in carne cernit pura
Passionis nescia;

4 b. Nulla frangit hanc fractura,
Mira ponit in factura
Factor beneficia.

5 a. Hujus corpus passionis
Expers novis gaudet donis,
Nulli fit haec datio,

5 b. Signa sunt redemptionis,
Hujus iterationis
Causam subdit ratio.

6 a. Passionis antiquata
Signa fulgent geminata,
Ne ruat memoria;

6 b. Haec talenta quinque data
Servo sed multiplicata
Caute lucri gratia.

7 a. Dux minorum
Beatorum
Duci prode vulnera,

7 b. Ut ad forum
Nos sanctorum
Perducat post funera.

Prosar. ms. Franciscan. saec. 13/14. Cod. Parisiens. 1339. — 1 b, 2 Laudet Hs. — 6 b, 3 Caute luc gratia Hs.

237. De sancto Fusciniano.

1 a. Athletarum
Christi victoria
Recolatur
jugi laetitia,
Cujus dulci
semper memoria
Exsultabunt
sancti in gloria.

1 b. Roma quondam
bis senos comites
Christianae
cohortis milites
Misit, per quos
divina gratia
Gallicana
fulget ecclesia.

2 a. Ab his missus
ad gentes ultimas,
Possidentes
oras maritimas,

2 b. Fuscianus
effulsit socia
Victorici
fultus constantia.

3 a. Quibus virtus adfuit
Christi tam magnifica,

3 b. Quod gens illa respuit
Fana diabolica.

4a. Et per fidem roboratam
Doctrina catholica

4b. Messem dedit deo gratam
Cultura dominica.

5a. Post haec sancti non cedentes
Minis nec pressuris

5b. Nec tormentis diffidentes
Sociorum duris,

6a. Ambianis redierunt,
Qua Quintini socii

6b. Gloriosum audierunt
Examen martyrii.

7a. Quos ut senex suburbanus,
Vir insignis Gentianus,
Collegit hospitio,

7b. Praeses ferox et insanus
Et armata secum manus
Venit e vestigio.

8a. Et dum adstans in ostio
Senex extracto gladio
Sanctos tuere voluit,

8b. A coetu tentus impio
Mortis sacrae compendio
Vitam beatam meruit.

9a. Et post Dei famulis
Artatis in vinculis
Saevus instans scapulis
Praeses, dum regreditur,

9b. In via desaeviens,
Morae jam impatiens
Et cruorem sitiens,
Illos mox aggreditur.

10a. Qui, constantissimis
Sanctorum animis,
Cum poenis plurimis
Vexasset corpora,

10b. Transversis naribus,
Mersis et auribus,
Clavis candentibus
Afflixit tempora.

11a. Post evulsis oculis,
Abscissis capitibus

11b. Victuros in saeculis
Poenis solvit omnibus.

12a. Quos donum Dei gratiae,
Quam dignae forent hostiae,
Monstravit post martyrium.

12b. Nam cunctis admirantibus
Suis uterque manibus
Caput erexit proprium.

13a. Et sui corpus hospitis,
Jam animabus praeditis
Superna coeli gloria,

13b. Visitaverunt denuo,
Ut exsultarent mutuo
De sepultura socia.

14a. Unde viri timorati,
Signis tantis excitati,
Venerunt ad exsequias,

14b. Benedicentes Domino
Viventi sine termino
Et referentes gratias.

15a. Et nos eorum dulcia
Precemur per suffragia,

15b. Ut festa post haec annua
Ducamur ad continua.

16. Ubi Dei fulti praesentia,
Exsultantes in coeli curia
Decantemus omnes Alleluja.

Miss. ms. Ambianense saec. 15. Cod. Ambianens. 163. A. — Miss. Ambianense imp. Parisius. 1529. B. — Miss. Ambianense imp. Rotomagi 1506. C. — 10b, 3 Clagis A. — 15a, 1 Ut nos A. — 15b, 1 Et nos A.

238. De sancto Gaugerico.

1. Eja recolamus
laudibus festis festa

2a. Hujus diei carmina,
[in qua nobis
lux oritur gratissima],

2b. Quam vir dei transiens
ad aeternam
nobis consecrat patriam.

3a. Hic infans, editus
parentela
orthodoxa
non minus quam ingenua,

3b. Magistro traditur,
praematuram
literaturam
mox adeptus et gratiam.

4a. Dum scholizat,
legit aut orat,
mentem refocillat,
carnem macerat.

4b. Quo se fraudat,
inopes cibat
seris atque mutat
coenis prandia.

5a. Cunctos vicit
sapientia
grandaevos aetas parvula,

5b. Quam informat
morum dignitas,
virtutum summa sanctitas.

6a. Tantaque proficit gratia
Dei providentia,

6b. Ut sedis Cameracensium
fungeretur cathedra.

7a. Civitas gaudiosa,
gaude jam et exsulta,
Gaugericum celebra,
eja et eja.

7b. Canonicorum turma,
monachorum caterva
virginumque agmina,
ferte cantica.

8a. Laudes organicas
promamus et voces musicas

8b. Illi, angelica
qui meruit famulamina.

9a. Ut leprae maculas
et caecas
depulisti tenebras
et fregisti vincla,

9b. Sic cura animas,
effuga
vitiorum nubila,
captos emancipa.

10a. Oves tuas ne deseras,
sed per temporalia

10b. Sic nos regas, ut superna
perfruamur patria,

11. In qua tibi
domus est parata.

Trop. ms. Cameracense saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Cameracens. 61. A. — Miss. ms. S. Gaugerici saec. 15. Cod. Cameracens. 145. B. — Mel.: Eja turma. — 2a, 1 diei gaudia B. — 2a, 2 sq. ergänzt. — 2b, 1 Quem vir B. — 8a, 2 preces musicas B. — 9a, 1 Et leprae B. — 9a, 4 vincula AB.

239. De sancto Gaugerico.

1a. In pastoris tui laude,
Pii gregis turma, plaude,
Produc melos et congaude
Tanti patris gloriae.

1b. Gaugericum dulce sona
Voce dulci, mente bona,
Per quem coeli stillant dona
Tam urbi quam patriae.

2a. Curat intus atque foris
Boni cura curatoris
Leprae simul et erroris
In leproso maculas.

2b. Dum damnatos carcer angit,
Hic orando coelum tangit
Et crudeles nexus frangit
Ferrique maniculas.

3a. Virga sancti, quam gestabat,
Dum oraret, recta stabat,
Coeli quippe sustentabat
Eam adminiculum.

3b. Pastor bone, salus gregis,
Qui nos salvas, qui nos regis,
Fac nos coenae summi regis
Convivas in saeculum.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 123. — Mel. jedenfalls: Verbum bonum.

240. De sancto Gaugerico.

1a. Gaugerice, gemma cleri,
Dei cultor, doctor veri,
Gregem tuum respice,

1b. Omnes die hodierna
Nos exaudi, nos guberna
Nosque fortes effice.

2a. Lepra foedum tu mundasti,
Convertisti, baptizasti
Motus vena veniae;

2b. Per te, Dei sancte praeco,
Restauratur lumen caeco
Manu sapientiae.

3a. Tu fuisti Dei templum
Per doctrinam et exemplum,
Aromatum area,

3b. Coeli portas introisti,
Quia Christo reddidisti
Granum sine palea.

4a. Mundus mundum despexisti
Et vivendo te dedisti
Exemplar munditiae,

4b. A peccatis alienus,
Dum vixisti pater plenus
Dulcoris et gratiae.

5a. Compeditos tu solvisti
Pia prece, verbo Christi
Devotos inebrians;

5b. Quos rebelles reperisti,
Sic potentes confudisti,
Reos reconcilians.

6a. Praesul pronus dum orabat,
Angelica sustentabat
Manus ejus baculum;

6b. Plebs cucurrit ad hoc mirum
Et collaudant Dei virum
Cernendo miraculum.

7a. Quam clamabat fama trita,
Regi placet tua vita
Summe venerabilis,

7b. Gratiarum propter dona
Ejus viret in corona
Flos immarcessibilis.

8a. Vir beate, fac placatum
De Maria Christum natum
Nobis peccatoribus,

8b. Ut in terris te laudantes
Tecum regnent exsultantes
Cum choris coelestibus.

Miss. ms. Cameracense saec. 15. Cod. Cameracense. 180. A. — Miss. Cameracense. imp. Parisiis. 1542. B. — 4a, 2 te fehlt B.

241. In Translatione s. Gaugerici.

1a. Gaude, Sion, in filio,
Cujus sacra translatio
Te movet ad laetitiam,

1b. Plaude manu prae gaudio
Colens vocis obsequio
Gaugerici memoriam.

2a. Absit esse collegium
Triste, quod tot magnalium
Virtus velox irradiat,

2b. Caecus videt, vis febrium
Cessat, fugit daemonium,
Lepra colorem variat.

3a. Inconsulto piaculo
Praesul quidam cubiculo
Sancti construens lectulum

3b. Ejus affatu querulo
Movetur, ut diluculo
Cosurgens mundet loculum.

4a. Heliodori specie,
Qui thesauros pecuniae
Deferre secum impie
Quondam a templo voluit,

4b. Rerum miles ecclesiae
Distractor caesus anxie
Sese fractum injuriae
Satisfacturum adstruit.

5a. Memor Jesu, qui dixerat
Illi, quam liberaverat,
Ut non peccaret amplius,

5b. Dimitti furem imperat
Hortarique, quod egerat,
Ne committat ulterius.

6a. Furor ignis exstinguitur,
Cum praesulis opponitur
Corpus sanctum incendio;

6b. Quod in aede committitur
Scelus, dum sanguis funditur,
Punit in Berengario.

7a. Ne nos pro malis puniat,
Ergo sic interveniat
Pro nobis, pater luminum,

7b. Ut, quem ignitus sauciat
Serpens, hunc si respiciat,
A sorde mundet criminum

8. Per Jesum Christum Dominum.

Miss. ms. S Gaugerici saec. 15. Cod. Cameracens. 145. — 2b, 3 calorem Hs. — 4b, 3 lies: fratrum?

242. De sancta Genovefa.

1a. Genovefae translatio
Nos ad superna transferat,

1b. Suspensa desiderio
Mens gustet, quod desiderat.

2a. Felix ortus, felix vita,
Felix virginis transitus,

2b. Per quam fiunt infinita
Miracula divinitus.

3a. Felix et commendabilis
Fuit ejus nativitas,

3b. In qua fuit ab angelis
Celebrata solemnitas.

4a. Cujus vitam laudabilem
Commendant dicta praesulum,

4b. Signa monstrant mirabilem
Facta per hanc in populum.

5a. Leprosi, caeci, rabidi,
Patientes vertiginem

5b. Sanati sunt tot morbidi,
Quot venerunt ad virginem.

6a. Iram divinam temperans
Imperabat daemonibus,

6b. Plebes et villas liberans
Ab hostibus et cladibus.

7a. Post mortem nihilominus
Innumera miracula

7b. Fecit per eam Dominus,
Cui honor per saecula.

8a. Propter ministros Satanae
Partes vastantes Sequanae,

8b. Fuit virgo sanctissima
Per loca ducta plurima,

9a. In quibus virtus virginis
Tot fecit mirabilia,
Quod a mente sunt hominis
Incomprehensibilia.

9b. Immobilia saliunt
Ad virginis potentiam
Et quietem recipiunt
Ad ipsius praesentiam.

10a. Tandem virgo reducitur
Ac transitu Veneris

10b. Exstinctus reaccenditur
Cereolus a superis.

11a. Apostolo Parisii
Gaudenter huic occurritur,

11b. Nostrique monasterii
Altari superponitur.

12a. In capsam factam noviter
Transfertur nostra domina,

12b. Quae transferat finaliter
Nos ad coelorum culmina.

Miss. ms. S. Acheoli saec. 15. Cod. Ambianens. 160. — 7b, 1 pro eam Hs. — Zu 10a vgl. Acta SS. Jan. I. p. 149 n. 12: „Cumque alveolum transissemus, exstinctus est cereus, sed mox orantibus fratribus est accensus."

243. De sancto Germano.

1. Laus tibi, summe Deus,
quem praenoscens Elisaeus
mundi salvatorem

2a. Carne sumpta ferro
poenitentiae
manubrium,

2b. Quem lex praefiguram
contestavit
adventurum.

3a. Namque venisti
in hortum
vallatum liliis

3b. Voce vocatus
dilectae
rosis corruscantis.

4a. Pastus es rosis
in martyribus,
liliis
vero in confessoribus,

4b. De quibus sanctum
tua virtute
Germanum
illustrasti speciali.

5a. Qui more pagano
relicto, Amatoris
praesulis successor,

5b. Praemonstrante Deo
est factus una omnium
voce postulatus.

6a. Qui cunctos moribus
informavit,
virtutis splendore
quos ornavit,
fovendo, pellendo
daemonum dolos
et morbos varios.

6b. Doctrinam fidei
restauravit,
haeresim Pelagii
cum damnavit
divino sermone,
Britanni gaudent
victa falsitate.

7a. Inter quos per ipsum
tribuni caeca
recepit filia visum,

7b. Sedantur proelia,
multorum membra
confortantur debilia.

8a. Hic late verba
vitae stillavit
miraculisque
corruscavit,

8b. Oratione
cujus mortuus
est vitae pristinae
restitutus.

9a. Assidue
jejunando,
preces dando et vigilando

9b. Praecipue
fidelibus
salutem tulit animabus.

10a. Hunc Christus tam inclitum
tandem ad gaudium
vocans angelorum,
prius ipsi
praesignat obitum.

10b. Haec ergo solemnia
omnis ecclesia
mente psallat pura,
voce clara,
dulci symphonia.

11a. Quod per merita
tanti confessoris vita
nobis detur aeternalis,

11b. Apud quos brevis
falso dulcis atque levis
res vilescat temporalis.

12. Ut tecum, praesul Germane,
victores mundi tua
adjuti victoria,
fruamur vera Sion.

Miss. ms. S. Germani Spirens. saec. 11. Cod. Palat. Vindobonens. 1845. Mit Neumen und der Aufschrift: „Sancti Germani confessoris nostrique patroni." — Mel.: Laus tibi Christe qui es creator (Kehrein Nr. 846). — 1a, 1 zwei Silben mehr als die Stammsequenz. — 2a, 1 carne sumpta de Maria, letztere zwei Worte dem Versmafse nach überzählig, dem Sinne nach entbehrlich.

244. De sancto Germano.

1a. Repraesentet ecclesia
De Germani victoria

1b. Per nostra ministeria
Christo regi solemnia.

2a. Relictis mundi gaudiis,
Uxore jam et praediis,

2b. Christum solum desiderat,
Quem cunctis praeposuerat.

3a. Armatus armis fidei,
Templum repente fit Dei,

3b. Votis cunctorum petitur,
Tractus praesul efficitur.

4a. Ex tunc praesul fit arctius,
Nam panis hordeaceus

4b. Semel in die sumitur
Et aqua sitis pellitur.

5a. Praedura vestis conterit
Mollem carnem et operit,

5b. Cinis praebet ei lectulum,
Tenet cum sopor oculum.

6a. Caritatis alis binis
Volans sursum, cum divinis

6b. Mente manet, spretis spinis
Vitae stantis in ruinis.

7a. Fultus his propugnaculis
Multis fulget miraculis,

7b. Aegros sanat oraculis,
Reddit et lumen oculis.

8a. Claudos, lepram, lymphaticos
Curat et paralyticos;

8b. Huic respondent propere
Leti potiti funere.

9a. Hujus virga jam arida
Fixa terrae fit florida,

9b. Crevit ramis sublimibus,
Ejus testis virtutibus.

10a. Hic dat defunctos vivere,
Muro ruenti sistere,

10b. Mare quietem ducere
Et flumina non furere.

11a. Angliam bis perfidia
Purgavit a Pelagia,

11b. Mutis reddit eloquia
Verbo frangens incendia.

12a. Italiam dum peteret
Et se mori conspiceret,

12b. Poscit, ut corpus redeat,
Ubi praesul exstiterat.

13a. Tempus praesens disparuit,
Vita perennis claruit,

13b. Nam in coelesti solio
Laetus potitur gaudio.

14a. Vivens mira multa fecit,
Sed post mortem plus peregit;

14b. Facit, fecit tunc et modo,
Qui mirando vixit modo.

15a. Cujus placatus precibus,
Christus peccatis omnibus

15b. Purgatos nos clementia
Dignos reddat et gratia.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. — 1b, 1 mysteria Hs.

245. De sancto Germano.

1a. Gloriosis cum modulis
Decantemus nunc praesulis
Germani praeconia,

1b. Eruditus hic literis
Praefecturae cum liberis
Rexit tribunalia.

2a. Resolutis hinc temporis
Diebus mox Amatoris
Germanus eligitur,

2b. Multum licet hinc renitens,
Invite tractus relitens
Ad arcem projicitur.

3a. Antistes dum ordinatur,
Quam habuit, erogatur
Facultas pauperibus;

3b. Novis praesul novos mores
Coepit mundanos honores
Postponens coelestibus.

4a. Uxor datur in sororem
Castitatis propter florem
Servandum summopere,

4b. Sumpsit postquam dignitatem
Vitae raro sanctitatem
Valet quis exprimere.

5a. Annis plus quam hic triginta
Praesulatu sedens cuncta
Fide plebem docuit,

5b. Vitam artans jejunio,
Somno brevi, cilicio
Carnis motus domuit.

6a. Tunicali veste tanta
Aestatis, hiberno quanta
Tempore contegitur,

6b. Jacens stratus in cinere,
Ejulans, orans gemere
Crebro non ambigitur.

7a. Sal, legumen nec frumentum,
Acetum nunquam fomentum
Nec oleum praebuit.

7b. Jugis ejus cinis fotus
Cum hordeo latex potus,
Aliud nil aluit.

8a. Ob honorem hic divinum
Bis in anno solet vinum
Aquae mixtum sumere,

8b. Digne sancti glossa mores,
Virtutum signa, squalores
Non valescit promere.

9a. Orbis fines illustrari,
Mira per hunc operari,
Dei virtus voluit;

9b. Refulgentem miraculis
Veneremur, a vinculis
Qui detentos eruit.

10a. Ex animis redivivit
Puer, pontus obedivit
Per oleum sedatus.

10b. Norunt opem et Britones,
Dum alle promens Saxones
Fugat luja praelatus.

11a. Sepulti fit per sepultum
Suffragio sancti fultum
In coelesti solio,

11b. Ignis ejus hospitium
Transcendens fert nil noxium
Sed ceteris ustio.

12a. Stramen aegris oppositum
Salutem dat suppositum
Praesulis in lectulo,

12b. A tumulo suscitatus
Hunc defunctus est affatus
Stante praesul populo.

13a. Plebis resecat errores
Daemonis cujus terrores
Recedunt intuitu.

13b. Invitatus ad transitum
Suis detexit obitum
Sancto plenus spiritu.

14a. Sub feretro dum recumbit
Femina, sanctus retundit
Paralysim et refundit
Corporis sanitatem.

14b. Consolatur hic egentes,
Suffragatur vehementes,
Moestos efficit gaudentes
Per sui largitatem.

15a. Orbi vident, muti fantur,
Claudis gressus solidantur,
Surdis aures reserantur,
Cunctos ope ditavit.

15b. Praesul sanctam morti datus
Vercillis aulam dotatus
Angelis lucis vallatus,
Pactum sequens dicavit.

16a. Veni, pater o Germane,
Adsiste seroque mane,
Condescende nunc et mane,
Da servulis illud mane,
Quod non habet vesperum.

16b. Supplicamus, pastor bone,
Hosti pro nobis oppone
Te, rogamus o patrone,
Offer preces in agone
Conditori siderum.

Miss. ms. Ebroicense saec. 15. Cod. Ebroicens. 99. — 15b, 2 Versellis Hs; vgl. Acta SS. Julii VIII, 271 u. f.

246. De ss. Gervasio et Protasio.

1a. Laetabunda vox erumpat,
Fortes nostrae quae disrumpat;
Nexus conscientiae,

1b. Ex quo mortem operatur
Luctus mundi derivatur
In sono laetitiae.

2a. Veros testes reverere,
Morte qui perhibuere
Christo testimonium,

2b. Christo regi militantes,
Quos excepit triumphantes
Regnum triumphantium.

3a. Duplicetur motus mentis,
Doleamus de tormentis
Laeti de victoria,

3b. Martyrum Gervasii
Simul et Protasii
Colentes solemnia.

4a. Hos de Dei gratia
Vitalis, Valeria
Duo simul procreant,

4b. Qui pares parentibus
Sponte cum martyribus
Pereunt, ne pereant.

5a. Ut haereditarium
Mores et martyrium
Ducunt a parentibus,

5b. Se furantur saeculo,
Quodam in coenaculo
Vacant lectionibus.

6a. Decem annis degunt ita,
His est Christus cibus, vita
Lux, exemplar, lectio;

6b. Post haec semet abnegantes
Sed et crucem elevantes
Arrident martyrio.

7a. Gaudent inter persequentes
Et sic vincunt patientes,
Exaltantur humiles;

7b. Deo, sibi, mundo justi,
Vivi fide, spe robusti,
Caritate nobiles.

8a. Iram lupi non abscondunt,
Agnos tondent et contundunt,
Os qui non aperiunt.

8b. Inimicos corporis,
Qui venantur deforis,
Intra se despiciunt.

9a. Quem nec sinunt vivere
Nec finiri citius,
Plumbatarum verbere
Vapulat Gervasius.

9b. Breviori tramite
Currit expeditius
Ad te, Christe, capite
Truncato Protasius.

10a. Hi sunt grana seminata,
Moriendo quae renata
Fructum reddunt creditum.

10b. Mors istorum pretiosa,
Vita quorum speciosa
Talem dedit exitum.

11a. In hoc sanctis ministravit
Mundus, quod hos emundavit,
Quos flagellis trituravit
Doloris in area.

11b. Lenis ventus auster flavit,
Trituratos ventilavit,
Ventilatum reportavit
Triticum in horrea.

12a. Jesu, vivi fons amoris,
Jesu, meta viatoris,
Respiramen luctatoris,
Sors, corona pugnatoris
Et currentis bravium;

12b. Constitutos in agone
Nos illustra, Jesu bone,
Ne frustremur spe coronae
Sed fruamur visione
Redemptoris omnium.

Miss. ms. Suessionense imp. Parisiis 1516. — Mel. selbstredend: Salve mater salvatoris. — 6b, 1 Post haec sonet.

247. De ss. Gervasio et Protasio.

1a. Ad honorem tuum, Christe,
Psallat tibi chorus iste
Martyrum praeconia,

1b. Duo fratres hi fuerunt,
In se pro te pertulerunt
Diversa supplicia.

2a. Unus dies est natalis,
Quorum pater est Vitalis
Et mater Valeria;

2b. Clari per progenitores
Sed moribus clariores
Fecit Christi gratia.

3a. Protasius est vocatus,
Gervasius post hinc natus,
Quem profert martyrium,

3b. Sancti simul hi nutriti
In fide sunt eruditi
Per sanctum Nazarium.

4a. Sic in fide roborati
Sunt in fine coronati
Felici martyrio,

4b. Cum plumbatis est prostratus
Unus, alter decollatus
Sub duce Astasio.

5a. Vetus homo cruciatur,
Novus vero renovatur
Crescente supplicio,

5b. Nam requies lapsis datur
Morte vita comparatur,
Dolor cedit gaudio.

6a. Ex Aegypto transtulisti
Istos atque perfecisti
Palmites in patria;

6b. Sic in Christo vera vite
Plantati coelestis vitae
Consequamur gaudia.

Miss. ms. Carnotense. saec. 14/15. Cod. Carnotens. 523. A. — Miss. Carnotense imp. Parisiis 1500. B.

248. De sancto Godone.

1a. Godonis praeconio
Serviat cum gaudio
Fervens desiderio
Verus amor.

1b. Amoris suffragio
Laetetur haec concio,
Psallens cum tripudio
Cordis clamor:

2a. Ave gemma medicorum,
Speculum Gallicorum,
Te decet in populum
Laus et honor.

2b. Post vitae curriculum
Seraphim ad ferculum
Invitet hunc populum
Precum odor.

3a. O terrena fugiens,
Mundana despiciens,
In Oya veniens
Per divina.

3b. Languidos respiciens,
Benigne recipiens,
Deo favente largiens
Medicina.

4a. O pastor egregie,
Medicus epidimiae,
Praesentis ecclesiae
Nutrimentum,

4b. Te laudantes hodie
Quiescant in requie,
Ubi pacis et veniae
Fundamentum.

5a. O Godo amabilis,
Virtute laudabilis,
Sis pius et placabilis
Redemptori,

5b. Chorus ut hic humilis,
Pelicano similis,
Per te queat nobilis
Bene mori.

Miss. Trecense imp. Trecis 1533.

249. De sancto Gregorio.

1a. Adest dies recolenda,
Dulci melo prosequenda.
Revehens solemnia

1b. Almi patris Gregorii,
Pontificis eximii,
Intrantis in gaudia,

2a. Quae promisit Jesus dare
His, qui vellent se amare
Post mortis exsilia.

2b. Gregorius prae ceteris
Aetatis suae pueris
Literarum studia

3a. Amavit et postposuit,
Quibus noceri potuit
Mundi lenocinia.

3b. Vigebat in Gregorio
Duplex decus, religio,
Generis prosapia,

4a. Dulcis amor paupertatis
Cum despectu vanitatis,
Virtutum insignia.

4b. Hic defunctis parentibus
Magnis ditatus opibus
Struxit monasteria,

5a. Quorum in uno clauditur,
Cui tandem praeficitur
Insignitus gratia.

5b. Unde invitus rapitur,
Praesul orbi praeficitur,
Applaudit ecclesia.

6a. Olim scholis eruditus,
Nunc docet illum spiritus
Sapere coelestia.

6b. Ore mellito loquitur,
Stilo morali graditur
Tangendo praecordia,

7a. Qui sublevare nititur
Ad illa, quibus pascitur,
Coeli desideria.

7b. Praesulis sacri precibus,
Monitis salutaribus
Peste inguinaria

8a. Plebs Romana liberatur,
Virtus papae declaratur
Per mundi confinia.

8b. Omnis pastor informatur
Rex cum clero gloriatur,
Ejus sapientia.

9a. Offa carnis dominicae
Gregorio pontifice
A Dei clementia

9b. Caro vere ostenditur,
Quae sanguine intingitur
Miranda potentia.

10a. Precibus salutiferis
Trajanum ab inferis
Solvit et miseria,

10b. Servus prudens et fidelis,
Dum sponsus redit e caelis,
Mente spectat sobria.

11a. Vigilavit Gregorius,
Vigilavit attentius,
Vigilat in gloria.

11b. Gloriose praesul Christi,
Placens Deo qui fuisti
In carnis praesentia,

12a. Ad fluenta purissima,
Quae tua haurit anima,
Duc nostra collegia,

12b. Ut abluta lacte pio
Laetetur nostra concio
In coelesti curia.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123.

250. De sancto Gregorio.

1a. Spiritalis filii
Beati Gregorii
Celebrent solemnia,

1b. Corde toto gaudeant
Et efferre studeant
Ipsius praeconia.

2a. Ornatus moralibus
Prius liberalibus
Studiis refloruit,

2b. Dignus pontificio
Fugitivus radio
Coeli lucis patuit.

3a. Factus praesul feminae
Nequam monstrat semini
In similitudine
Carnis corpus Domini;

3b. Post in panis pristinam
Formam hanc restituit,
Sicque fidem feminam
Praedicando docuit.

4a. Super quem insederat,
Equum statim liberat
Artibus a magicis;

4b. Pestis inguinaria
Cessat per suffragia
Tam sancti pontificis.

5a. O doctor egregie,
Tuae nobis gratiae
Confer per auxilium

5b. Delictorum veniam,
Ut sursum ad patriam
Ducamur coelestium.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 123. add. saec. 15.

251. De sancto Heriberto.

1. Conjubilando
coeli angelica
canant organa

2a. Praesulis festiva
Heriberti solemnia,

2b. Cujus ecclesia
venerans colit merita.

3a. Hinc vox et votiva
carmina
sunt cum dulci melodia.

3b. Felix hic superna
ardenter
exoptavit post ubera.

4a. Eruditus mystica
fulcitur vera
philosophia,

4b. Componuntur intima,
vivere sancti
spiritus schola.

5a. Fama nominis tota
repletur curia,
penna virtutum celsus
rapitur et potitur
privata Caesaris
gratia.

5b. Archipontifex sacra
comitur infula:
saeclis pax, salus vera,
sed tibi perpetua
manet, Colonia,
gloria.

6a. Exturbat inimica
ab ecclesia
verbo haeresis schismata.

6b. Exsultant rediviva
ad remedia
languorum omnium milia.

7a. Solvuntur per hunc crimina
poenitentum
et dextra fluit
medicina
petentibus
veniam cunctis solatia.

7b. Congaudent laete omnia,
alta, ima,
plaudat manibus
omnis terra
concelebrans
haec tam praeclara solemnia

8a. O sola
Dei mira ac benigna,
mirificans
sic sanctos suos,
clementia,

8b. Frequentans
. . . .
continue
sanctum pascha cum
laude nova.

9a. Tu nobis
haec prospera impetra
tempora.

9b. Canentum
sint vota grata et fac
superis

10. Jungi tecum
Halleluja.

Cod. Monast. S. Heriberti Tuitiens. saec. 12. in. Cod. Londinens. Add. 26788. — 9b, 2 haec vota. — Mel.: Christi hodierna pangimini; in Str. 8b ist vermutlich ein Glied ausgefallen; Melodie wie Text machen dies beide gleich wahrscheinlich.

252. De sancto Hieronymo.

1a. Laudes Christo decantemus
Et devote celebremus
Natale Hieronymi.

1b. Meritorum qualitatem
Pangat vox et quantitatem
Viri illustrissimi.

2a. En sacerdos magnus vita,
Magnus in doctrina trita,
Magnus sapientia,

2b. Hic verus Israelita
Et perfectus eremita,
Quem fudit Dalmatia.

3a. Hic de vanis literarum
Studiis et poetarum
Evocatur verbere,

3b. Ut sanctarum scripturarum
Atque dictis prophetarum
Delectetur ubere.

4a. Iste doctor est doctorum
Et interpres dubiorum
Suprema scientia,

4b. Hic est lux catholicorum,
Malleus haereticorum,
Nulla palpans vitia.

5a. Vide, quantus sanctitate
Sit ac morum honestate,
Quantus poenitentia,

5b. Tunc videbis et probabis
Atque factis comprobabis,
Quantus sit in gloria.

6a. Si perquiras singulorum
Mores vitasque sanctorum,
Puto, non invenies

6b. Sanctiorem aut majorem
Ipso atque clariorem,
Si bene discuties.

7a. Cum sis plenus claritate
Nec non magnus potestate,
Beate Hieronyme,

7b. Fac, ut summae trinitati
Simus reconciliati
Tuo nos precamine.

Miss. ms. Turonense saec. 15. Cod. Turonens. 190. A. — Miss. Pictaviense imp. Parisiis 1541. B.

253. *De sancto Hieronymo.*

1a. Veni sancte Spiritus,
Tibi nos divinitus
Fac cum sanctis psallere,

1b. Inter quos Hieronymus
Fulget, vir sanctissimus,
Sacro tuo munere.

2a. Tuo qui charismate
Trino idiomate
Pollens ut sol splenduit,

2b. Cum mira scientia,
Mira eloquentia
Longe, late claruit.

3a. Hunc Roma presbyterum,
Bethlehem fructiferum
Christo scribam protulit,

3b. Qui errorum devia
Correxit et vitia
Et scripturas transtulit.

4a. Psalmorum maneriem,
Lectionum seriem
Tradidit ecclesiae,

4b. Qui virtutum studiis
Dignus coeli braviis
Coelum scandit hodie.

5a. Hujus per suffragium
Christe, solus omnium,
Omne pelle noxium,

5b. Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium.

Grad. ms. Sanctense s. sign. saec. 15. — Mel.: Veni sancte spiritus.

254. De sancto Honorato.

1a. Ambianis plebs devota,
Gratulare mente tota
Ore, corde, spiritu,

1b. In hac die gloriosa,
Celebri et speciosa
De pastoris transitu

2a. Honorati, qui honore
Declaratur dignus fore
Signis et miraculis.

3a. Hic, dum missam celebravit,
Manus Christi consecravit
Hostiam mirifice,

4a. Paralysi dissoluti,
Caeci, claudi, surdi muti,
Sunt saluti restituti
Suo medicamine.

5a. Olim consueto more
Ferebatur cum honore
In quadam ecclesia,

6a. Nam qua parte ferebatur,
Illuc statim vertebatur
Crucifixi species;

7a. Ad hunc ergo tam beatum,
Tot et tantis approbatum
Recurramus Honoratum,
Qui nostrum purget reatum
Per sua suffragia.

2b. Hic est id, quod nominatur,
Nam a cunctis honoratur
Gentibus et populis.

3b. Quam adspexit manifeste
Successore suo teste,
Salvio pontifice.

4b. Ejus ope caecae natae
Sunt palpebrae reseratae,
Dum fuerunt confricatae
Altaris velamine.

5b. In qua pendens forma Christi
Crucifixi monstrans isti
Praebuit obsequia.

6b. Quod devote retulerunt
Omnes, qui hanc conspexerunt,
Se vertentem pluries

7b. Ut per tantum advocatum
Videamus increatum,
Deum patrem, Deum natum
Amborumque sacrum flatum
Regnantem in gloria.

Miss. ms. S. Johannis Ambianens. saec. 15. Cod. Ambianens. 163. A. — Miss. Ambianense imp. Rotomagi 1506. B. — Miss. Ambianense imp. Parisiis 1529. C. — 3a, 3 Hostiae A. — 3b, 2 Crucifixum A. — 7b, 1 Ut per tamen A; ut peccantum C.

255. De sancto Honorato.

Dominica infra octavam.

1a. O felices et beati,
Qui praeclara Deo grati
Confessoris Honorati
Colunt festa,

2a. O beatus ille thronus,
In quo sedit hic patronus,
Justus judex, pastor bonus,
Forma gregis.

3a. Ut praeclaris clarum notis
Esset mundo, cujus dotis
Erat vita sacerdotis
Apud Deum.

4a. Et viventem et post fatum
Insignivit Honoratum
Ope crebra sanitatum
Vis superna.

1b. Cedat dies, cedant horae
Tanti patris in honore,
Neque cesset laus ab ore
Voxque festa.

2b. Gregi formam exhibebat,
Dum implendo, quod docebat,
In se scriptum ostendebat
Librum legis.

3b. Visa fuit ad altare
Manus sacrum consecrare
Dei manus et micare
Super eum.

4b. Pie pater, pastor bone,
Vitam nostram sic dispone,
Quod fruamur visione
Sempiterna

5. Cum electis.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 123. A. — Miss. ms. Ambianense saec. 15. Cod. Ambianens. 163. B. — Miss. Ambianense imp. Rotomagi 1502 C. — Miss. Ambianense imp. Parisiis 1529. D.

256. De sancto Huberto.

1a. Canat mater dulcibus
Hierusalem laudibus
Novae cleos gloriae,

1b. Laeta flectat genibus,
Chorda sonet, vocibus
Ducem Aquitaniae.

2a. Hic Hubertus dicitur,
Cujus vitae legitur
Sectatrix justitiae,

2b. Post Lambertum capitur,
Honori praeficitur
Jubilo symphoniae.

3a. Pastor factus ovilis
Pascit gregem humilis
Tungrensis ecclesiae,

3b. Omnem praebens servulis
Doctrinam affabilis
Verae sapientiae.

4a. Non ingratus meritis
Sanitatem contractis
Mulieris digitis
Dedit temerariae.

4b. Illa paret monitis,
Grates refert debitis
Vocibus non tacitis
Intuitu gratiae.

5a. Obscurarum
Tenebrarum
Princeps fugit, dum minarum
Signo cessit invidiae;

5b. Arenarum
Dum siccarum
Mosa plena fit, aquarum
Dona dat abundantiae.

6a. O mirandum, dum sacratur,
O gaudendum, stola datur
Inimica furiae,

6b. Quid quaerendum, nunc habetur,
Quod agendum, hic dicatur
Divinae potentiae.

7a. Ecce curat languentium
Morbos, sanat dolentium
Et dentibus stridentium
A pervicaci rabie.

7b. Nil renuit, petentium
Votis adest mortalium,
Ad se pie clamantium
Gemitu conscientiae.

8a. O Huberte, flos virtutis,
Vigens flore sanctitatis,
Solve vinctos a peccatis
De lacu miseriae,

8b. Ut possimus cum beatis
Ante thronum trinitatis
Frui luce claritatis
Et placida requie.

9. Amen dicat rex gloriae.

Miss. ms. Marchianense saec. 16. in. Cod. Duacens. 89 A. — Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. B.

257. De sancto Huberto.

1a. Vox de caelo
Resultet cum dulci melo,
Alleluja.

1b. Est Hubertus
Cum Christo triumphans certus
De gloria.

2a. Comes Aquitaniae
Mundanae militiae
Sub habena.

2b. Petri petit limina,
Vitae purgat crimina
Vitae poena.

3a. Per supernum nuntium
Projicit hic gladium
Et in ara

3b. Offert sacrificium
Pastor factus ovium,
Res est clara.

4a. Imperat daemonibus,
Mulieris manibus
Datur cura,

4b. Vivens in coelestibus
Adest se petentibus
Fide pura.

5a. Toxicatis rabie
Homini vel bestiae
Medetur quotidie,
Res est vera.

5b. Si non verbis creditur,
Ad sepulchrum cernitur,
Quod in libro scribitur
Sine cera.

6a. Pastor bone, serva
Nos, hostes enerva,
Ne nos teneat
vis proterva.

6b. Sit nobis pervia
Coelorum regia
In splendoribus,
alleluja.

Grad. ms. Aquicinctense saec. 15/16. Cod. Duacens. 124. A. — Miss. Remense imp. Parisiis 1491. B. — Miss. Remense imp. Parisiis 1513. C.

258. De sancto Jacobo.

1a. Laudemus apostolos,
Christi sectatores,
Nuntios benevolos,
Primos fundatores
Certantis ecclesiae.

1b. Murales paribolos,
Templi defensores,
Fidei nuntiolos
Sed praedicatores
Verae sapientiae.

2a. Jacobus, qui proximus
Est filio Dei
Christoque simillimus,
Natus Zebedaei,
Jesu comes socius,

2b. Apostolus optimus
Fideique spei,
Miles illustrissimus,
Fortis aciei,
Salvatoris regius,

3a. Errores eliminat
Malos Judaeorum,
Haereses exterminat
Pravas idolorum
Veritatem praedicans.

3b. Bonum semen seminat
Sacrorum verborum
Caecos ac illuminat
Plures perfidorum
Exemplis aedificans.

4a. Populus falsidicus
Apostolum premit,
Herodes maleficus
Jacobum peremit,
Rex crudelis, impius.

4b. Jesus, nos beneficus
Qui terra redemit,
Tunc corpus salvificus
Via suum demit
Mari tradens brevius.

5a. Navi cum angelico
Ductu deportatur,
Asylo mirifico
Portu situatur
Hispanorum fretico.

5b. Jussu post magnifico
Reginae mutatur,
Tractu boum coelico
Compostellae datur,
Situ quo stat illico.

6a. Ecclesiam domina
Pulchram fabricavit,
Apostolus lumina
Vibrans illustravit
Populos Hispaniae.

6b. Mundus mittens agmina
Diu visitavit
Apostoli limina,
Per quae decoravit
Has dotes ecclesiae.

7. Per sancti precamina
Deus suscitavit
Mortuos, solamina
Salutis donavit,
Munus praestet veniae.

Miss. ms. S. Petri Moissiacensis saec. 15. Cod. Tolosan. 106. — 4b, 2 Qua terra Hs. — 5a, 4 Portum Hs. — 5b, 3 Tractu bonum. Hs.

259. De sancto Jacobo.

1a. Sacrosancta veneretur
Jacobi solemnia,

1b. Et per orbem gratuletur
Fidelis ecclesia.

2a. Evocavit hunc de mari
Hominesque jam piscari
Jussit Dei filius,

2b. Mox in omnem erudivit
Veritatem et adscivit
In amorem artius.

3a. Regni decus sub duorum
Pandens testimonio,
Voce patris de coelorum
Attestante solio.

3b. Ad splendorem deitatis
Hinc assumens tertium,
Suae fecit claritatis
Et testem et socium.

4a. Cum duobus hic vocatur
Et cum ipsis honoratur
Adspectu miraculi,

4b. Dum puellae reddit vitam
Desoporatque sopitam,
Arcentur discipuli.

5a. Orat Christus et artatur
Sudans mortis taedio,
Hic orantem comitatur,
Dum perorat tertio.

5b. Dignitatem sessionis
Petit mater sedula,
Sed magister passionis
Invitat ad pocula.

6a. Felix, qui ad vocem Christi
Sitibundus ebibisti
Pretiosum calicem,

6b. Unde digne coronatus
Esto tuis advocatus
Apud ipsum judicem.

7. Tuo nobis sanguine
Dele culpas, obtine
Paradisi requiem.

Miss. ms. Vedastinum. saec. 14. in. Cod. Atrebatens. 888. A. — Miss. ms. Vedastinum saec. 14. Cod. Atrebatens. 882 B. — Str. 1 und 2a fehlen B. — 6a, 1 quid ad vocem A. — 7, 1 Quo nobis A.

260. De sancto Jacobo.

1a. Plaude terra, coelum gaude,
Recolantur digna laude
Jacobi solemnia.

1b. Totus orbis jucundetur,
Jucundando moduletur
In ejus victoria.

2a. Hinc Zebedaei filius
Vocem secutus Domini,
Post duos specialius
Adhaesit Deo homini.

2b. Vidit sub lucis radio
Verbum patris in gloria,
Cujus sub carnis pallio
Celabatur potentia.

3a. Quos elegit ab aliis
Tanti secreti conscios,
Honorantur prae ceteris
Amoris privilegio.

3b. Istis pavore, taedio,
Sacri sudore sanguinis
Alto probat mysterio
Veram naturam hominis.

4a. Istis surgens ab inferis
Apparuit piscantibus,
Assi piscis atque panis
Mysticis donans dapibus.

4b. His piscium in captura
Praesignat sub mysterio,
Quae sanctorum sit futura
Ad dexteram electio.

5a. Quos patris unigenitus
Primitus informaverat,
Hos debriavit spiritus
Ebrietate sobria.

5b. Ebrietatem spiritus
De fonte sapientiae
Bibunt conducti coelitus
Novae cultores vineae.

6a. Cujus cultor Jacobus
Triturabat aream,

6b. Dilatans ingressibus
Pullulantem vineam.

7a. Tandem calix propinatur,
De quo bibens coronatur
Sub Herodis gladio;

7b. Sic adepta sede regni
Oret Christum, nos perenni
Frui vitae praemio.

Miss. ms. Vedastinnm saec. 14. in. Cod. Atrebatens. 888 mit Mel. — 2a, 1 Zebedaei fidei Hs.

261. De sancto Jacobo.

1a. Gaudet chorus et laetatur
Jacoboque gratulatur
Cantu novi moduli,

1b. Parat rete, dum piscatur
Sed a Christo advocatur
Ad salutem populi.

2a. Tractus ad Jesum accedit
Saeculoque statim cedit
Dei secutus viam,

2b. Voci Domini obedit
Illicoque ad se redit
Sequens veram sophiam.

3a. Ascendens mortis verticem
Cernit per lucem judicem
Christum transfiguratum,

3b. Vidensque vitae laticem
Cupit per talem calicem
Se fore debriatum.

4a. Sponte perfert martyrium
Et sempiternum praemium
Isto modo mercatur,

4b. Vitae taetrum supplicium
Scandensque coeli solium
In Deo gloriatur.

5a. Adsis tuo suffragio,
Pater, nostro collegio,
Ne peccatis premamur,

5b. Sed tuo patrocinio
Cum sanctorum consortio
Ad coelum perducamur.

Prosar. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Andegavens. 90. A. — Miss. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Carnotens. 591 B. — 1a, 1 chorus fehlt B. — 5a, 3 Peccatis ne premamur B.

262. De sancto Januario.

1. Exsultet Augiensis
semper insula gaudens,

2a. Immenso corporum
thesauro

2b. Sanctorum martyrum
ornata.

3a. Quos inter beatos sacra
Januarius membra
locavit,

3b. Hunc diem in cujus rite
celebramus solemnem
honore.

4a. Qui carne quondam
in terris positus
principatu
mundi contempto

4b. Regi superno
miles fortissimus
incorruptam
fidem servavit.

5a. Cujus pro nomine minaces
in fornace
flammas perpessus

5b. Atque purpureum postremo
decollatus
fundens cruorem,

6a. Senos insuper
socios
Sossium et Proculum
sanctumque Eutychetem,

6b. Festum pariter
Acutumque
Desiderium secum
adscivit Christo Jesu.

7a. Fortunatae
suis cum fratribus
festa simul
concelebremus,

7b. Te petentes,
ut cum his omnibus
Christi nobis
gratiam poscas,

8. Beate Januari.

Clm. Monacens. (ol. Tegrinsens.) 18955 saec. 11. — Mel.: Romana. — 6b, 3 sq. adscivit secum Hs.

263. De ss. Innocentibus.

1a. Psallat Christo parvula
puerorum catervula

1b. Modulatis dulcia
vocibus dantes cantica.

2a. Hodie tam sacra
solemnia redintegrat
anni volubilitas,

2b. Ventura divina
quae protulit notitia
in voce prophetica.

3a. Sed Christi dum infantia
terris praeerat,
impleta sunt omnia.

3b. Herodes et saevus regna
tunc Judaica
obtinebat tetrarcha.

4a. Solus cuncta qui sceptra
regeret per potentiam,

4b. Infelix metuens sua
perdere regimina,

5a. Furens ubique mandat,
quaerens Christi jugula,
trucidari omnia
puerorum agmina
a bimatu et infra.

5b. Horum vagitus alta
scandebat ad sidera
passimque fusa per arva
jacebant corpuscula,
hostis sed immanitas

6a. Semper crudelissima

6b. Non horrebat talia.

7. Ipsi nunc cum sanctis lucida
coeli perfruamur gloria,
quorum prece indulgeat
nobis Dominus, qui semper regnat.

Prosar. ms. Laudunense saec. 12. Cod. Laudunens. 263. — Str. 6 hängt mit 5 ohne Alinea zusammen Hs.

264. De ss. Joachim et Anna.

1a. Omni laude mente tota
Annae plaude, gens devota,
Exsulta tripudio,

1b. Astra, poli, sol et luna,
Stella, coeli sonent una
Mariae cum filio.

2a. Christus sol est justitiae,
Virgo luna munditiae,
Plena solis radio;

2b. Lunam profert Anna stella,
Solem luna ventris cella
Cum pudoris lilio.

3a. Numquid astra sunt cognati
Filiabus Annae nati
Duobus conjugiis?

3b. An Jacobi cum Johanne,
Simon, Judas, Joseph, Annae
Micant natalitiis?

4a. Tres Marias, Anna, paris,
Tribus quibus copularis
Viris matrimonio;

4b. Te sterilem lex culpavit,
Te Joachim fecundavit
Misso coeli nuntio.

5a. Tanto dignus es honore,
O Joachim, sed ex more
Honoramus feminas;

5b. Horum primus es genitor,
Et praevius quasi nitor,
Hanc prolem post te minas.

6a. Regis David progenie,
Sancte pater eximie,
Cum trahis originem,

6b. Judaica prosapia
Orta fuit Anna pia,
Ambo gignunt virginem.

7a. Qua naturae supra jura
Fit creator creatura
Hominem deificans,

7b. Ex qua verbum incarnatum
A Judaeis reprobatum
Est orbe toto micans.

8a. Cum praedictis hora mortis
Sit haec nobis pugil fortis
Fugando daemonia,

8b. Per hanc patet poli porta,
Nos huc cum his, Christe, porta,
Quorum sunt praeconia.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 123.

265. In Nativitate s. Johannis B.

1. Salvantis saecla
laudes celebra, lyra,

2a. Cujus praecursor vera
fert gaudia
natus Johannes
baptista.

2b. Hic lucerna, quam parat
genitor,
ut nati vias
dirigat.

3a. Ideo missus est
novae gratiae
nuntians gaudia.

3b. Sancte o Gabriel,
nobis tu pandis
ejus insignia.

4a. Accepit hic a Deo
privilegia inclita
ac magnifica munera,

4b. Qui matris clausus alvo
sanctam sensit theotocam,
cujus adventu gaudebat.

5a. Propheta excelsi,
corda nostra irradia

5b. Et regi superno
nos tu reconcilia,

6a. Qui patris solvis organa; *
Quem virgine natum
orbi digito monstras. *

* * *
* *
* *

* 6b. Ut baptista potens
nostra munda pectora
* Et duc ad alta sidera.

7a. Amice sponsi,
gratiae testis in
cosmi machina,

7b. Quoniam tua
tantum nativitas
Christo militat,

8a. Qui te nasci jussit
patris senecta
olim ut sanctum Isaac.

8b. Hodie lux ista
sit nobis salus
per te fida, in qua gaudent

9. Coelica.

Miss. ms. Lugdunense saec. 14. Cod. Capit. Lugdunens. A 6. A. — Miss. Lugdunense imp. Lugduni 1500 B. — 2b, 3 nativitas A. — 3a, 1 A Deo missus B. — 6a, 3 monstrans A. — 8a, 3 olim et sanctum A.

266. In Nativitate s. Johannis B.

1a. Laetabundus
Exsultet ubique mundus
Pro baptista,

1b. Nato matre
Sterili et muto patre
Die ista.

2a. Angelus Zachariae
De tanta progenie
Tulit fidem,

2b. Cum de vice tolleret,
Quod incensum caperet
Sorte quidem.

3a. Sed quia non credidit,
Usum vocis perdidit
Zacharias,

3b. Qui prophetae redditur,
Quando circumciditur
Hic Elias.

4a. Nomen imponentibus
Puero parentibus
Genitoris

4b. Respondit Elisabeth:
Nequaquam, nomen habet
Novi moris.

5a. Johannes vocabitur,
Sic patri praecipitur,
Cum prole promittitur
Prolis nomen.

5b. Hic dum vellet scribere
Johannes senex cerae,
Sensit linguam solvere
Felix omen.

6a. Et profert omnium
Auribus stantium:
Johannem vocate
puerum.

6b. Hujus auxilium
Det nobis gaudium
Coeli conventui
civium.

Miss. ms. Venetense saec. 15. Cod. Rotomagens. 307. Mel.: Laetabundus.

267. In Nativitate s. Johannis B.

1a. Gaude, Sion laetabunda,
Sit laus Deo, laus jucunda,
Decora laudatio;

1b. Fac auditam vocem laudis,
Audi vocem, fac quod audis,
Fideli obsequio.

2a. Gratulare, quae non paris,
Solitudo singularis
Filiorum copia,

2b. Propter ortum magni vatis
Muta vestem vetustatis,
Adornare gloria.

3a. Praecursore Christi nato
Callem morum complanato,
Para viam Domino;

3b. Tu lucerna lucis verae,
Claritatem contuere
Lucis sine termino.

4a. Sustinente plebe foris
Sancti sacrum sanctioris
Zacharias penetrat,

4b. Supplex orat thuris hora
Postulansque potiora
Supra votum impetrat.

5a. Stupet haerens, mente nutat,
Vix impleri posse putat
Gabrielis nuntium;

5b. Dum rimatur modum rei,
Non attendit velle Dei,
Rerum causam omnium.

6a. Fides tarda reddit mutum,
Clara sacri lux virtutum
Praeit ortum pueri;

6b. Nova prole veteranus,
Partu novo gaudet anus
In senecta uberi.

7a. O quam felix puer talis,
Cujus multis fit natalis
Gaudendi materia,

7b. Meritorum quaeris testem,
Voca vitam, victum, vestem,
Nomen plenum gratia.

8a. Matris adhuc alvo clausus
Gestu Christo dat applausus
Clauso ventre virginis,

8b. Matrem replet inspiratus,
Patris linguam solvit natus,
Solvit litem nominis.

9a. Hic est meta legis datae,
Legis limes breviatae,
Cujus ortus colitur;

9b. Audi verbum Dei verum:
Inter natos mulierum
Major nullus nascitur.

10a. O Johannes, prophetarum
Lumen, coeli sidus clarum,
Carum pignus gratiae,

10b. Fac in Christo nos renasci,
Ubi Christus cubat, pasci
In mera meridie,

11. Ubi semper hodie
Et dies laetitiae,

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123.

268. In Decollatione s. Johannis B.

1. De sancto Johanne,
baptista Dei,

2a. Domini praecursore,
gaudeat ecclesia,

2b. Qui major hominibus
atque plus quam propheta

3a. Regem admonet Herodem
caritate nimia,

3b. Ut, quam tulerat, uxorem
fratri suo dimittat.

4a. Sunt haec utique sacra
monita,
nam non odio sed amore
salutis
magister arguebat,
quem per incesta
perdi dolebat.

4b. Sed libidinis ardens
facula
matrimonii inconcessi
foedera
rex servare malebat,
quam ad veniae
flecti consulta.

5a. Mox impatiens
conatur audire
consilia,
doctorem
ligavit parricida,

5b. Quem sic regina
cogit adultera
saltansque filia,
quod mundi
exstinguitur lucerna.

6a. Caput datur puellae
fertque matri suae puella,

6b. Sed martyr vivens Christo
coelorum possidet gaudia.

7a. Ergo Dei
precare gratia

7b. Ut vivamus
tecum in saecula.

Trop. ms. Cameracense saec. $^{10}/_{11}$. Cod. Cameracens. 79. A. — Miss. ms. S. Gaugerici saec. 15. Cod. Cameracens. 145. B. — Grad. ms. Aquicinctense saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Duacens. 124. C. — Miss. Cameracense imp. Parisiis. 1542. D. — 5a, 3 fehlen zwei Silben am Vers.

269. In Decollatione s. Johannis B.

1. Psallat mens nostra
Domino gemebunda,

2a. Et quod optat
imitata

2b. Et quod ambit
speculata.

3a. Vox resonet,
mens suggerat
superis sociata;

3b. Cor cogitet,
mens satagat
sapere, quae sunt supera.

4a. Angelicos
imitari coetus
noverit peregrina

4b. Ac Dominum
pie laudet terris
incola super astra.

5a. Pangat modulos,
grates referat
tremebunda,

5b. Ardens jubilet,
Christo haereat
amabunda.

6a. Nunc gaudia
inhianter
nitens properet
ad superna,

6b. Quo valeat
sine fine
bonis perfrui
redimita.

7a. Perennis dicat laudes
gavisura,

7b. Quem votis poscit Deum
conspectura,

8. Ex quo vivit
per saecula cuncta.

Grad. ms. S. Theoderici saec. 12. Cod. Remens. 169 A. — Miss. ms. S. Remigii saec. 13. Cod. Remens. 122. B. — Prosar. ms. S. Theoderici saec. 15. Cod. Remens. 179. C. — 4b, 1 Ad Dominum A.

270. De s. Johanne Baptista.

1a. Est coelesti praesignatus
Johannes oraculo
Et ab ipso consecratus
Uteri latibulo.

1b. Verbo pater, scripto mater
Nomen edit parvulo,
Et soluta lingua muta
Patris est a vinculo.

2a. Puer hic plus quam propheta,
Certa prophetarum meta,
Currus evangelii,

2b. Paraturus viae viam,
Mutum solvit Zachariam
A nota silentii.

3a. Veri regis verus praeco,
Singulare quidem de quo
Praeconatur veritas,

3b. Arta, curva et erecta,
Prava ponit in directa,
Rectas facit semitas.

4a. Agnum monstrat in aperto
Vox clamantis in deserto,
Vox verbi praenuntia.

4b. Non lux iste sed lucerna,
Christus vero lux aeterna,
Lux illustrans omnia.

5a. Ardens fide, verbo lucens
Et ad veram lucem ducens,
Sanctitatis speculum,

5b. Cilicina tectus veste,
Cum locustis mel silvestre
Sumebat in ferculum.

6a. O Johannes sanctissime,
Praedicator verissime,
Nobis impetra veniam,

6b. Ut possimus in patria
Illa summa laetitia
Frui post hanc miseriam.

Prosar. ms. Franciscan. saec. 13/14. Cod. Parisien. 1339. — Mit Mel.

271. De s. Johanne Baptista.

1a. Laudes decent praecursorem,
Quia nullum se majorem
Surrexisse hominem,

1b. Testem habet redemptorem,
Qui et meruit honorem
Baptizandi Dominum.

2a. Angelo praenuntiatus,
In ventre sanctificatus
De sterili nascitur,

2b. Ne quis hunc tangat reatus,
In eremo sequestratus
Parce nimis pascitur.

3a. In ventre, mundo, inferno
Prophetavit nos superno
Visitandos lumine,

3b. In adventu nam materno
Exsultavit pro interno,
Quod praesensit, numine.

4a. Virgo, martyr, plus propheta,
In quo lex est adimpleta,
Inchoata gratia,

4b. Praeco Christi et athleta,
Fac, ut cursus nostri meta
Sint coeli palatia.

Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572. Cod. Ambianens. 132.

272. De s. Johanne Baptista.

1a. Ad honorem praecursoris,
Omni laude dignioris,
Nostra psallat concio,

1b. Quem a Deo destinatum
Probat nomen ei datum
A coelesti nuntio.

2a. Salvatorem salutavit,
Dum venire exsultavit,
Mirando praesagio,

2b. Et nos ipsum salutemus,
Cujus ortu congaudemus:
Ave, via devio.

3a. Tu lucerna firmamenti,
Tu minister sacramenti
Primi baptisterii,

3b. In quo Christum abluisti
Et columbam adspexisti,
Testem Dei filii.

4a. Ave, decus castitatis,
Te major non est in natis
Christi testimonio;

4b. Tu prophetas consummasti,
Honorasti, confirmasti
Digiti indicio.

5a. Johannes, schola virtutum,
Iter para nobis tutum
Facque dignos venia;

5b. Nos Christo, quem baptizasti,
Cujus viam praeparasti,
Semper reconcilia.

Miss. ms. Franciscan. saec. 14. Cod. Cenomannens. 249. A. — Miss. ms. S. Petri Insulens. saec. 15. Cod. Insulens. 25. B. — 3a, 1 lucerna mente A.

273. De s. Johanne Baptista.

1a. Vox clamantis in deserto,
More sonans inexperto,
Voces nostras in aperto
Conclamare faciat.

1b. Istum decent melodiae,
Cujus ortum Zachariae
Missus idem, qui Mariae
Partum verbi, nuntiat.

2a. Senex mater et effeta
Nova sentit in propheta,
Quod naturae nescit meta
Novi partus gratiam.

2b. Verbo vates incarnati,
Praeferendus omni vati,
Necdum natus necdum nati
Prophetat praesentiam.

3a. O praecursor summi regis,
Lumen vitae, limes legis,
Pium melos tui gregis
In sublime referas.

3b. Per te viam teneamus,
A qua per nos deviamus,
Ut te duce transeamus
Hinc ad sedes superas.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 123. A. — Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 180. B. — Miss. Cameracense imp. Parisiis 1542. C. — 2b, 4 Propheta C. — 3a, 3 Tu sublime C. — 3b, 3 Hic ad sedes C. — Mel. natürlich Verbum bonum.

274. De s. Johanne Baptista.

1a. Christi psallat praecursoris
Voto, voce cordis, oris
Chorus hic praeconium;

1b. Hic est praeco summi regis,
Vox clamantis, factus legis
Gratiae principium.

2a. Hic e coelo matri datus,
Muto patri reddit natus
Sublatum eloquium;

2b. Parans formam viris justis,
Mel silvestre cum locustis
Sumit in edulium.

3a. Vox clamantis in deserto,
Agno verax in aperto
Praebet testimonium;

3b. Inter natos teste Christo
Non surrexit major isto
Per carnis connubium.

4a. Johannes est lux solaris,
Gemma vatum singularis,
Puritatis lilium;

4b. Fac tuarum ope precum,
Quod possimus una tecum
Adipisci praemium.

Miss. ms. Romano-Franciscan. saec. 14. Cod. Carpentoractens. 107.

275. De s. Johanne Evangelista.

1. Nostram musica
sume camoenam

2a. Vernacula
dulcis harmoniae
jure dicatam

2b. Sempiterno
regi, moderanti
cuncta creata,

3a. Pro sacris melodificam
solemnis beati
Johannis
reboantem
symphoniam
fidicanoram.

3b. Hic Christi nam discipulus
legitur et Domini
dilectus
prae ceteris
et dicitur
Dei gratia.

4a. Qui pectus supra
Jesu recubuit
in sua coena,

4b. De cujus fonte
evangelii
hausit fluenta.

5a. Hinc singulari
pro privilegio
Coaeterno patri de
deitate filii
prompsit haec affamina.

5b. Quod in principio
Deus erat verbum,
Et verbum illud adest
caro factum
pro salute humana.

6a. Ostendens in Christo
sic divinitatis unam
Et verae simul
humanitatis
essentiam.

6b. Idcirco confudit
haereticorum dogmata
Et verae fidei
corda imbuit
veritati credita.

7a. O beate Johannes,
tuo nunc suffragio

7b. A nobis subeantur
gaudia repromissa

8. Et sine fine mansura.

Grad. ms. S. Theoderici saec. 12. Cod. Remens. 169. A. — Miss. ms. S. Remigii saec. 13. Cod. Remens. 122. B. — Prosar. ms. S. Theoderici saec. 15. Cod. Remens. 179. C. — Mel.: Justus ut palma major. — 4a, 3 sui coena B.

276. De s. Johanne Evangelista.

1. Haec est dies veneranda,
Qua Johannis celebranda
Sunt festiva gaudia;

2a. Fiat mundus laetabundus,
Hujus luce Christo duce
Radiat ecclesia.

2b. Hic est ille tam dilectus,
Qui magistri supra pectus
In coena recubuit,

3a. Quo doctrinae potat flumen,
Ubi vitae vidit lumen,
Quod nobis perhibuit.

3b. In amoris hic privilegio
Summi patris conjunctus filio
Super omnes placuit.

4a. O quam Christus hunc amavit,
Cui matrem commendavit
In mortis angustia.

4b. Virgini committitur,
Virgo dum affligitur
Caro Christi sancia.

5a. In Johanne ut laudemus
Christum, ejus recitemus
Operum insignia,

5b. Summi regis ad honorem
Et Johannis in amorem,
Cujus sunt solemnia.

6a. Margaritas hic confractas
Integravit semel tactas
Crucis per auxilium,

6b. Coelos prece penetravit,
Dum in aurum transmutavit
Rudes virgas frondium.

7a. Drusiana suscitatur,
Turba patrum gratulatur
Tanto beneficio,

7b. Matri vivens natus datur
Et, quae vidit, cuncta fatur
Johannis imperio.

8a. Viro virus datur dirum,
Sed non laedit virus virum,
Quod hausit intrepidus;

8b. Statim duos suscitavit,
Quos ibidem tunc necavit
Ille liquor pessimus.

9a. In olei servus Dei
Saevo gente saeviente
Pleno missus dolio,

9b. Nil ardoris, nil fervoris
Sentit ibi, namque sibi
Christus est praesidio.

10a. Hic dum alta contemplatur,
Per aquilam figuratur,
Sub figura demonstratur
Ejus eminentia.

10b. Hic in altis immoratur,
Pane coeli satiatur,
Vivi fontis aqua datur
Sibi sancta copia.

11a. Postquam cursum consummavit
Vitae, Christus hunc vocavit
Et vocatum sublimavit
In coelesti solio.

11b. Deum videt Deo gratus,
Solo visu satiatus,
Atque fulget illustratus
Veri solis radio.

12a. O Johannes, roga Deum,
Funde preces rogans eum,
Ut nos lavet, quos redemit
Et in cruce pendens emit
Pietatis gratia.

12b. Illud praestet Christus tibi,
Ut nos omnes jungat sibi
Et ad regna pietatis
Nos perducat cum beatis
In aeterna gloria.

Miss. ms. S. Albini saec. 12. Cod. Andegavens. 85. add. saec. 15. — Mel.: Laudes crucis.

277. De s. Johanne Evangelista.

1. Clare cunctorum
concentus presbyterorum
Christo regi polorum
psallatque terrarum,

2a. Qui protoplaustum,
serpentis fraude
superatum,

2b. Necis aeternae
dolescens modum
incurrisse,

3a. Virginea egressus
aula disrupit
dirae mortis vincula

3b. Et hominem divino
jam vitae datum
insignivit flamine.

4a. Ex quo sui viscera
dilecti
supplevit Johannis,

4b. Ut populis mystica
credulis
promat famina.

5a. Sicque, virgo praecelse,
Johannes, edoctus sacra
eructasti dogmata

5b. Et horrea multiplici
coeli fructu ditasti.

6. Hinc te senio jam marcidum
virtutumque luce fulgidum
senatorem terris emptum
coeli Christus statuit.

7. Et idcirco coetus omnis
sacerdotum
supplex poscit tuis precibus,
sancte, muniri.

Prosar. ms. Laudunense saec. 12. Cod. Laudunens. 263. — Mel: Aurea; daher die Unregelmäſsigkeiten in 5b (vgl. Bartsch, die lateinischen Sequenzen, S. 34) und in Str. 6 und 7 (Bartsch S. 28).

278. De s. Johanne Evangelista.

1a. Johannes evangelista,
Quis sis, quantus agonista
Dic dona nobis ista
Commetiri laudibus.

1b. Qui laborem hunc subimus,
Gratum quidem, docti simus
Te magistro, quod nequimus
Scire nostris viribus.

2a. Dulce nomen et beatum
Docet nos interpretatum,
Quod sis Dei gratia,

2b. Plenius sed docuisti,
Dum vocatus reliquisti
Patrem, navem, retia.

3a. Reddis vicem quam benigne
Vocans vocantem insigne,
Jesu decus patuit.

3b. Die tertia te teste
Venit Deus manifeste
Noster et non siluit.

4a. Deus homo sine patre
Cum discipulis, cum matre
Tuas visit nuptias,

4b. Quas miraculo sacravit
Suo, dum praecepto favit
Aqua dans delicias.

5a. Suum sentit aqua regem
Et veternam mutat legem
Regis ad imperium,

5b. Aqua rubet sed in vinum
Muscet et architriclinum,
Quo stupet convivium.

6a. Esse credas, o Judaee,
Hoc in Cana Gallilaeae
Signorum initium,

6b. Finem legis terminatae,
Novae gratiae jam datae
Caput et principium.

7a. In Johanne Zebedaei
Argumentum nostrae spei
Primum jure claruit,

7b. Christi namque primo ductu
Primus iste trino fructu
Maritari meruit.

8a. O Johannes sponsam linquis
Sed carnalem nec delinquis,
Tutus scandis ardua,

8b. Unus fructum das tricenum,
Sexagesimum, centenum,
Sponsus, virgo, vidua.

9a. Tu pro Christo aspernatus
Pectus lene, molle latus,
Conjugis lasciviam,

9b. Christi sinum promereris,
Quo recumbens tutus quaeris
Tradentis notitiam.

10a. Tu plus ceteris dilectus
Gratus gratum Christi pectus
Premis aure patula,

10b. Aurem imprimis carnalem
Pectori sed spiritalem
Mergis mente sedula.

11a. Miris harmoniae sonis
Universae rationis
Audis plenitudinem,

11b. Mirae vir praerogativae
Puri fontis aquae vivae
Hauris hinc dulcedinem.

12a. Dum in cruce triumphavit
Christus, suam commendavit
Matrem tibi virginem,

12b. Quam aperte monstrat Jesus,
Aestu carnis quod illaesus
Viceris libidinem.

13a. Fervet oleum nec cutis
Rugam trahit nec salutis
Statum mutat, haec virtutis
Et divinae gloriae.

13b. Magis hac virtute mirum
Toxicum in duos dirum
Tertium te fortem virum
Servat a molestia.

14a. Quos veneni socios
Habuisti,
Facis tibi conscios
Regni Christi.

14b. Reddis, quam perdiderant,
Mundi lucem
Et te sequi properant
Coelo ducem.

15a. Sed Caesar Domitianus,
Alter Nero, vir vesanus,
Nerone crudelior,

15b. Vir versutus dire certat,
Christi fidem ut evertat,
Sed fit inde clarior.

16a. Exsulas eo jubente
Relegatum te repente
Vocat Pathmos insula;

16b. Hinc in coelum raptus vides,
Ceteros quos docet fides
Optare spe pendula.

17a. Et non plene transit annus,
Et succumbit hic tyrannus
Senatus supplicio,

17b. Archipraesul redis gratus
Omni populo vocatus
Senatus judicio.

18a. Aetas, sexus et fortuna
Certat omnis, ut sit una
Laus in ore omnium;

18b. Laudem devitas humanam,
Suscitas ut Drusianam,
Dei rogas filium.

19a. Gemmas fractas qui reformas
Mire Cratonem renormas
Et ineffabiliter,

19b. Gemmae saxa litoris,
rum virgae nemoris
Per te nitens pariter.

20a. Ebionem cum Cerintho,
Stirpem foedam cum semento
Evellis radicitus,

20b. Verbum, dicens, habitare
Carnem factum salutare
In nobis humanitus.

21a. His figuras te loquelis
Aquilam Ezechielis,
Raptus quam vides in caelis
Rotam plenam oculis.

21b. Christum gaudes adimplere:
Sic enim volo manere,
Donec veniam, nam vere
Venit cum discipulis.

22a. Quinque dies ante mortem
Non sensurum mortis sortem
Te probatum virum fortem
Invitavit ad cohortem
Coelis epulantium.

22b. Tecum, qui conviva places,
Aquila, transfer paraces,
Qui non sumus efficaces
Per nos epulas veraces
Gustare fidelium,

23. O Johannes Christi care.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. A. — Miss. Hafniense imp. Hafniae 1510. — 2b, 1 Plenus et docuisti A. — 3a, 3 Decus Jesus poruit B. — 4a, 3 jussit nuptias B. — 5b, 3 Quod stupet B. — 9a, 3 Contemnis lasciviam A. — Str. 9b fehlt B. — 9b, 3 Tradentis laetitiam A. — 10b, 2 sq. Sed ad sensum spiritalem vergis mente B. — 11a, 1 Viris harmoniae B. — 13b, 3 Tertium ve A. — 15a, 2 Alter vero B. — 16a, 3 insulam B. — 17a, 1 O non plene A. — 19a, 2 Mire creatorem reformas A. — 21a, 3 quam fehlt B. — 21a, 4 Toto plenam B. — 21b, 1 Laudes Christum adimplere B. — 22a, 4 Invitat B. — 23 fehlt A.

279. De s. Johanne Evangelista.

1. Oramus te, aeterna
spes et summa,

2a. A quo bonitas,
lux et felicitas
et bona manant omnia,

2b. A quo tempora
et cuncta saecula
certa capiunt spatia.

3a. Adsis precibus,
quas tibi sonant
plebs tua
in hac pretiosissima
festivitatis die,
terris omnibus lucida,

3b. In qua meruit
cernere tuam
gloriam
virgo in coelestibus et
evangelista, tuba
Johannes apostolica.

4a. Qui te in excelsis
habitantem viderat,

4b. Quomodo aquila
soli figens lumina.

5a. Coeli petivit limina
Et sic inaudita
saeculis praeconia

5b. Tua salutari
debriatus gratia
Mortalibus infuderat.

6a. Abhinc ergo tuam,
aeterne Domine,
misericordiam

6b. Obsecramus, ut hanc,
quam ille semitam
nobis ostenderat,

7a. Et mente devota
et fide sincera

8a. Et ejus meritis
cernere tuam
jam mereamur patriam.

7b. Sequamur hanc tibi
beneplacitam,

8b. Tibi laus et honor,
tibi claritas,
pax sit et omnis gloria.

Miss. ms. Vedastinum saec. 14. in. Cod. Atrebatens. 888. A. — Miss. ms. S. Amandi saec. 14. Cod. Valentianens. 111. B. — Grad. ms. Marchianense saec. 14. Cod. Duacens. 114. C. — Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. D. — Miss. ms. Marchianense saec. 12. Cod. Duacens. 82. add. saec. 15. E. — Miss. ms. Marchianense saec. 16. Cod. Duacens. 89. F. — 4b, 1 Velut aquila A, Korrektur. — 4b, 2 defigens A. — 6b, 3 sqq. fehlen A. — 7a, 2 et fehlt E. — 7b, 2 fehlt E. — 8b, 2 tibi atque claritas E.

280. De s. Johanne Evangelista.

In Octava.

1a. Johannes lux sanctorum,
Gemma apostolorum,
Plenus Dei gratia,

1b. Est a Deo electus
Et prae cunctis dilectus
In Christi familia.

2a. Doctor evangelista
Fuit in vita ista,
Firmitas justitiae,

2b. Virgo, flos honestatis,
Exemplum sanctitatis,
Fons misericordiae.

3a. O digne cuncta laude,
Johannes, semper gaude
In superna curia,

3b. Meritis eximiis
Meruisti nimiis
Sempiterna gaudia.

4a. Signis et miraculis
Corruscas in populis
Cunctis admirantibus,

4b. Tua prece adjuti
Nos simus semper tuti
Ab adversitatibus.

5a. Doctrinis clarissimis
Praefulgens et maximis
Da nobis nunc prospera,

5b. Dona vitae meritum
Et salutis exitum
Transfer nos ad supera.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1534. Mel. vermutlich: Veni sancte Spiritus.

281. De s. Johanne Evangelista.

1a. Fons praeclarissimus
Et praedulcissimus
Exit de monte,

1b. Ad hunc deveniens
Aquila sitiens
Dormit in fonte.

2a. In fonte dormiens,
Inde transglutiens
Purum liquorem,

2b. Propinat omnibus
Electis avibus
Mirum dulcorem.

3a. Solatur flebiles
Et sanat debiles
Dulcor mirandus,

3b. Et corda effera
Mulcet et aspera
Dulcor laudandus.

4a. Haec est parabola:
Johannes aquila
Et Christus fons est,

4b. Venit fons fontium
A monte montium,
Nam pater mons est.

5a. Mons fertilissimus,
Excellentissimus
Et generalis,

5b. A quo sunt omnia
Et sapientia
Coaeternalis.

6a. Sibi est fluvius
Ipsius filius
Praecordialis:

6b. Ex his paraclitus
Procedit spiritus
Et coaequalis

6c. Patri et filio,
Et hic est unctio
Medicinalis.

7a. Hanc celsitudinem
Trinitatis
In pectus dormiens
Veritatis

7b. Hausit de flumine
pietatis
Johannes, lilium
castitatis.

8a. Ob hoc persimile
Confertur aquilae,

8b. Ad thronum aetheris
Quae volat ceteris

8c. Altius avibus
Et praeest omnibus.

9a. Et suos oculos
In solis radios

9b. Figens acutius
Videt subtilius.

10a. Sic est Johannes hic
exaltatus,
Sole justitiae
perlustratus,
Quo est theologus
appellatus,
In Christi gremio
soporatus,

10b. Altius ceteris
contemplatus
Deum, a quo fuit
sic amatus;
O quam fuit iste
Deo gratus,
Cui thesaurus est hic
commendatus.

11a. O quam fuit hujus
sancta vita,
Cui commissa est talis
margarita.

11b. Nunc ad theologum
convertamur
Rogantes hunc, cui
famulamur,

12a. Qui custos virginis
specialis,
Johannes, casta res
spiritalis,

12b. Fac gemmam lucidam
nos videre,
Quam scimus aliis
praelucere

13. Et ita dicitur:
maris stella,
Quae sola mater est
et puella.

Miss. ms. Carnotense. saec. 12. Cod. Carnotens. 520. — Mel. in Neumen auf Linien. — 1b, 1 Adhuc Hs. — 4b, 2 Amore montium Hs.

282. In Transitu s. Hildae.

1a. Sponso festiva gratulans
sponsa virgo ecclesia

1b. Dulce decantans jubilat
solemniter Alleluja.

2a. Quem speciosum forma
praefulgentem et gratia

2b. Amplectens virginea
sponsum sectatur chorea.

3a. Cujus praepollentia
formositatis insignia

3b. Hilda mente fervida
gliscebat carne perdomita.

4a. Haec virginalis hostia
coelo consecratur gratissima.

4b. Pia virgo, virginea
regi Christo nutriens agmina,

5a. Regia stirpe edita,
servorum Christi fit famula;

5b. Mundi contemnens gaudia
sitiens suspirat coelica.

6a. Dei sapientia
sedens ejus in anima

6b. Dat pacis consilia
et salutis hortamina.

7a. Rexit monastica
coelibes regula,

7b. Fervet justitia,
pollet scientia.

8a. Deo jam fruitura
exsultat virgo regia

8b. Carne dolens tenera
praeparatur ad aethera.

9a. Nam sponsus eam invitat:
veni, amica mea,

9b. Imber abiit et pluvia,
veni, formosa mea.

10a. Felix corpore libera
ad coeli scandit
cum angelis regna,

10b. Qua cum virginis cantica
choris decantat
agno virginea.

11a. Jam nos, o virgo beata,
tuo precatu adjuva,

11b. Ut in sanctorum patria
nobis sit tecum gloria.

Miss. ms. Whitbiense saec. 15. Cod. Oxoniens. Miscell. Liturg. 370.

283. In Decollatione s. Johannis B.

1a. Jubilemus omnes una
concordi laetitia,

1b. Celebrantes hodiernae
diei solemnia.

2a. Concrepet melos sonorum
Et modulis organorum
Plaudat haec ecclesia,

2b. Cum propheta veritatis
Nequitiis debellatis
Triumphat in gloria.

3a. Hic est ille, quem dum ventris
Clauderet angustia,

3b. Christo sensit exsultantem
Mater matri obvia.

4a. Hic digito designavit
Et mundana baptizavit
Auferentem vitia,

4b. Nec majorem fudit eo
Conjugalis teste Deo
Copulae fecundia.

5a. Hic invicta Christi praeco
Numinis industria

5b. Prohibebat regi moecho
Fraterna conjugia.

6a. Igitur Herodias
Molitur insidias
Urgente nequitia.

6b. Et angusti carceris
Exsecrator Veneris
Punitur molestia.

7a. Natale regis aderat
Et ingenti copia

7b. Galilaeis paraverat
Festiva convivia.

8a. Dum sumuntur fercula
Saltat meretricula
Meretricis filia,

8b. Et affectus omnium
Movet discumbentium
Saltantis lascivia.

9a. Placet regi, dantur ei
Funesta stipendia,

9b. Jugulato vate Dei
Cruentatur curia.

10a. Declinans perjurium
Intrat homicidium
Caeca temulentia,

10b. Et atrocis feminae
Fuso sacro sanguine
Sedatur insania.

11a. Sed trinitas Deus alma,
Certantium spes et palma,

11b. Pro mortali virum vita
Muneravit infinita.

12a. Nunc, Christe, fidelium
Suscipe vota

12b. Johanni canentium
Mente devota,

13a. Ut ejusdem gloriae
Consequamur gaudia

13b. Quam illius hodie
Meruit constantia.

Amen dicant omnia.

Prosar. ms. Glastoniense (?) saec. 12. ex Cod. Londin. Calig. A XIV.

284. De s. Johanne Evangelista.

1a. Adest dies celebranda,
Celeberrime veneranda,

1b. Salvatoris magnalia
Resonent per haec festalia.

2a. Angelorum coetibus
in excelsis
facta est continua,

2b. Apostoli Johannis
festivitas
revolvitur annua.

3a. Vir ille,
cui nomen est oriens,

3b. Huic matrem
commendavit moriens.

4a. Hunc divisit
a ceteris omnibus,

4b. Qui solus est
rex regum et dominus.

5a. Sic honoratur
a Domino
mellifluus
evangelista,

5b. Ejus ergo festa
celebremus
alacriter
die ista.

6a. Hunc in coena
claviger coeli rogat;

6b. Petrus tacet,
Johannes interrogat.

7a. Assumptus est
hodie in gloria,

7b. Unde gaudet
tota coeli curia.

8a. Gaudeamus et nos
implorantes Johannis
patrocinia.

8b. Benigne favet
digne celebrantibus
haec solemnia.

9a. Gratulare satis,
devotio christiana,

9b. Per Johannem tibi
coeli patent arcana.

10a. Hic est discipulus ille,
quem Jesus diligebat;

10b. Hic in coena supra pectus
illius recumbebat.

11a. O quam miranda summi
regis humilitas,

11b. O quanta circa servum
familiaritas.

12a. Hic fluenta salutaris
doctrinae hauriebat

12b. Quod eructaret, de fonte
perenni bibebat.

13a. Mundi stella
rutilans, coeli
clausa reserans,
Johannes tenet
curiam.

13b. Mater Jesu
mater ejus est
effecta, ipsa
per hunc nos ducat
ad gloriam.

14a. Vale, valde
dulcissime,

14b. In tremendo
examine

15. Inter tuos
nos recipe.

Miss. ms. Whitbiense saec. 14. Cod. Oxoniens. Miscell. Liturg. 390. — 5b, 2 celebramus. — 15, 2 respice.

285. De sancto Irenaeo.

1. Singulis aptare
syllabis melorum clara
juvat neumata.

2a. Ergo nunc organum
tu subministra,
sophia,

2b. Verba, quae Dominum
sapiant, hausta
credantur

3a. Quae de flumine vivo,
ventre Jesu quae
foras manant.

3b. Haec nam condecent verba,
cui angelorum
gaudet turma.

4a. Irenaeo
dicantur cantica

4b. Glorioso
martyri dulcia.

5a. Hunc tumulatum sanctus
Alexander
ornat susceptus
ad laeva latera.

5b. Dexteram capit alter,
circumjacent
sancta milia
milium corpora.

6a. Eja, praesul,
de sede coelica,

6b. Quam rexisti,
respice ecclesiam,

7. Ut tecum decantemus
simul Alleluja.

Miss. ms. Praedicatt. Lugdunens. saec. 14. Cod. Capit. Lugdunens. A 6. — 2a, 2 musica sacra tu subministra Hs., was dem Versmafse nach fünf überzählige Silben, dem Sinne nach ein doppeltes Subjekt der Anrede bedeutet. — 4b, 1 Gloriosi. — 4b, 2 martyris. — 5b, 1 Dextera.

286. De sancto Juliano.

1a. Plaudat urbs Cenomannica
Honore tanti praesulis,
Per quem tanta miracula
Fiunt diebus singulis.

1b. Ignis, mors, daemon, cetera
Cedunt ab aegrotantibus,
Ac dantur eis munera
Aeterna ejus precibus.

2a. Laetetur ecclesia
Devotione pia
Celebrans solemnia
Cum gaudio

2b. Juliani praesulis,
Fulgentis miraculis,
Psallat novis modulis
Haec concio.

3a. Hunc morum nobilitas,
Bonae vitae sanctitas
Ornat atque claritas
Suae gentis.

3b. Defensor et civitas,
Fontis clari novitas
Et puellae sanitas
Resurgentis.

4a. Juliani precibus
Dat Deus ardentibus
Ceterisque omnibus
Remedium.

4b. Ad te supplicantibus,
Festum celebrantibus
Devotis visceribus
Da gaudium.

5a. Vas misericordiae
Et doctor egregie,
Preces nostras hodie
Fer in caelis.

5b. Da, ut frui gratia
Pace et concordia
Valeat ecclesia,
Praesul felix.

6. Sancte praesul nobilis,
Nobis invisibilis
Custos amicabilis
Sis in aevum.

Miss. Pictavense imp. Parisiis 1541.

287. De sancto Juniano.

1a. Pius, prudens et pudicus,
Dei servus et amicus,
Junianus nobilis,

1b. Amans amplexus Rachelis
Conversabatur in caelis
Mente Jacob humilis.

2a. Hic in terris vixit ita
Monachus et eremita
Gratiosus populis,

2b. Ut in auro margarita
Effulgebat ejus vita
Pictavorum oculis.

3a. Prophetico prompsit ore
Successorem sibi fore
Clausus adhuc utero

3b. Auremundum et praegnanti
Matri fame laboranti
Dat aurum pro puero.

4a. Aer velut socius
Vel socio melius
Tenet patris baculum,

4b. Stupet rex Chlotarius,
Genu flectit mitius
Ob tantum miraculum.

5a. Vas apum amplectitur
Fur, cui connectitur
Justo Dei glutino.

5b. Bos a fure rapitur,
Fur a bove trahitur
Restituto domino.

6a. Fagus furem tenuit
Et vulpes, quam rapuit,
Praedam reportavit,

6b. Sed vinctos reatibus
Juniani precibus
Christus liberavit.

7a. Sic diversis speciebus
In humanis ludit rebus
Divina potentia,

7b. Fures capit, fures ligat,
Fures solvit et castigat
Hujus sancti gratia.

8a. Haec et his similia
Miracula varia
Dum Christus operatur,

8b. Felix mortis nuntia
Ad regna coelestia
Junianus vocatur.

9a. Quando sancta Radegundis
In sedibus laetabundis
Regni sceptrum adiit,

9b. Iste sanctus in aurora
Una die, una hora
Ex hoc mundo transiit.

10a. Vitae praesentis area
Granum excussum palea
Per messores portatur

10b. Ad horrea siderea,
Sancta gleba corporea
Nobiliaco datur.

11a. Juniane, pastor bone,
Pie pater et patrone
Pro tua familia

11b. Funde preces coram rege,
Ut nos tecum et cum grege
Laetemur in gloria.

Miss. ms. Nobiliacense saec. 15. Cod. Burdigalens. 89.

288. De sancta Katharina.

1a. Flos campi mundo floruit
In die hodierna,

1b. Flos de convalle prodiit
Ascendens ad superna.

2a. Katharina, flos virginum,
Migrat fuso cruore,

2b. Rosam gestans et lilium
Mundum replet odore.

3a. Haec regali
nata prosapia,
Deum sequens
reliquit omnia.

3b. Sese spernens
cum rerum aggere
Stolam lavit
in agni sanguine.

4a. Agnum sequens
sponsum virgineum
Illi sacrat
carnem et spiritum.

4b. Veri solis
stricta complexibus
Lunam habet
stratam sub pedibus.

5a. Exsultent inde filiae
Vim mirantes in virgine,
Viri vires in femina.

5b. Annos et sexum superat,
Dum decus morum roborat
In animi constantia.

6a. Inspirata
afflatu spiritus,
Qui emittit
fontem convallibus,

6b. Agonizat
cum viro femina,
Pugnat leo
cum agna tenera.

7a. Post Caesarem
sophistas Caesaris
Reddit victos
verbis sophisticis.

7b. Sed armata
stat sapientia,
Fortiorem
vicit invalida

8a. Dum praedicat
constanter Dominum,
Se regina
regi dat omnium.

9a. Sophistarum
coetum rebellium
Deo gignit
per evangelium.

10a. Cujus obsequiis
assistunt angeli
Et corpus collocant
in monte Sinai.

8b. Suae ducta
mortis ad victimam
Lictor aptat
cervici frameam.

9b. De vulnere
ad decus virginis
Lac effluxit
pro fluxu sanguinis.

10b. Locatur spiritus
in sinu Abrahae,
In quo nos collocet
suo precamine.

Miss. ms. Whitbiense saec. 14. Cod. Oxoniens. Miscell. Liturg. 390. 6a, 4 in convallibus Hs.

289. De sancta Katharina.

1a. O rubens rosula,
O candor lilii,
O vernans viola,
O sponsa filii
Regis altissimi.

2a. Rosa martyrio
Rubens, virginitas
Signatur lilio,
Et cordis pietas
Latet sub viola.

3a. Aqua rosatica
Confortat lumina,
Gensque scholastica
Relinquit numina
Se subdens fidei.

4a. Medetur lilium,
Virgo Porphyrii
Cor sanat saucium
Loco collirii,
Dans Deum colere.

1b. His tribus floribus
Es comparabilis,
Fraglans odoribus
Proles amabilis
Costi piissimi.

2b. Hinc patientium
Debetur aurea
Cum confitentium
Palma, virginea
Simul aureola.

3b. Exstinguit viola
Calorem noxium,
Adolescentula
Virus haeresium
Ope freta Dei.

4b. His ergo floribus
Signata taliter,
Nos orna moribus,
Ut aeternaliter
Possimus vivere.

Miss. ms. Kilormicense saec. 15. Cod. Collegii ss. Trinitatis Dublinens. B 3. 1.

290. De sancta Katharina.

1a. Dulce melos
Nunc decet fidelem chorum,
Alleluja,

1b. Virgo coetum
Celebrem vicit doctorum,
Res miranda.

2a. Illustravit carcerem
Cibans, fovens virginem
Sol de stella;

2b. Sol est Dei filius,
Stella mater illius
Semper clara.

3a. Multi cum Porphyrio
Triumphant martyrio
Pari forma,

3b. Et regina credidit,
Nondum poenas reddidit,
Fit incorrupta.

4a. Cedrus alta Sinai,
Quam sumpserunt angeli
Valle nostra,

4b. Jam sponso immortali
Fit sponsa de mortali
Carne sumpta.

5a. Rota, quam gens condidit
Prava, pravos perdidit,
Vult, dum nondum credidit,
Esse caeca

5b. Vae duris, qui aderant,
Quibusque contigerant,
Nec molire poterant
Haec praedicta.

6a. Agmina supera
Caesam per aethera
Ferunt nec credit
gens misera.

6b. Virginis opera
Nostrae nos libera
A malo, virgo
puerpera.

Prosar. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Andegavens. 90. Mel.: Laetabundus. — 4a, 1 Vota quam mens Hs. — 5a, 3 nec credunt Hs.

291. De sancta Katharina.

1a. Gaudeamus sub honore
virginis eximiae,

1b. Katharinae, collaudantes
Christum regem gloriae.

2a. Qui sic eam decoravit
Inclito martyrio

2b. Et cum sanctis collocavit
In coeli palatio.

3a. Sprevit regnum temporale,
Sprevit mundi gaudia,

3b. Et adhaesit summo regi,
Qui gubernat omnia.

4a. Virgo sacrata Deo
nullis detereri
potuit verberibus,

4b. Nec minis ullis neque
verbis emolliri
blandis nec muneribus.

5a. Neque retrudi timuit
carceris ergastulo,
Quin constanter praedicasset
verbum Dei populo.

5b. Nec ferientis gladium
judicis pertimuit,
Sed gratanter martyrium
pro Christo sustinuit.

6a. Maxentium superavit
dei potentia,
Despiciens corporis sui
dira supplicia.

6b. Cujus fidem ut attendit
atque constantiam,
Decollari praecepit eam
mox per invidiam.

7a. O beata Katharina,
Quae jam gaudes in superna
Cum coelesti curia,

7b. Nostri pia miserere
Nunc et semper et tuere
Ab omni tristitia.

8a. Chorum nostrum tuae laudi
Assistentem tu exaudi
Impetrans coelestia,

8b. Recolentes tuum festum
Hodiernum quam honestum
Tecum duc ad gaudia.

9a. Ubi pax est perpetua,
Salus et concordia;

9b. Ubi vita fine carens,
vita plena gloria.

10a. Katharina, sponsa Christi,
Quae tyrannum devicisti
Fidei constantia,

10b. Fac nos hostem superare,
Sequi Christum et amare
Ipsius vestigia.

11a. Nostras preces exaudire
dignetur omnipotens
pius pater,

11b. Ut te digne collaudare
valeamus jugiter
pia mater.

Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Tolosan. 100. A. — Miss. ms. Card. Rolin saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 110 B. — Miss. ms. Card. Rolin saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. s. sign. C. — Miss. ms. Aeduense saec. 14. Cod. Semin. Aeduens. 121. D. — Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 114. E. — Grad. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. s. sign. F. — Sequent ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 131. G. — Miss. ms. Oliverii episc. Cabilonens. anni 1400. Cod Semin. Aeduens. 118. H. — Miss. ms. Aeduense saec. 12. Cod. Semin. Aeduens. 125 add. saec. 14. I. — Miss. ms. Aeduense anni 1476. Cod. Semin. Aeduens. 118 *bis*. K. — Mel.: Congaudentes exsultemus F.

292. De sancta Katharina.

1a. Lux praeclara Katharinae
Castitatis et doctrinae
Nobis facit speculum,

1b. Claris ergo vocum sonis
Ejus sacrae passionis
Efferamus titulum.

2a. Regis nata disciplinas
Saeculares et divinas
Ad perfectum didicit,

2b. Quam qui temptat in sermone,
Viva statim ratione
Superatus deficit.

3a. Virgo prudens et secura
Regem saevum de cultura
Deorum coarguit,

3b. Mutos reddit oratores,
Cultus vani defensores,
Et ad fidem imbuit.

4a. Rex promittit et minatur,
Sed constanter aspernatur
Utrumque mens stabilis;

4b. Aspernantem ad tormenta
Jubet trahi vox cruenta
Regis exsecrabilis.

5a. Implicantur membra rotis,
Ad torquendum quibus motis
Virgo nihil laeditur,

5b. Sed in turbam circumstantem
Et his poenis insultantem
Vis poenarum vertitur.

6a. Sic certante Katharina
Convertuntur cum regina
Dux et cohors militum,

6b. Quos deorum vanus cultor
Tamquam vani cultus ultor
Punit poena capitum.

7a. Triumphatrix tot in bellis,
Licet sexu sit imbellis,
Virgo vinci nescia,

7b. Jussu tandem ex regali
Post agones capitali
Damnatur sententia.

8a. Mox distillat miro more
Lac effusum pro cruore,
Corpus autem cum honore
Chorus levat coelicus

8b. Et consignat monti Sina,
De quo manat vi divina
Pro morborum medicina
Liquor aegris medicus.

9a. Virgo, virga triumphalis,
Sponsa regis immortalis,
Nos a cunctis redde malis
Tua prece liberos,

9b. Ut sedata carnis lite
Satientur potu vitae,
Qui de vera fluens vite
Coetus alit superos.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 123.

293. De sancta Katharina.

1a. Collaudetur Katharina,
Florens rosa sine spina,
Rubens per martyrium;

1b. Haec est virgo gratiosa,
Nata regis, legis glosa,
Dulce coeli gaudium.

2a. Haec doctores superavit,
Haec cuntos evacuavit
Cultus idolatriae;

2b. Ob hoc digne virgo pia
A triplici hierarchia
Collaudatur hodie.

3a. Dum non cedit hostibus,
Resistit erroribus,
Virgo flagellatur,

3b. A profanis manibus
Caesa scorpionibus,
Mox incarceratur.

4a. Sed non desunt consolantes
Hanc angeli, ministrantes
Cibum missum coelitus.

4b. Ob hoc credunt incredentes
Multi tot signa videntes
Fieri divinitus.

5a. Imperator hanc hortatur,
Cui non credens decollatur,
Fluit lac pro sanguine.

5b. Monte Sina deportatur,
Sepulturae corpus datur
In supremo culmine.

6a. Felix, per quem gaudia
Tota in ecclesia
Sumens exaltatur,

6b. Orbem replet semine,
In coelorum agmine
Tandem collocatur.

7a. Ex illius tumba manat
Oleum, quod cunctos sanat
Divina potentia;

7b. Caecis visus restauratur,
Salus aegris reparatur,
Laetis cedunt tristia.

8a. O lumen virginitatis,
Vas decoris, sanctitatis
Flumen indeficiens,

8b. Funde dona pietatis,
Vultu tuae bonitatis
Fideles respiciens.

9a. Flos in florum areola
Florens, sortis aureola
Gaudens trina,

9b. Propter tuam clementiam
Nobis impetra gratiam,
Katharina.

10a. Et post, pia mater bona,
Flos doctorum et matrona
Clericorum omnium,

10b. Pacem confer sempiternam
Et ad lucem nos supernam
Confer post exsilium.

Miss. ms. Dominican. saec. 15. Cod. Burdigalens. 89. — Mel. jedenfalls: In coelesti hierarchia. — 5a, 2 Qui non credens.

294. De sancta Katharina.

1a. Sicut rosa speciosa
Ex spinis exoritur,

1b. Sic de spina Katharina
Gentili progreditur.

2a. Spina gravis, flos suavis,
Dans odorem maximum,

2b. Radix perit, ramus gerit
Fructum suavissimum.

3a. Haec creata, procreata
Ex regali stemmate,

3b. Est renata, consecrata
In Christi baptismate.

4a. Matris legem patrem regem
Sprevit ab initio,

4b. Se subegit, quem elegit
Domini servitio.

5a. Temporali, spiritali
Repleta scientia,

5b. Confutavit, sed mutavit
Sapientum studia.

6a. Qui conversi universi
Pro Christo martyrium

6b. Pertulerunt et fecerunt
De se sacrificium.

7a. Et reginam ad divinam
Legem cum Porphyrio

7b. Convinctavit, quos necavit
Maxentius gladio.

8a. Desponsata, copulata
Christo regi omnium,

8b. Recusavit nec juravit
Principis conjugium.

9a. Mundo isto castam Christo
Exhibens se virginem,

9b. Quem promisit, rex derisit
Auream imaginem.

10a. Blandimenta vel tormenta,
Quae cum fine transeunt,

10b. Mentis statum solidatum
Commovore nequeunt.

11a. Jejunando, tolerando
Fames, claustra, verbera,

11b. Non est mota mens devota
Suspirans ad supera.

12a. Nec rotarum horrendarum
Terrore concutitur,

12b. Qua precante vento flante
Machina confringitur.

13a. Qua versante ex adstante
Principis familia

13b. Consternati et necati
Sunt quatuor milia.

14a. Quod rex videns ore stridens
Totus coepit fremere,

14b. Et puellae plenus felle
Jubet caput tollere.

15a. Quae precatur, concedatur
Ei preces fundere;

15b. Tum oravit, impetravit,
Quidquid vellet petere.

16a. Ergo laeta, fide freta,
Gladio submittitur,

16b. Bono more pro cruore
Lac niveum funditur.

17a. Monte Sina Katharina
Ab angelis conditur,

17b. De qua manans aegros sanans
Oleum egreditur.

18a. Quae nos ita in hac vita
Juvet juste vivere,

18b. Ut ad montem, sanctum fontem
Possimus ascendere.

Miss. ms. S. Albini saec. 15. Cod. Audegavens. 86. — 7a, 1 Ut reginam. — 7b, 1 convinctare Bildung von convincere (vinctor). — 14b, 1 Ut puellae.

295. De sancta Katharina.

1a. Cantu dulci,
voce laetitiae
Venerentur
fideles hodie
Regem Christum,
datorem veniae,
Cui laus datur.

1b. Ad quem tendit
mentis intentio
Katharinae,
quae Dei filio
Maritatur,
duro supplicio
Sublimatur.

2a. Tanta virgo,
pulchra, tam sapiens,
Generosa,
mundum despiciens.
Christianae
fidei serviens
Commendatur.

2b. Haec devicit
carnem, daemonium,
Vicit mundum,
vicit Maxentium,
Superavit
insultus hostium
Et laetatur.

3a. Ei tamen
tormenta varia
Praeparantur,
sed Dei gratia
Katharina,
fidelis, regia
Liberatur.

3b. Res est mira,
doctores veniunt,
Artes cedunt,
virgini serviunt,
Sententiae
falsae deficiunt,
Superantur.

4a. Illis virgo
Dominum praedicat,
Christi fides
eos mundificat
Et spiritus
sanctus purificat,
Sic lavantur.

4b. Non uruntur
ignis incendio,
Illi tandem
flammae supplicio
Cum virgine,
quae finit gladio,
Coronantur.

5. Alma virgo,
Deo amabilis,
Ad rogandum,
pro nobis habilis,
Funde preces,
prudens et nobilis,
Apud Deum, ut exorabilis
Habeatur.

Miss. ms. S. Gaugerici saec. 15. Cod. Cameracens. 145.

296. De sancta Katharina.

1a. Fulget dies triumphalis,
Qua triumphi virginalis
Agitur memoria,

1b. Gratulemus collaudantes
Katharinae decantantes
Laudes et praeconia.

2a. Ut triumphi modulemur
Digne modum, deprecemur
Ejus patrocinia,

2b. Verbo doctos superavit,
Victos verbo consecravit
Verbi plena gratia.

3a. Istam rex incarceravit,
Quam coelestis illustravit
Lux obscuri nescia,

3b. Is qui suos non relinquit
Suam pavit, pascens inquit:
Constans esto, filia.

4a. Haec ducentis lux illuxit,
Ad superna quos perduxit
Via malis invia.

4b. Haec uxorem regis lavit
A peccatis, quam roravit
Deitatis pluvia.

5a. Rotae qui tormentum triste
Concremasti, nobis, Christe,
Desuper irradia;

5b. Patri jungat nos aeterno,
Cui turma de superno
Caesae venit obvia.

Miss. ms. Cellae S. Eusitii saec. 15 ex. Cod. Cenomanens. 154. A. — Lib. ms. Confratern. Advocatorum saec. 15. Cod. Semin. Cenomanens. 4. B. — 1a, 2 Qui B. — 2b, 1 docens superavit A. — 2b, 2 Verbo mentes consecravit B. — 3b, 1 nunc reliquit A. — 4a, 1 Hic ducentis A. — 4a, 2 fehlt A. — 4a, 3 Illa malis A. — 4b, 1 Hic uxoris regem A.

297. De sancta Katharina.

1a. Nato patris sine matre,
Nato matris sine patre
Detur laus et gloria,

1b. Qui felicem et victricem
Ut reginam Katharinam
Coronavit gloria.

2b. Gaudet chorus coelestium
Suo regi psallentium
De tua victoria,

2b. Ergo gaude, Deo digna,
Et nos tecum, o benigna,
In tui memoria.

3a. Virgo pia, gloriosa,
Per spiritum Christi sponsa
Et ipsius filia,

3b. Sed secundum carnem florens,
Stirpe decens, forma recens,
Costi regis filia.

4a. Tu unica parentibus
Disciplinis scholaribus
Imbuta divinitus,

4b. Praecipuis exterius
Doctoribus, interius
Dono sancti spiritus.

5a. Hujus dulcis te perfudit
Et suavis te docuit
In omnibus unctio,

5b. Qua diffusa in labiis
Larga supervenit tuis
Ejus benedictio.

6a. Ad certamen animata,
Signo crucis roborata,
Regis fers insignia,

6b. Oratores superati,
Per te Christi testes facti,
Possident coelestia.

7a. Post reginam egregium
Regis ducem Porphyrium
Ducentis militibus

7b. Sociatis conversisti,
Dignos Deo reddidisti
Junctos coeli civibus.

8a. Hujus sancti praedux facti
Non frustraris, dum precaris
Exorandi spatium,

8b. Post carcerem, post verbera,
Post rotarum supplicia
Vitae tenens bravium.

9a. Non sanguinem sed lac fundis,
Katharina, virgo dulcis,
De cervice lactea,

9b. Cujus corpus per aera
In verticem montis Sina
Virtus vexit coelica.

10a. Candidata, purpurata,
Stola legis, lictor regis,
Induit te Dominus.

10b. Speciosa, generosa,
Haec regina et benigna,
Cujus hic est filius.

11a. Festum tuum celebrantes,
Memoriam venerantes,
Tibi digne famulantes
Floreant virtutibus.

11b. Tua, virgo, prece pia
Consummata carnis via
Sponsi tui cum gloria
Fruamur amplexibus.

12a. Audi pie congaudentes,
Serva tibi servientes
Et in coelis conviventes
Fac post mortis debitum.

12b. Tecum cives supernorum
Et concives simus horum
Et consortes gaudiorum
Post carnis interitum.

13a. Ergo confer pietatis
Lac et donum caritatis,
Opem pete deitatis
Servis summae deitatis,
Da salutis gaudium.

13b. Ad sanctorum omnes coetum
Nos invitet Deus secum,
Ut cantemus simul tecum
Alleluja, carmen laetum,
Angelorum canticum.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. A. — Miss. ms. Cysoniense saec. 16. Cod. Insulens. 37. B.

298. De sancta Katharina.

1a. Triumphanti
verbo et sanguine
Gaude Sion
in tua virgine,
Regna mundi
pro Christi nomine
Respuenti.

1b. Katharinae
pangat martyrium
Pari voto
chorus fidelium
Mente pura
conceptus cordium
Exuenti.

2a. Nata virgo
ex Alexandria,
Costi regis
unica filia,
Divinitus
omni scientia
Erudita,

2b. Cum videret
Dis sacrificium
Offerentes
turbas gentilium,
Ad eorum
regem Maxentium
Ait ita:

3a. Istud templum non mireris,
Ne daemones, sed preceris
Coeli, terrae Dominum,

3b. Ipse est Deus deorum,
Lapsorum spes et reorum
Venia, lux luminum.

4a. Diis conjunctos oratores
Caesar vocat, ut victores
Supedirent virginem,

4b. Sed credentes veritati
Decollantur baptizati
Proprium per sanguinem.

5a. Caesar furit, quia videt,
Quod tormentis virgo ridet
Nil cedens supplicio;

5b. Denudatur, flagellatur,
Carcerali poenae datur
Sic jubente impio.

6a. Hanc regina dum solatur,
Christiana dilatatur
Per ipsam religio:

6b. Quod cum regi nunciatur,
A profanis jugulatur
Una cum Porphyrio.

7a. Hanc Christus cum virginali
Coetu visit spiritali
Illustratam sidere,

7b. Caesar furit et tabescit,
Quibus perdat ipsam nescit
Nec potest subvertere.

8a. Illi rotae applicantur,
Quibus gentiles mactantur
Sed intacta virgine,

8b. Tandem dempta a cohorte
Condemnatur dira morte
Lac fundens pro sanguine.

9a. Katharina
Monte Sina
Tumulatur
Et liquatur
Oleum de tumulo;

9b. Reddit gressum,
Levat fessum,
Surdus audit,
Mutus plaudit
Fatus adminiculo.

10a. Ave, virgo, martyr, ave,
Servos tuos tollas a vae,
Onus nobis leves grave,
Christo reconcilia.

10b. Assistentes tuis festis
Custodi nos ab incestis,
Ne nos terat mundi pestis
Et inanis gloria.

Miss. ms. Corbejense saec. 14. Cod. Ambianens. 162. add. saec. 16. — 3a, 2 sed sederis Hs. — 4a, 3 Suppedire, von sub und pes, in welchem Sinne das MA. auch suppeditare braucht. — 7a, 2 jussit Hs. — 7b, 2 perdit. — 8a, 1 Illic rotae Hs. — 9b, 5 Factus adminiculo Hs.; vielleicht Tactus zu lesen?

299. S. Katharinae.

1a. Sospitati dedit aegros
Olei perfusio,

1b. Katharinae disputantes
confutavit ratio.

2a. Baptizatur uxor regis
una cum Porphyrio,

2b. Lac efudit pro cruore
collo caeso gladio.

3a. O quam probat sanctam Dei
Rotarum confractio,

3b. Quam in Sina sepelivit
angelorum concio.

4a. Ergo laudes Katharinae
concinat haec concio,

4b. Nam qui corde poscit illam
Propulsato vitio

5. Sospes regreditur.

Grad. ms. Graecense 36. saec. 14. — Mel. der Nikolaus-Sequenz gleichen Anfangs.

300. De s. Katharina Senenensi.

1a. Lux advenit veneranda,
Lux in choris jubilanda
Luminosis cordibus;

1b. Hujus laeta lux diei
Festum refert sponsae Dei
Decantandum laudibus.

2a. Haec de Senis oriunda
Katharina, virgo munda,
Justis ex parentibus,

2b. Mundum, carnem, hostem fregit
Et triumphum victrix egit
Ornata virtutibus.

3a. Matrem Christi venerandam
Omni gradu salutandam
Lustro primo didicit,

3b. Multis sanctis comitatum
Se benedicentem Christum
Virgo sancta conspicit.

4a. Virginalis vitae votum
Deo spondet quam devotum
Aetatis septennio;

4b. Ob haec virgo tribulatur,
Sed a Deo liberatur
Columbae indicio.

5a. Regularis vitae statum
Amplexatur institutum
A sancto Dominico;

5b. Hunc adepta virgo sancta
Mox miranda claret vita
Deo placens unico.

6a. O quam cara, quam accepta
Christo regi est effecta
Ob hoc virgo gratius;

6b. Nam ab ipso visitari
Et de cunctis edoceri
Solebat frequentius.

7a. Hinc in sponsam subarrhari
Et in fidem desponsari
Meruit cum gloria;

7b. Quis condigne potest fari
Quave lingua explicari
Fletus et suspiria,

8a. Quae fraterna pro salute
Jesu sponso cum virtute
Emittebat saepius,

8b. Ut peccanti creaturae
Et redempti suo jure
Fieret propitius.

9a. Christi corpus venerandum
Sic ducebat frequentandum
Magno desiderio,

9b. Ut, si sibi licuisset,
Omni die id sumpsisset
Pro sui remedio.

10a. Dulce signum caritatis,
Dum amator castitatis
Cor mutat in virgine,

10b. Quo sic flagrat, sic movetur
Ut dilectum contempletur
In coelorum agmine.

11a. A quo sane nulla sorte
Nec in vita nec in morte
Separari patitur,

11b. Sed in eum tota rapta
Et a terrra elevata
Deo vero fruitur.

12a. Tandem Christus, dulcis sponsus,
Pio corde sic conjunctus
Sponsae suae nobili,

12b. Claram miris prodigiis,
Sacris perfectam studiis
Vitae donat gaudiis.

13a. Jesu bone, Jesu dulcis,
Qui ad lumen caecos ducis,
Sponsae tuae precibus

13b. Nos purgatos a peccatis
Fac regnare cum beatis
Omnibus temporibus.

14a. Tuque, virgo Deo digna,
Mitis, clemens et benigna,
Precibus nos refove,

14b. Nec oblita pietatis
Ad conspectum deitatis
Populum hunc promove.

Sequent. ms. Praedicatt. Cracoviens. saec. 15/16. s. sign. A. — Miss. Praedicatt. imp. Venetiis 1600. B. — Miss. Praedicat. imp. Venetiis 1523. C. — 1a, 3 Luminosis oculis A. — 2a, 2 Virgo munda Catherina B.

301. De sancto Lamberto.

1. Almae festa
lucis gaudia,

2a. O dilectores Christi,
concinite
laude quam debita

2b. Ejus colentes sacra
vatis et martyris
Lamberti merita.

3a. Trajecticus
gaudet et vicus
tali incola,

3b. Progenito
civium nobili
ex prosapia.

4a. Hic patriae
pontifex futurus,
Dei gratia
provisus, florens
puer indole bona;

4b. Est traditus
beati praesulis
Theodoardi
regulis diva
ad discendum dogmata.

5a. Hic Hilderici
(regis) a fascibus
clarus in aula,

5b. Est praesulari
electura
auctus infula.

6a. Dignitatem post assumptam
patribus aequavit
sese priscis
sanctimonia,

6b. Promulgando ore pio
gregibus commissis
vivi verbi
testimonia.

7a. Stratos levavit
elatosque stravit,
inter divites
pollens gloria,

7b. Mitis ovili
alternatim miti,
aeque omnibus
factus omnia.

8a. Is, hoste
sanctissimis moribus
invidente, propria
depositus cathedra,

8b. Consueta
monastica diligens,
inviserat electa
Staboleti moenia.

9a. Sic serviens curriculis
annorum septenis
jussibus paternis,
degebat vita coelica.

9b. Post quos sedis redonatus
honore signorum
claruit decore,
virtutum plenus copia.

10a. Exinde Dodonis
rabie telo fixus
reddidit flatum bina
dotatum palma.

10b. Ipsius obtentu
nos, Christe, te rogamus,
regni sede perenni
loces peralta.

Miss. ms. S. Lamberti saec. 14. in. Cod. Graecens. 413. A. — Miss. ms. S. Lamberti saec. 15. Cod. Graecens. 128. B. — Miss. ms. Hospitalense saec. 15. Cod. S. Pauli ad Laventum Hospit. memb. 7. C. — Miss. ms. Mellicense 1037 saec. 14. D. — Miss. ms. Mellicense 937 saec. 15. E. — 4b, 1 Et traditus D. — 5b, 1 Et praesulari D. — 6b, 1 ore pro CD. — 8b, 4 Stabolai D. — 10b. 3 flatum viva D.

302. De sancto Launomaro.

1a. Launomari patris pii
dulcis est memoria,

1b. Nam fuerunt ejus pia
finis et primordia.

2a. Trinitatis,
Unitatis
cultor ab infantia,

2b. Formans mores
Mundi flores
Sprevit, fugit gaudia.

3a. Juventutis
In virtutis
Lucet ducens spatia,

3b. In corona
Vitae bona
Rosis sepsit lilia.

4a. Fulgens ut stella
Quasi cella servans mella
Verba fudit dulcia,

4b. Cunctis juvamen
Gratis praestans et solamen
Diva per eloquia.

5a. Erat paratus omnibus
Ad omnia,
Sanctitatis,
Pietatis
Proferre magnalia.

5b. Justa cum justis conferens
Consilia
Suggerebat,
Ut decebat,
Singulis utilia.

6a. Perversorum corda dura,
Lenonum impura,
Negligentum secura
Convertebat vita pura.

6b. Egentibus dare sua,
Flentibus congrua,
Conferret ut exempla,
Jugis ei erat cura.

7a. Launomare, stella nostra,
Esse patrem te demonstra
Nobis per haec maria;

7b. Mors est enim talis vita,
Tantis curis irretita,
Tot inter contraria.

8a. Adsis nobis, Deo care,
Ut queamus evitare
Mortis praecipitia.

8b. Placa nobis patrem caeli,
Te rogamus spe fideli
Grandi cum fiducia.

9a. Launomare, pie pastor,
Decus, splendor, gloria,

9b. Hujus gregis semper memor
Sis in coeli curia.

10a. O sol noster, o benigne,
O sanctorum choro digne,
Para nobis gaudia,

10b. Ne nos perdat laus humana
Nec spes vana, duc per plana
Tendentes ad praemia.

11a. Armis lucis nos circumda,
Robora dans animis
Prece tua

11b. Ut nos Christus ad se ducat
Nos sibi concilians
Lege sua.

12a. Ipsum corde jam rogemus
In tui memoria,

12b. Qui nos tecum per te secum
Collocet in gloria

13. Finis omnis nescia.

Cod. Aurelianens. (ol. Floriacens.) 201. saec. 12 et 13. add. saec. 12. ex. — Mit Neumen.

303. De sancto Laurentio.

1a. Diem martyris insignis
Votis celebremus dignis,
Qui miraculis et signis
Inter sanctos radiat.

1b. Quem tyrannis sub malignis
Calor urget, torquet ignis,
Sed hunc ignem sanctus ignis
Clementer alleviat.

2a. Ignis hic illuminat,
Sed alter examinat
Virum ut argentum.

2b. Ille corpus terminat,
Hic, ne vita desinat,
Agit per tormentum.

3a. Verus hic Israelita
Pro coelesti margarita
Perfert flammas ignium;

3b. O felix archilevita,
Cujus mors est nobis vita,
Requies supplicium.

4a. In hoc fulsit caritas,
Fides et humilitas,
Sensus et simplicitas,
Et virtutum claritas
Et morum integritas.

4b. Hunc deduxit veritas
Per directas semitas,
Hunc suscepit civitas,
In qua regnat trinitas
Et sanctorum unitas.

5a. O mira constantia,
Mira patientia
Rigidi Laurentii,
Martyris egregii.

5b. Cui refrigeria
Adhibent incendia
Et praefecti impii
Et crudelis Decii.

6a. Quem sic sanctus est affatus:
Meum, demens, versa latus,
In quo satis sum assatus,
Carnes ede, quas assasti.

6b. Ille magis indignatus
Diros auget cruciatus
Nec molitur vir beatus,
Quem tu, Domine, probasti.

7a. Fervet martyr in agone,
Vivo situs in cartone
Dimicatque cum leone,
Certus laudis et coronae
Gloriam accipere.

7b. Arescente carnis cute
Sudor instat, fluunt guttae,
Sed haec suffert pro salute,
Aquilina juventute
Sperans reflorescere.

8a. Furcas lardis inflammatas,
Cardos, ungues et plumbatas
Cernit contra se paratas
Nec pavescit talibus.

8b. Preces fundit Deo gratas,
Opes spargit commendatas,
Manus largas et beatas
Aperit pauperibus.

9a. Et per signum sanctae crucis
Caecis confert visum lucis,
Gressum claudis, sicut audis,
Vocem mutis et salutis
Languidis remedia.

9b. Rebus haeret non caducis,
In spe ponit summi ducis
Vota laudis expers fraudis
Et virtutis destitutis
Advocat praesidia.

10a. Dispensator alme Sixti,
Tu Hippolytum duxisti
Ad culturam Jesu Christi,
Tu tormentis meruisti
In coelesti regno sisti,
Raptus ab hac vita tristi
Ad aeterna gaudia.

10b. Tu Romanum baptizasti,
Lucellum illuminasti,
Tu thesauros erogasti,
Deos falsos abnegasti,
Per spinosa mundi vasti
Corde casto sponsi casti
Secutus vestigia.

11a. Ergo, martyr gloriose,
Cui melos hujus prosae
Concinit ecclesia,

11b. Urbi junge nos formosae,
In qua sancti velut rosae
Redolent et lilia.

12a. Adsis, martyr pretiose,
Christi dulcis hostia,

12b. Et a vallis tenebrosae
Nos educ miseria.

Miss. ms. Biterrense saec. 14. Cod. S. Josephi Lugdunens. Yd. 5. — 4a, 1 claritas Hs. — 4a, 4 caritas Hs. — 6b, 3 molitur passivisch; l. movetur? — 9b, 2 summum ducis Hs.

304. De sancto Laurentio.

1. Dignus est memoria
Meritis et gratia
Levita Laurentius,

2a. Qui per tot incendia,
Poenas et opprobria
Martyr est egregius.

2b. Inhians coelestibus
Dispersit pauperibus
Thesauros ecclesiae.

3a. Decius irascitur,
Laurentius subditur
Carceris miseriae;

3b. Lucillum illuminat
Caecum, quem eliminat
A nube gentilium.

4a. Per hunc servans aditus
Credidit Hippolytus
Ope sancti spiritus
In patrem et filium.

4b. Per hunc visus redditur
Caeco, mutus loquitur,
Claudus recte graditur,
O felix martyrium.

5a. Felix caro nec feralis,
Cujus vita spiritalis
Non sentit supplicium

5b. Super rebus erogatis,
Pauperibus praesentatis,
Sic ait ad Decium:

6a. Ecce, vides hic thesaurum,
Pretiosum super aurum,
Granum sine palea,

6b. Hunc thesaurum nullus prodit
Aut furatur nec corrodit
Aerugo nec tinea.

7a. Clamans inquit, dum furcatur,
Assatum est, commedatur;
O mira patientia,
Mira viri victoria.

7b. O quam mira virtus mentis,
Quae nec minis nec tormentis
A Christo fit devia,
Ut colat sculptilia.

8a. In fornace constitutus
Et in igne fuit tutus,
A fornace dissolutus
Transfertur in patriam.

8b. Hujus prece rex coelorum,
Jesu bone, qui suorum
Laurentio tormentorum
Dedisti victoriam,

9. Dando nobis veniam
Transfer nos in gloriam.

Miss. ms. Venetense saec. 15. Cod. Rotomagens. 307. — 5b, 1 carre oder carce Hs. — 7a, 1 furatur Hs.

305. De s. Laurentio Dublinensi.

1a. Supernae matris filia
Laetetur haec ecclesia,

1b. Cujus est ad coelestia
Raptus hospes hospitia.

2a. Laurentius in anima
Coeli penetrat intima,

2b. Sed ossa nobis proxima
Commoda ferunt plurima.

3a. Aurum purgatur scoria,
Flens adeptus est gaudium,

3b. Exsul locatur patria,
Victori datur bravium.

4a. Testa deponit nucleum
Et mel de cera rapitur,

4b. Amurca fundit oleum,
Granum palea tollitur.

5a. Ad patrem vadit filius,
Ad solem suus radius,

5b. Ad nuntiantem nuntius,
Ad lauream Laurentius.

6a. Hic se senem puerulus
Monstravit sapientia

6b. Et doctorem discipulus
Divina docens studia.

7a. Pastus medulla tritici
Renuntiavit cortici,
Impulsus hoste triplici
Nunquam potuit subjici.

7b. Carnem domans cilicio
Mundum domandi studio
Pugnavit cum daemonio
Humilitatis gladio.

8a. Natus de stirpe regia
Se vovit regi gloriae,
Duodenus exsilia
Passus pro pace patriae.

8b. Hic abbas fuit ordine
Sed non curans dominium,
Solo functus est nomine
Cursus sequens humilium.

9a. Hic Dei providentia
Praefuit Dubiliniae,

9b. Nunc est ejusdem gratia
Lux et decus Normanniae.

10a. Fleat nunc Dubilinia
Suo privata capite

10b. Et exsultans Augonia
Tanto laetetur hospite.

11a. Sit laus patri cum filio,
Sancto simul spiritui,

11b. Qui nos aeterno gaudio
Concedat semper perfrui.

Grad. ms. Augense saec. 15. Cod. Rotomagens. 250. — 3b, 1 loquatur Hs. — Mel.: Supernae matris gaudia.

306. De sancto Laurentio.

Altera die Octavarum.

1a. Gratuletur
mater ecclesia,
Puri cordis
depromat gaudia;

1b. Laurentii
laudes et studia
Nostri chori
sonet concordia.

2a. In clericum
pater ex liberis
Dum sorte vult
unum eligere,

2b. Puer sanctus
in sortem Domini
Sine sorte
se transfert libere.

3a. Abbas factus
patris verberibus
Pia matris
adjungit ubera.

3b. Dante Deo
creatus pontifex,
Plus honores
fugit quam onera.

4a. Dorsum suum
domat cilicio,
Pari torquens
crura supplicio;

4b. His accedit
supplex oratio,
Impinguata
jugi jejunio.

5a. Aquam bibit,
quae vinum simulat
Uvae super
aspersa sanguine.

5b. Laudem fugit,
sed laudem cumulat
Novo virtus
latens sub tegmine.

6a. Dat quingentis
ex suis dapibus
Omni die
cibum pauperibus,

6b. Et projectos
a duris matribus
Dat alendos
piis nutricibus.

7a. Nudos vestit,
captivos redimit
Et liberat,
quos hostis opprimit.

7b. Sic thesauros
paternos dirimit
Et coelorum
thesauris imprimit.

8a. Sic egenis
cuncta disperserat,
Quod vel nummum
migrans non habuit.

8b. Quia nihil
dandum supererat,
Testamentum
nullum disposuit.

9a. Bonis ergo
sequamur moribus,
Quem jam scimus
adeptum requiem,

9b. Ut possimus
illius precibus
Regis regum
videre faciem.

Grad. ms. Augense saec. 15. Cod. Rotomagens. 250.

307. De sancto Laurentio.

Die Tertia.

1a. Interna cordis gaudia
Concordi vox harmonia
Demonstret exterius,

1b. Gratuletur Hibernia,
Sed Augensis ecclesia
Resultet uberius.

2a. Hac in die Laurentius,
Christi praesul egregius
Urbis Dubiliniae,

2b. Clarus regali genere,
Clarus virtutum opere
Causam dat laetitiae.

3a. Hic ad baptisma delatus
Laurentius est vocatus
Prophetali famine,

3b. Ut lauro sit coaptatus
Nec laurea sit privatus,
Tali datur nomine.

4a. Auri viror non marcescit,
Semper viret, uri nescit
Hiemali frigore;

4b. Puer sanctus sic virescit,
Gratiarum dum excrescit
Et virtutum foenore.

5a. Praesul ergo consecratur,
Christo totus immolatur,
Thuri myrrha sociatur,
Ut pura sit hostia.

5b. Tubae sonum decorabat
Cithara, quae resonabat,
Dum agit, quod praedicabat,
Dulcis fit melodia.

6a. Viscerosus pietate,
Totus ardet caritate
Depressorum egestate
Relevans inopias.

6b. Nudis praestat indumentum,
Famelicis alimentum,
In pauperum nutrimentum
Dispergit divitias.

7a. Fame, siti cutis aret
Et, ut lampas corruscaret,
Morbos sanat, signis claret
Et lucet virtutibus.

7b. Furiosae sensus datur,
Caput laesum mox sanatur,
Marescalo condonatur
Salus ejus precibus.

8a. O quam felix Hibernia,
Tanti nutrix praesulis,
Quo susceptrix Normannia
Refulget in populis.

8b. Dolet urbs Dubilinia
Carens hoc antistite,
Et Augensis ecclesia
Tanto gaudet hospite.

9a. O Laurenti,
praesul egregie,
Nunc incola
civisque patriae,
Nos miseros
in via refove,
Diros hostis
insultus remove.

9b. Triumphali
qui fulges laurea,
Coeli nitens
aula siderea,
Post praesentis
vitae naufragium
Nos sublevans
perduc ad bravium.

Grad. ms. Augense saec. 15. Cod. Rotomagens. 250. — 2a. 2 egregius fehlt Hs. — 3a, 1 a baptisma Hs.

308. De sancto Laurentio.

Die quarta.

1a. Laude multifaria
Attollat praeconia
Praesulis Laurentii

1b. Nostra laeta concio,
Lingua, mens et actio
Sint consona gaudii.

2a. Laus decet Laurentium,
Sed hunc plebs Augensium
Collaudet prae omnibus,

2b. Cujus namque meritum
Augum reddit inclitum
Signis et virtutibus.

3a. Nato de stirpe regali
Nomen jussu prophetali
Mutatur divinitus,

3b. Florem spernens mundialem
Sponte sumit clericalem
Sortem puer inclitus.

4a. A primaeva mox aetate
Mira morum gravitate
Refertus et gratia,

4b. Voluptates abdicavit
Seque Deo dedicavit
Viva factus hostia.

5a. Sic promotus in abbatem
Tandem sumit dignitatem
Sedis Dubiliniae,

5b. Ubi carnem disciplina,
Victu, veste cilicina
Afflixit quotidie.

6a. Sic abjectos parvulos
Omnes nutriebat,
Quos in signum bajulos
Crucis faciebat
Et per dies singulos,
Ut tempus urgebat,
Quingentos pauperculos
Ad mensam alebat.

6b. Sic justis operibus
Praesul insistendo,
Desolatis omnibus
Pie consulendo,
Thesauris coelestibus
Semper reponendo,
Pauper fit pauperibus
Cuncta largiendo.

7a. Annis istis
dum hostem publicum.
Mundum, carnem
sibi suppeditat,

7b. Capellano
vitam restituit,
Triduanum
de morte suscitat.

8a. Qui jam sanas innumeros
Defunctos, aegros ceteros,
Caecos, claudos et debiles

8b. Nunc a nobis illecebras
Carnales et post tenebras
Excludas prece flebiles.

9. Ut per te plena criminum
Nobis concessa venia
Perenni tecum Dominum
Collaudemus in glòria.

Grad. ms. Augense saec. 15. Cod. Rotomagens. 250. — 8a, 1 sanat Hs.

309. De sancto Laurentio.

Die quinta.

1a. Festa sunt nobis gaudia,
Quae duo luminaria
Suis illustrant radiis,

1b. Martinus et Laurentius
Ductor uterque praevius
Et doctor vitae filiis.

2a. Patres et archipraesules.
Pauperes olim exsules,
Nunc in coeli palatio

2b. Pro brevibus suspiriis,
Pro malis transitoriis
Regni fruuntur gaudio.

3a. Haec duo vasa gloriae
Nobis apponunt hodie
Varia vitae fercula,

3b. Sed et misericordiae,
Sanctitatis et gratiae
Clara demonstrant specula.

4a. Hi sunt exemplar fidei,
Duo filii olei,
Duo dulcoris ubera,

4b. Duae portae justitiae,
Duo postes ecclesiae,
Duo doctrinae sidera.

5a. Horum vita sanctissima
Morsque pretiosissima
Merces est supra pretium,

5b. Isti probantur vivere,
Quorum implentur munere
Piae preces fidelium.

6a. Vixit vita dignissimus
Martinus, per quem legimus
Tres ad vitam restitui;

6b. Vivit vere Laurentius,
Per quem septem et amplius
Suscitati sunt mortui.

7a. Horum praeclara merita
Laude referre debita
Vox humana non sufficit,

7b. Sed sit laudis materia
Christus, qui sua gratia
Solus laudandos efficit.

8 a. Ipsum laudemus jugiter
Deprecantes humiliter
Devotae mentis precibus,

8 b. Ut nos ornatos moribus
Det laudare perenniter
Eum cum sanctis omnibus.

Grad. ms. Augense saec. 15. Cod. Rotomagens. 250. — Das Fest des hl. Laurentius von Dublin fällt auf den 14. November. Der fünfte Tag der Oktav, der 18. November, ist gleichzeitig der Oktavtag des hl. Martin von Tours, dessen Fest am 11. November gefeiert wird, daher die Verbindung der beiden in dieser Sequenz.

310. De sancto Laurentio.

Die sexta.

1 a. Gaude gaudens et laetare
Et de tuo gratulare
Patrono, Hibernia,

1 b. Teque decet laudes dare
Et de tuo exsultare
Thesauro, Normannia.

2 a. Ecce, praesul egregius,
Auget Augum Laurentius
Honore et gratia,

2 a. Quod rex coeli propitius
Ibi praestat frequentius
Infirmis remedia.

3 a. Hic sacerdos eximii
Imitatur Laurentii
Levitae vestigia,

3 b. Dum ex vi sacerdotii
Vicem tenet martyrii
Ejus abstinentia.

4 a. Illum jubente Decio
Forti candens incendio
Assavit craticula,

4 b. Huic proprio judicio
Cinere et cilicio
Aruit cuticula.

5 a. Congratulatur socio
Laurentius Laurentio
In coeli palatio,

5 b. Laureantur in gaudio,
Ille cruore proprio,
Iste sacerdotio.

6 a. Hic sacerdos et levita
Unus morte, alter vita
Immolant se Domino,

6 b. Cui assistentes ita
Veste nitent polymita
Cum decore gemino.

7 a. Salve ergo, reverende,
Sancte praesul et colende
Fideli obsequio,

7 b. O Laurenti venerande,
O sacerdos praeconande
Cum omni tripudio.

8 a. Tibi, pater, supplicamus
Tuam opem imploramus
In hoc mundi proelio,

8 b. Quo victores exposcamus
Sanctorumque valeamus
Adjungi consortio.

Grad. ms. Augense saec. 15. Cod. Rotomagens. 250. — 3 b, 1 exui sacerdotio Hs. — 4 b, 3 wieder craticula Hs.

311. De sancto Laurentio.

Die septima.

1 a. Collaudantes exsultemus,
Ad laudandum praeparemus
Cor, vocem et opera:

1 b. Mens laetetur interius,
Vox resultet exterius,
Opus jungat dextera.

2a. Trino Deo et simplici
Una voce et triplici
Merito laus canitur;

2b. Sic laudet omnis populus,
Triplex enim funiculus
Difficile rumpitur.

3a. Pestis avaritiae,
Simul et invidiae
Recedat tristitia,

3b. Nec tumor superbiae,
Nec fel iracundiae
Nostra turbet gaudia.

4a. Laurentius hodie
Laudis et laetitiae
Nobis est materia,

4b. Qui stirpis egregiae
Factus est et patriae
Lux, decus et gloria.

5a. Castam servat juventutem,
Adhuc puer senectutem
Morum gerit in virtutem
De virtute gradiens.

5b. Christi fragrans in amorem,
Ejus currit in odorem,
Mundi mundus foedum florem
Et sese transsiliens.

6a. Archipraesul ordinatur
Et praesulem imitatur,
Qui corda purificat,

6b. Vivam, sanctam, innoxium
Deo placentem hostiam
Se totum sacrificat.

7a. Ad nos Dei clementia
Tam magnus ex Hibernia
Thesaurus dirigitur,

7b. Non in terra ut loculis
Celatus sed miraculis
Cunctis palam proditur.

8a. Gaude, plebs Augensium,
Collauda Laurentium
Et ejus auxilium
Incessanter rogita.

8b. Turbata solatium,
Infirma praesidium,
Ignara consilium
Ejus semper flagita.

9a. Hunc apella,
Ne procella
Maris te dejiciat,

9b. Ne sors laeta
Vel quieta
Incautam decipiat.

10a. Caro premit,
Mundus fremit,
Hostis urget acrius,

10b. Ne te flectant
Vel innectant,
Vocetur Laurentius.

11a. Sussitator mortuorum,
Reparator oculorum,
Emundator leprosorum,
Preces nostras suscipe.

11b. Qui loquelam reddis mutis,
Membris robur dissolutis,
Nos a jugo servitutis
Gehennalis eripe.

12a. Quos tua replet gaudio
Corporalis translatio
Simul et praesentia,

12b. Nos ab hoc nequam saeculo
Sacro precum vehiculo
Transfer ad coelestia.

13. Tuis intentos laudibus
Nos salva sacris precibus
Et ornatos virtutibus
Coelorum junge civibus.

Grad. ms. Augense saec. 15. Cod. Rotomagens. 250. — 10b, 2 invectant Hs. — 11b, 4 excipe Hs.

312. De sancto Laurentio.

In Octava.

1a. Laeta dies hodierna,
Qua laetatur in superna
Confessor egregius;

1b. Gaudet nutrix Hibernia,
Sed Augensis ecclesia
Laetatur uberius.

2a. Felix tellus occidentis,
Quam roravit orientis
Ros de coelo veniens,

2b. Ex fervore pietatis
Et humore caritatis
Vir processit oriens.

3a. Regum natus parentela
Meliori sub cautela
Genus suum extulit,

3b. Dum peccati spreta sorde
Coeli regem toto corde
Regi terrae praetulit.

4a. Puer vacans disciplinis
Totus erat in divinis
Et Dei servitio,

4b. Et quod de scripturis audit,
Totum firmat, totum claudit
In cordis armario.

5a. Laurus virens non tabescit
Et pruina non marcescit
Viror uri nescius,

5b. Sic a lauro derivatus,
Fide firma laureatus,
Vocatur Laurentius.

6a. Hic expleta juventute
Vir vocatus a virtute
Tulit jugum Domini;

6b. Carnem foris macerabat,
Motus pravos refraenabat
Nulli vacans crimini.

7a. Pius, prudens, literatus,
Christi jugum amplexatus,
Ad honorem praesulatus
A cunctis eligitur.

7b. Tali gaudens sub pastore,
Nunc timore, nunc amore
Ovis errans ab errore
Ad gregem reducitur.

8a. Ne lateret sub mensura
Caecis lumen redditura
Lux exstingui nescia,

8b. Candelabro sublimatur,
Dono cujus illustratur
Augensis ecclesia.

9a. Nam per ejus sanctitatem
Dat infirmis sanitatem
Dei miseratio,

9b. Lepram vestit munda cutis,
Usus linguae datur mutis
Praesulis suffragio.

10a. Caecis visus reformatur,
Claudis gressus reparatur,
Fugantur daemonia;

10b. Redditur vita defunctis,
Aegris salus datur cunctis
In fide non devia.

11a. Praesul Christi venerande,
Vitae nobis viam pande,
Ne nos premat jugum grande
Carnis vel molestia.

11b. Qui tranquillas fluctus maris,
Navigantes consolaris
Tua nobis in amaris
Sint praesto suffragia.

Grad. ms. Augense saec. 15. Cod. Rotomagens. 250. — 10b, 3 In fide sit devia Hs. — 11a, 4 Carnis vult molestia Hs.

313. De sancto Lazaro.

1a. Triumphali gloria,
Felici concordia
Lazari praeconia
Casta proles insonet,

1b. Lux lucet, qua obvia
Coelestis militia
Ad laeta convivia
Hunc concivem admonet.

2a. Fontisebraldi collis,
Quae hunc diem recolis,
Jam cum coenobicolis
Lauda, plaude, praedica.

2b. Hunc regalis sobolis
Principem Jebus polis,
Quem pro patrono colis,
Tibi jure vendica.

3a. Si quaeris miracula,
Generis pinnacula,
Gesta, mores, singula
Visu mentis aspice;

3b. Hic vir sine macula
Terrena piacula
In aeterna saecula
Transvehit mirifice.

4a. Flagrat flos infantiae
Rore pudicitiae,
Fervens stat in acie
Vir potens in proelio.

4b. Hilarata facie
Deditos moestitiae
Statuit laetitiae
Factis et eloquio.

5a. Cibat, a quo pascitur,
Invitans suscipitur,
Omni danti largitur,
Cunctis claret titulis.

5b. Dum languore teritur,
Pius hospes quaeritur,
Distulit, sed flectitur
Sororum oraculis.

6a. Nedum stat in limine
Jesus, ambae feminae
In fidei lumine
Ferunt voce humili:

6b. Si fuisses, Domine,
Non mortis examine
Frater sub velamine
Clauderetur sigilli.

7a. Hunc orbatis vocibus,
Alternatis vicibus,
Repetitis precibus
Flectunt inflexibilem.

7b. Ora rigat fletibus,
Fremit cor singultibus,
Ubi, ait stantibus,
Posuistis flebilem?

8a. Exorat ad tumulum
Solvens mortis vinculum,
Clamat vitae pabulum:
Veni foras, Lazare!

8b. O sanctorum speculum,
O salutis poculum,
Fac nos post hoc saeculum
Celsa coeli scandere.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1534. — 3, 4 Justo mentis apice.

314. De sancto Leodegario.

1a. In Leodegarii
Praesulis praeconio
Provocant se filii
Caritatis studio.

1b. Regis in Lotharii
Claruit palatio,
Sed et pontificii
Floruit officio.

2a. In hunc Joseph iterum
Fera fratres incitat,
Ebroinus alterum
De se Judam suscitat.

2b. Exemplo dominico
Pastor dat pro ovibus
Hosti se domestico,
Gladiis et fustibus.

3a. Foris lux effoditur,
Sed lux intus radiat,
Sine lingua loquitur
Et futura nuntiat.

3b. Stat invictus pontifex
Nec succumbit gladio,
Victus cadit carnifex
Traditus incendio.

4a. Coronatur duplici
Martyr pro martyrio,
Nece fratris unici
Sanguineque proprio.

4b. Cum sic caesus steterit
Liquido colligitur,
Quod, qui Christo vixerit,
Christo nunquam moritur.

5a. Pastor optime,
Tuos reprime,
Ne discordiae
Fomes vel invidiae
Gregem tuum laceret.

5b. Pro supplicibus
Pulsa precibus
Mundi pretium,
Ut suarum ovium
Nos in grege numeret.

Grad. ms. Vedastinum saec. 13/14. Cod. Atrebatens. 1011. A. — Miss. ms. Vedastinum saec. 14. in Cod. Atrebatens. 888. B. — Miss. ms. Vedastinum saec. 14. Cod. Atrebatens. 882. C. — 8b, 3 sqq. fehlen C.

315. De sancto Leodegario.

1. Jam Leodegarii,
Martyris egregii,
Rutilant solemnia.

2a. De cujus martyrio
Tota coeli concio
Gaudet et ecclesia.

2b. Ejus de victoria
Gaudeat cum gloria
Haec praesens familia.

3a. Martyr iste inclitus
Mundo erat editus
Francorum ex genere.

3b. Quem pius Lotharius
Rex fecit attentius
Litteris instruere.

4a. Pictavensi praesuli
Datur et sub seduli
Documenti artibus
Crescit in virtutibus.

4b. Praesul Deo destinat,
In levitam ordinat
Hunc edoctum studio
Reddidit Lothario.

5a. Studens legi
Placet regi,
Praesulatur,
Consecratur
Aeduensis pontifex.

5b. Lotharius
Migrat pius,
Hilderico
Stat amico
Regi praesul opifex.

6a. Sic obitque Hildericus,
Sceptrum tenet Teodoricus
Ebroino consule.

6b. Ebroinus hic vulpinus
Fraude olet, mente dolet
Debacchans in praesule.

7a. Inter clerum hunc accepit,
Linguam abscidi praecepit,
Flagellari cum baculis
Atque privari oculis.

7b. Super rupes nudis plantis
Ducitur, in poenis tantis
Gaudet gravi examine
Coeli confultus lumine.

8a. Hunc hostis caedi commisit,
Milites quatuor misit,
Tres cadentes
Poenitentes
Petunt dari veniam.

8b. Quartus ensem collo praestat,
Mactat caput, corpus restat
Una hora,
Sine mora
Martyr intrat gloriam.

9a. O pater Leodegari,
Dignare nos adunari,
Apud Christum
Chorum istum
Clementer concilia,

9b. Ut fons summae pietatis
Nos purgatos a peccatis
Servos suos
Atque tuos
Mundet data venia.

10. Amen dicant omnia.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. — Mel.: Mane prima Sabbati.

316. De sancto Leonhardo.

1a. Psallat chorus et laetetur
Et beatum veneretur
Leonhardum, per quem detur
Nobis salus omnibus.

1b. Omnes clament exsultantes,
Venerentur jubilantes,
Sancto Dei laudes dantes
Ex devotis mentibus.

2a. Ex regali stirpe natus
Adolescens Deo gratus
Sanctitatem sui status
Patefecit omnibus

2b. Clarus ortu, clarus vita,
Actu verus coenobita,
Tandem fulsit eremita
Condensis nemoribus.

3a. Tunc vir Dei praedicare
Coepit fide et sanare
Aegros atque liberare
Pressos a daemonibus.

3b. Hic carceri deputatos,
Compedibus mancipatos,
Absolvit atque damnatos
Pro multis criminibus.

4a. Hic reginam proclamantem
Et in partu laborantem
Liberavit et infantem
Reddidit parentibus.

4b. Hac de causa rex legavit
Silvam, quam hic peragravit
In asello et signavit
Ejus certis gressibus.

5a. Ecclesiam hic fundavit
Et monachos aggregavit,
Ipsam quoque consecravit
Matris Dei laudibus.

5b. Longe distans a torrente
Orat Deum pura mente
Et scaturit fons repente
Cunctis loci civibus.

6a. O quam sanctus, cujus laudi
Cedit quidquid fine claudi
Potest, nostras voces audi
Dans favorem precibus.

6b. Mulce tristes, aegros sana,
Rege gressus, iter plana,
Ne labatur mens humana
Mortis durae sordibus.

7a. Leonharde, serve Dei,
Munimentum nostrae spei,
Te rogamus licet rei,
Sta pro peccatoribus.

7b. Pietatem imploramus
Summi regis, quem rogamus,
Ut det nobis, quem optamus,
Locum in coelestibus.

Miss. ms. Gemmeticense saec. 15. Cod. Rotomagens. 301. A. — Miss. ms. Gemmeticense anni 1492. Cod. Rotomagens. 302. B.

317. De sancta Lucia.

1a. Adest dies celebris,
In qua lux a tenebris
Divisa resplenduit,

1b. Lux Lucia nomine
In coelorum agmine
Hodie comparuit.

2a. Haec est lux mundissima,
In fructu centesima
Quam luxus non polluit;

2b. Haec est lux gratissima,
Quae parentis intima
A fluxu compescuit.

3a. Lux est communissima,
Christo devotissima,
Cuncta sua tribuit;

3b. Lux est nobilissima,
Quam ars et vis plurima
Movere non potuit.

4a. Lux est flagrantissima,
In quam ferventissima,
Flamma non praevaluit,

4b. Haec in sexu fragili
Fide semper stabili
Christum non deseruit.

5a. Jam patebant viscera
Per illata vulnera
Et fidem non tacuit,

5b. Gentem vicit perfidam,
Plebem fovit timidam
Ac in fide tenuit.

6a. Revelavit abdita,
Quod esset pax reddita
Electis aperuit,

6b. Sic coram fidelibus
Sacra sibi dantibus
Lux ista occubuit.

7a. Ergo, lumen luminum,
Deprecemur Dominum,
Qui lucem hanc praebuit,

7b. Dare nobis criminum
Veniam et terminum
Quem lux haec obtinuit.

Miss. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 74. A. — Miss. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 77. B. — 6b, 1 Sic coronam fidelibus A. — 7b, 2 veniam fehlt A. — 7b, 3 haec fehlt A.

318. De sancto Ludovico.

1a. Ad honorem summi regis
Fervoremque nostrae legis
Et doctorem Christi gregis
Jubilet ecclesia,

1b. Festa regis Ludovici,
Servi Dei et amici,
Plus quam ore possit dici,
Solemnizet Francia.

2a. Ex regali stirpe natus
Adolescens Deo gratus
Promptus fuit et paratus
Propulsare vitia,

2b. Et virtutes aggregare
Oppressosque relevare
Et egenis fabricare
Grata xenodochia.

3a. Hic rex religiosorum,
Monacharum, monachorum
Nec non et canonicorum
Fundavit coenobia.

3b. Hic fratres praedicatores
Sublimavit et minores,
Per quos nobis patent fores
Ad coeli palatia.

4a. In partibus transalpinis
Nec non et in transmarinis
Christianis peregrinis
Auri dedit milia.

4b. A paganis coartatur,
Custodiae mancipatur,
Nec caret, sicut probatur,
Martyrii gloria.

5a. Recedunt infirmitates
Et accedunt sanitates,
Per tempora, per aetates
Crescit sancti gratia.

5b. En caeci illuminantur,
Paralytici curantur
Et defuncti suscitantur
Per ejus suffragia.

6a. O quam sanctus, cujus laudi
Cedit, quidquid fine claudi
Potest, nostras preces audi
Dans favori gaudia.

6b. O quam sanctus, cujus vita
Non solum ut eremita
Sed ut simplex coenobita
Refulsit in curia.

7a. Ludovice, sancte Dei,
Munimentum sanctae spei,
Te rogamus licet rei,
Da gratiam in via.

7b. Pietatem imploramus
Summi regis, quem rogamus,
Ut det nobis, quam optamus,
Gloriam in patria.

Miss. ms. Gemmeticense saec. 15. Cod. Rotomagens. 301. A. — Miss. ms. Gemmeticense anni 1492. Cod. Rotomagens. 302. B.

319. De sancto Ludovico.

1a. Clarum sidus gloriae,
Decus regni Franciae
Nobis fulsit coelitus,

1b. Nam triumphat hodie
Per arma justitiae
Ludovicus inclitus.

2a. Dives sine macula,
Laudandus per saecula
Fecit mirabilia.

2b. Aromatum nebula,
Quam spirant miracula,
Repletur ecclesia.

3a. Salomoni similis,
Nam Deo amabilis
Fuit et pacificus.

3b. Justus, prudens, dapsilis,
Pius, mundus, humilis,
Moribus angelicus.

4a. Jam candor munditiae
Et odor fragrantiae
Lilii convallium

4b. Attestantur proprie
Ludovici gloriae
Et clamant praeconium.

5a. Beate Ludovice,
Pio vultu respice
Vota supplicantium

5b. Et sortis angelicae
Nos consortes effice
Post praesens exsilium.

Prosar. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Andegavens. 90.

320. De s. Ludovico Episcopo.

1a. Plebs fidelis jubilat,
Quia sidus rutilat
Novae claritatis,

1b. Ludovicus pontifex,
Egenorum opifex,
Arbor caritatis.

2a. O regalis soboles,
Sanctitate redoles
Placens condimentum,

2b. O decus ecclesiae,
Decor conscientiae,
Boni fundamentum.

3a. Tu, Tolosa civitas,
Gaude, quia militas
Sub tanto pastore.

3b. Felix es, Marsilia,
Magna promens gaudia
De tanto splendore.

4a. Minorum religio,
Haec dicata socio,
Qui regnat in caelis,

4b. De insigni gratia
Dans Christo praeconia
Semper sit fidelis.

5a. Corruscat miraculis
Testantibus populis,
Quos curat a morbis,

5b. Surgat a criminibus
Ejus sanctis precibus
Sauciatus orbis.

Miss. Tolosanum imp. s. l. 1490. A. — Miss. Tolosanum imp. Lugduni 1524. B.

321. De sancto Maculpho.

1a. Venerando confessori
Nostri psallat coetus chori
Decantans Alleluja,

1b. Qui adepta potiori
Dignitate celsiori
Coeli est in regia.

2a. Hujus vita confessoris
Ab ascensu primi floris
Sancta et laudabilis,

2b. Digna laude creatoris
In exemplum est honoris
Cunctis imitabilis.

3a. Ut devotus Christi miles
Infra annos pueriles
Totum sese contulit

3b. Christi cultus ad serviles,
Ubi satis juveniles
Carnis aestus pertulit.

4a. Quibus victis bono fine
Civitatis Constantinae
Praesuli committitur,

4b. Per quem legis ad divinae
Sanctitatis et doctrinae
Ordines provehitur.

5a. Ut fidelis dispensator
Monachorum factus pastor
Gregem suum non turbavit,

5b. Sed ut prudens legislator
Et ut sagax procurator
Eum verbo vitae pavit.

6a. Per istius sanctitatem
Consequuntur sanitatem
Debiles, lunatici,

6b. Claudi gressus firmitatem,
Caeci visus novitatem,
Sensum daemoniaci.

7a. Surdis usus aurium,
Salus imbecillium
Ac mutis eloquium
Per Maculphum redditur;

7b. Morbus, quem nos regium
Ob naturam vermium
Carnem infestantium
Vocamus, expellitur.

8a. Hujus patris tam praeclari,
Ne mergamur in hoc mari
Poscamus suffragia,

8b. Quo possimus gratulari,
Postulemus nobis dari
Paradisi gaudia.

Miss. ms. S. Remigii saec. 13. Cod. Remens. 122. add. saec. 14. A. — Miss. Trecense imp. Trecis 1533. B.

322. De sancto Mammete.

1. Voce, corde jubilemus
Jubilantes exsultemus
Solemni laetitia.

2a. Et laus Christi decantetur
Et beati celebretur
Mammetis victoria,

2b. Qui spe certa confirmatus
Non expavit cruciatus
Nec mundi supplicia.

3a. Puer adhuc duodennis
Non humanae sed perennis
Vitae quaerens gaudia,
Ne colantur idola,
Hortatur Christicola
Ratione praevia.

3b. Fervens zelo caritatis,
Rebus suis erogatis
Oppressus inopia,
Christum Deum praedicat,
Quem signis magnificat,
Et virtutum gratia.

4a. Quod ut novit dux profanus,
In hunc sanctum jecit manus
Ducis inclementia.

4b. Dumque sanctus sic tenetur,
Nomen Christi confitetur
Constanti fiducia.

5a. Martyr enim firmae mentis
Exsultabat in tormentis
Dans Christo praeconia,

5b. Sed tyrannus debachatur,
Quando sibi nuntiatur
Certantis constantia.

6a. Ergo sibi praesentatum
Donis mulcet dignitatum
Praetendens insignia;

6b. Nunc minatur, nunc blanditur,
Sed vir sanctus invenitur
Invictus per omnia.

7a. A parentum disciplinis
Neque prece neque minis
Tyranni vesania

7b. Illum valet amovere,
Neque possunt hunc terrere
Tam dura flagitia.

8a. Devorandus feris datur,
Sed in agnum commutatur
Ferarum saevitia;

8b. Haec submissa pedes lambit,
Haec amplexu collum ambit,
Pia dans obsequia.

9a. Inde sancto, quae parantur,
Circa corpus applicantur
Lampadum incendia,

9b. Sed per illa nec doloris
Ulla signa nec ardoris
Apparent vestigia.

10a. Videns judex nec tormentis
Hunc nec flecti blandimentis,
Nec a fide suae mentis
Mutari constantiam,

10b. Fornax jubet incendatur,
In qua martyr comburatur,
Sed nec per hanc molestatur
Nec sentit angustiam.

11a. Deo namque protectore
Nullo laesus est ardore,
Nec in veste nec in ore
Visa est combustio.

11b. Ignis enim contra morem
Rorem spirat non ardorem,
Christi juvat bellatorem
Angelorum concio.

12a. Pretiosa Christi rosa,
Pio regi nos praesenta,
Per quem poenas et tormenta
Devicisti, martyr Christi,
Christo placens hostia.

12b. Ut te duce vera luce
Mereamur collocari
Et cum sanctis epulari,
Ubi datur, quod optatur,
Vita, pax et gloria.

Miss. ms. Card. Rolin saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 110. A. — Miss. ms. Card. Rolin saec. 15. Cod. Semin Aeduens. 114. B. — Miss. ms. Card. Rolin saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. s. sign. C. — Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 115. D. — Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 117. E. — Miss. ms. Aeduense anni 1476. Cod. Semin. Aeduens. 118 bis. F. — Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 123. G. — Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 124. H. — Grad ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. s. sign. I. — Mel.: Laudes crucis.

323. De sancta Margareta.

1a. Margaretae collaudemus,
Corde, ore decantemus
Virtutum insignia,

1b. Rachel suum pascit gregem,
Praesens quaerit nomen, legem,
Raptus ad suspiria.

2a. Margareta sum vocata,
Generose procreata,
Christi cultus dicitur.

2b. Carcer claudit, gemma latet,
Dum applaudit, draco patet,
Casto pede sternitur.

3a. Dum non cedit
Virgo exuitur,
Virgis caedit
Tortor et vincitur.

3b. Virginea
Membra dilaniat,
Et ignea
Lampas excoriat.

4a. Concha plena
Rubens gena
Quassatur, percuttitur,

4b. Porcis sita
Margarita,
Hortus clausus spargitur.

5a. O quam fortis femina,
Fortia certamina
Superat nec suspirat.

5b. O quam vilis praefectus,
Moris mutat affectus,
Quam tam amat, trucidat.

6a. Miserere
tuae pulchritudinis.

6b. Misereor
divinae imaginis.

7a. O quam firma fide
Profert intrepide
Verba deifica;

7b. O quam sunt lutei
Tyranni laquei,
Dicta sophistica.

8a. Margarita tu diceris,
Margaritis prae ceteris
Fragrans sicut lilium;

8b. Tu es vellus in area,
Granum purum a palea,
Florens flos convallium.

9a. Laudes ergo Margaretae
Personemus omnes laete
Voce clara.

9b. Orat scandens in superis
Omni hora pro miseris
Exorata.

10a. Ave virgo gratiosa,
Patri tuo odiosa,
Christo sponso dilecta.

10b. Ave fulgens margarita,
Pulchra prudens et inclita,
Morum gemma electa.

11a. Felix, quae tot milia
Traxit per martyria
Ad choros sanctorum.

11b. Hora mortis exoret,
Ut salutem imploret
Memoris agonum.

12a. O columba humilis,
O aquila nobilis,
O columna stabilis,
Morte ruis.

12b. O puella parvula,
Omni carens macula,
Necis dira jacula
Laeta subis.

13a. Caput amputatur,
Luna eclipsatur,
Hostia immolatur.

13b. Jesu, spes populi,
Post finem saeculi
Nobis te sine frui.

Prosar. ms. Pisciacense saec. 15. Cod. Londinens. Eg. 2601. — 11b, 1 q. exorat . . . implorat Hs. — 11b, 3 Memores Hs. — 13a, 3 Christi hostia Hs.

324. De sancta Margareta.

1a. Virginalis gaude chorus,
Quem virilis nondum thorus
Casto laesit gremio,

1b. Pro consorte Margareta,
Trinitatis cui secreta
Jam relucet unio.

2a. Carne munda conservata
Summo nupsit illibata
Sponso Dei filio,

2b. In quo semper delectatur
Et ubique comitatur
Intacto vestigio.

3a. Stirpe clara procreata
Est nutrici commendata
Educanda studio,

3b. Gregem cujus fovens pastu
A praefecto pleno fastu
Cupitur Olybrio.

4a. Formae vultus collaetatur,
Nomen, genus sciscitatur
Optans hanc conjugio;

4b. Christum, inquit, adamavi,
Sacro cujus subjugavi
Totam me dominio.

5a. Multis hanc blanditiis
Praeses et divitiis
Immutare studuit,
Nullo tamen potuit
Suavi colloquio.

5b. Raptus ergo furia,
Moxque Sion filia
Carcere recluditur,
Occurrat, praecipitur,
Diis sacrificio.

6a. Cultum sprevit idolorum
Nec se vano promissorum
Credidit impendio,

6b. Illi spondet thura dare,
Quem tremiscunt tellus, mare
Et quaevis plasmatio.

7a. Flagro mox pectineo
Caeditur, equuleo
Datur pro supplicio;

7b. Virgulis atteritur
Saevis et affligitur
Lampadis incendio.

8a. Aqua pleno mergitur,
Nihil tamen laeditur,
Margareta dolio,

8b. Draco vorat, scinditur,
Illi dum conceditur
Inimici visio.

9a. Triumphalis agonista
Patienter ferens ista
Vitae pro stipendio,

9b. Mortis ejus recolentes
Ut immunes decedentes,
Orat, sint a vitio.

10a. Ensis tandem dominatur,
Judicis dum aspernatur
Dirigi consilio,

10b. Caput ejus amputatur,
Lictor coelo collocatur
Virginis suffragio.

11a. O beata Margareta,
Angelorum quia leta
Te suscepit legio,

11b. Tuis caris placa Deum
Et ne labi sinas reum
Perenni dispendio.

12a. Opem praebe desperatis
Et languore praegravatis
Mortis in confinio,

12b. De hac vita dum vocamur,
Fac, ut ibi perfruamur
Sempiterno gaudio.

Miss. ms. S. Floriani XI 389 saec. 14. A. — Miss. ms. S. Floriani XI 391 saec. 14. B. — Miss. ms. S. Floriani III 221 saec. 14. C. — 3a, 2 Est nutricis A. — 5b, 2 Patriarchae filia A. — 8b, 1 Draco vorans B.

325. De sancta Margareta.

1a. Laus tibi sit, Christe,
fili Dei unigenite,

1b. Cum patre qui regnas
in unitate paracliti.

2a. Quem agnum sequuntur
agmina virginum,
quocunque ieris,

2b. Nomen tuum et patris
frontibus in suis
scriptum habentia.

3a. Inter quas haec virgo candet
virginitatis lilio,

3b. Et rubet roseo vultu,
rubicunda martyrio.

4a. Nomen cujus tractum est
ab evangelica margarita,

4b. Quam inventam venditis
omnibus emit negotiator.

5a. Haec tua,
Christe, speciosa
tecum delectatur
in hortis aromatum

5b. Et tuum
ingressa thalamum
tuae visionis
gratia delectatur.

6a. Quam pro nostris excessibus
apud te semper
intercedere poscimus,

6b. Ut mundati criminibus
aeternam mortem
per te vincere possimus.

7a. Et illuc ejus merita
nos levent ad alta,
quos mala nostra
trahunt ad portam
infernalem.

7b. Et ipsa duce praevia
vestibus in albis
te mereamur
sequi per portam
aeternalem.

8a. Ergo Christe, rex aeterne
Domine,
memor in nobis
tuae sis margaritae,

8b. In cujus jucunditatis
lilio
coelestis aulae
concinit symphonia.

9. Laus tibi, Christe Domine.

Miss. ms. Secoviense saec. 12. Cod. Graecens. 479. A. — Miss. ms. Musaei Hungarici saec. 14. Cod. lat. 94. B. — 2a, 3 ierit B. — 4b, 1 sq. omnibus venditis A. — 5a, 4 atriis aromatum A. — Str. 7a und b fehlen A. — 8a, 1 sq. rex aeternae gloriae B. — 8b, 2 gaudio B.

326. De sancta Margareta.

1a. Exsultemus conclamantes,
Diem festum celebrantes
Margaretae virginis;

1b. Cantus nostros innovemus,
Quos in laudem personemus
Ejus sancti nominis.

2a. Exierat Achaiam
Tendens in Antiochiam
Praefectus Olybrius,

2b. Margaretam videns: ite,
Servi, inquit, adducite
Hanc mihi celerius.

3a. Milites comprehenderunt
Virginem et adduxerunt
Protinus Olybrio;

3b. Quaerit, qua fide regitur,
Quis a se Deus colitur,
Sic respondit impio:

4a. Omnipotentem invoco
Ego Deum, pari modo
Christum, ejus filium.

4b. Tu invocas nomen Christi,
Quem traxerunt patres nostri
Crucis ad suspendium?

5a. Christum cruci affixerunt
Et ideo perierunt,
Ipse autem permanet.

5b. Tunc praecepit eam capi
Et in carcerem includi,
Ut sic eam perderet.

6a. Post haec autem est educta
Et ad praefectum adducta
Proferentem talia:

6b. Te, si mihi consenseris,
Et deos adoraveris,
Replebo pecunia. —

7a. Me de via veritatis
Amovere non poteris,
Quam coepi incedere;

7b. Nam adoro Deum caeli,
Quem formidant mare, venti,
Terra solet tremere.

8a. In aëre suspenditur,
Corpus tenerum caeditur
Virginis subtilius,

8b. Tamquam de fonte aliquo
Cursu defluit rapido
Sanguis e vulneribus.

9a. Jussu tandem Olybrii
Praecipitur interimi
Sancta virgo gladio;

9b. Sic animam exhalavit
Atque vitam consummavit
Felici martyrio.

10a. O beata sponsa Christi,
Quae coelorum meruisti
Scandere palatia,

10b. Impetra nobis veniam
Delictorum et gloriam
In coelesti patria.

11. Amen dicant omnia.

Grad. ms. Aquicinctense saec. 15/16. Cod. Duacens. 124.

327. De sancta Margareta.

1a. Quod terrarum, quod profundi,
Quod totius ambit mundi
Grandis continentia,

1b. Laude nova compellatur,
Justa namque causa datur,
Ut laetentur omnia.

2a. Pietatem summi regis
Ac praecepta suae legis
Recolat ecclesia,

2b. Ipsum cuncta laudat caro
Mente pura, corde claro
Cum devota gratia.

3a. Ecce dies nobis laeta,
In qua virgo Margareta
Conscendit coelestia,

3b. Quia secum sic neglexit,
Quod post mentem non reflexit
Ad haec transitoria.

4a. Haec in loco stans poenali
Orat Christum carcerali
Clausa sub custodia,

4b. Impugnator ut antiquus
Palam fiat inimicus,
Qui perturbat omnia.

5a. Prece facta
Res est acta,
Serpens natus
Per hiatus
Belli dat indicia;

5b. Hic invasit,
Haec evasit,
Nam sorbendo
Nec laedendo
Parte crepat media.

6a. Hinc ad poenas virgo tracta,
Ut poenarum vi subacta
Colat idolatria,

6b. Prece prius pertentatur,
Sed nec prece minoratur
Animi constantia.

7a. Tandem poenae finis datur,
Ut jam virgo puniatur
Capitis sententia,

7b. Coeli turba sic ambita,
Cum pro morte datur vita
Perpesque victoria.

8a. Tu sacrata,
Tu beata
Vota cerne
Nec jam sperne
Servorum precantia,

8b. Ut donetur
Nec negetur
Poenitenti
Nostrae menti
Comissorum venia.

Miss. Virdunense imp. Parisiis 1554.

328. De sancta Martha.

1a. Sonet vox laetitiae,
Resultet in facie
Pax, amor et gaudium.

1b. Martha lux ecclesiae
Introivit hodie
Coeleste palatium.

2a. Haec est dulcis hospita,
Tam pie sollicita
Circa Dei filium;

2b. Manu parat propria
Magna diligentia
Domino convivium.

3a. Castitatis speculum
Reaccendit populum
Ad aeternum bravium,

3b. Signis et prodigiis
Liberet a variis
Erroribus gentium.

4a. Praedicatrix optima,
Ferit cordis intima
Detestando vitium;

4b. Gratiosa populis
Diffundit miraculis
Lucis suae radium.

5a. Sanctis suis precibus
Det Tarrasconensibus
Gratiae subsidium,

5b. Castrumque promoveat
Et nobis obtineat
In coelis hospitium.

Miss. Tolosanum imp. Lugduni 1524. A. — Miss. Tolosanum imp. s. l. 1490. B. — Mel. jedenfalls Veni sancte spiritus.

329. De sancto Matthaeo.

1. Laudes creatori
canamus digne summo,

2a. Qui nos ipsius militis
venerari
dederat festa Matthaei,

2b. Omnis quem colit fidelis
in quadrati
cardine pie saeculi.

3a. Hunc olim
Ezechiel praevidit
in bis binis
animalibus praeclarum.

3b. Johannes
denuo videns ipsum
esse clamat
in effigie hominis.

4a. Quia post, sancta
voce vocatus
Domini
de quaestibus telonei,

4b. Interesse
apostolico
meruit
ordini et senatui.

5a. Quem ditatum
duplo nomine
sancta canit ecclesia

5b. Apostoli,
evangelistae;
sit gloria Christo lausque.

6a. Quem Christus
trina fide sancto spirituque
repletum

6b. Ad partes
miserat Aethiopiae pius
docendae.

7a. Hic coeperat vir sanctus
spargere verbum Dei,
populum baptizare
atque docere,

7b. Daemones effugare
magosque superare,
caecos illuminare,
claudos sanare.

8a. Mortuis vivere
mutisque loquelam dederat,

8b. Vocibus privatas
aures recluserat potenter.

9a. Accidit interim,
ut natus regis
vitam finiret
morte captus atra,

9b. Quem suis precibus
suscitat, patrem
ejus matremque
baptizando simul.

10a. Qui post multa
miracula
interemptus obiit,

10b. Jam cum suo
perenniter
regnaturus magistro.

11. Miles Christi,
memento nostri.

Grad. ms. Cremifanense 190 saec. 12. A. — Miss. ms. Cremifanense 339 saec. 15. B. — Sequent. ms. Cremifanense post Miss. Roman. imp. Venetiis 1484. C. — Mel.: Eja turma. — 1, 1 salvatori C. — 4a, 1 sq. voce sancta AB. — 5b, 2 et evangelistae gegen den Vers C. — 6a, 2 sanctoque spiritu C. — 6b. 2 pios C. — 8a, 2 mutis et AB. — 10b, 1 Jamque cum C.

330. De s. Maria Aegyptiaca.

1a. Recordentur mentes piae
Vitae sursum spem Mariae
Datam in coelestibus,

1b. Nolens mortem peccatorum
Quam mundavit rex coelorum
Suis a reatibus.

2a. Derelinquens patriam
Venit Alexandriam
Libidine polluta,

2b. Sed Mariae virginis
Ope plenitudinis
Est gratiam secuta.

3a. Orans enim cum audiret,
Quod, Jordanem si transiret,
Mereretur requiem,

3b. Matrem Christi salutavit
Et abscedens adoravit
Ipsius effigiem.

4a. Gemendo gradiens
per solitudinem,
Elongans, fugiens,
Non videns hominem,
Avem aut bestiam,

4b. Eam persequitur
Exclamans Zosimas,
Stat atque loquitur
Fundendo lacrimas,
Pandens miseriam.

5a. Audit senex, serva Dei
Dum, quod egit, refert ei,
Stupet ille modum rei
Devote considerans.

5b. Quia gelus prae rigore
Saepe stridens, nequiore
Torrebatur a calore,
Haec pro Deo tolerans.

6a. Pede sicco transitura
Signat aquas et futura
Praevidet in spiritu,

6b. Sursum pendens elevatur
Et splendore perlustratur
Orando et gemitu.

7a. Transeunti cum trophaeo
Praesens adest ingens leo
Parans ejus tumulum;

7b. Quod Maria vocaretur,
Scriptum senex intuetur
Mox in terra titulum.

8a. Preces ergo per Mariae
Donet Christus, ut in die
Nubis et caliginis

8b. Valeamus esse sui
Et cum eo vera frui
Claritate luminis.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. — 4b, 3 Stat et loquitur Hs. — 4b, 4 Fundens lacrimas Hs. — 5b, 1 gelu Hs.

331. De s. Maria Magdalena.

1a. Gaude, Sion, laude plena,
Pro Maria Magdalena
Novus cantus resonet,

1b. Quae vitiis expiata,
Virtutibus adornata,
Deo laudes intonet.

2a. In fervore novae spei
Donum intrat pharisaei
Plorans inter epulas,

2b. Christi pedes rigat, tergit,
Mysteriis mox extergit
Mentis ejus maculas.

3a. O quam felix femina,
Quam post tot discrimina
Amor sic incendit,

3b. Cui primum prae ceteris
Revertens ab inferis
Se Christus ostendit.

4a. O Maria, tam beata,
Quae nunc gaudes jam dotata
Cum supernis,

4b. Ubi hauris, quod sitisti,
Nam dilecti tui Christi
Vultum cernis.

5a. Ergo, dulcis Magdalena,
Per te reis fluat vena
Salutis et veniae,

5b. Ut post mortem agni coena
Perfruamur in amoena
Beatorum requie.

Miss. ms. Romano-Franciscan. saec. 14. Cod. Carpentoractens. 107. — 2b, 1 figit, tergit Hs.

332. De s. Maria Magdalena.

1. Summi nutu Domini,
Cujus sancto nomini
Det laudes ecclesia,

2a. De palma martyrii
Katharinae virginis
Agimus solemnia.

2b. Jucundemur tympanis,
Modulemur organis
Illius praeconia.

3a. Rege nata regias
Contempsit delicias
Et fortunae copias,

3b. Annis puerilibus
Orbata parentibus
Adhaesit coelestibus.

4a. Inter fluxus sanguinis
Nefandi libaminis
Reprobavit impium
Audacter Maxentium.

4b. Illam philosophica
Non vicit rhethorica,
Sed vanam peritiam
Convertit ad gloriam.

5a. Ut plectatur,
Fabricatur
Duplex rota,
Sed hac mota
Prava perit concio,

5b. In regina
Katharina
Comprobatur,
Quando datur
Fides et Porphyrio.

6a. Fit insanus
Rex profanus,
Cupit tamen
Hoc solamen
Sibi pro tot perditis.

6b. Hanc hortatur,
Hanc precatur,
Haec non curat
Sed obturat
Aures ejus precibus.

7a. Tandem jussa decollari
Poscit sibi tempus dari,
Ut se petenti veniam
Impetraret per gratiam.

7b. Dum a saevo percussore
Decollatur, pro cruore
Lactis emanat rivulus,
Quem sacer fudit jugulus.

8a. Adest coetus angelorum,
Glorioso raptu quorum
Katharina
Monte Sina
Collocata conditur.

8b. Cujus corpus pretiosum
Velut fontem copiosum
Redivivum
Dat olivum
Sicut et nunc cernitur.

9. Cujus nos auxilium
Apud regem omnium
Commendet per saecula;
Amen dicant omnia.

Miss. ms. S. Trinitatis Vindocinens. anni 1457. Cod. Vindocinens. 16. — Mel. offenbar: Mane prima sabbati. — 8b, 4 Dat oleum Hs.

333. De s. Maria Magdalena.

1a. Linguae solve vinculum,
Laudis profer modulum
In Mariae titulum,
Pia cleri concio.

1b. Hodie miraculum
Profertur in populum,
Quo respirat saeculum
Spe, dulcore, gaudio.

2a. In fervore sanctae spei
Magdalena Pharisaei
Domum intrat et fit ei
Peccatorum venia.

2b. Non desperent ergo rei
Recordantes hujus rei,
Dei simul et diei
Declarent magnalia.

3 a. Sauciatur cor dolore,
Sauciatur mens amore,
Nardum profert et odore
Repletur hospitium.

3 b. Unget Christum hoc liquore
Rigans pedes cordis rore,
Servit manu, servit ore
Servit usu crinium.

4 a. Sic contrita, sic compuncta
Mundo vivit ut defuncta
Per excessum spiritus,

4 b. Intus uncta, Christo juncta,
Christum amat, spernit cuncta,
Quorum brevis transitus.

5 a. Spernens mundi blandimentum
Tota transit in lamentum
Nec reliquit ad momentum
Christum ejus anima.

5 b. Trini fletus argumentum
Et effusum ter unguentum
Probant ignem violentum
Penetrantem intima.

6 a. Flet in domo, flet ad crucem
Passionem Christi trucem,

Flet et Christum mortuum;

6 b. Mane surgit, vitae lucem
Quaerit Christum, quaerit ducem
Ad sepulchrum vacuum.

7 a. Vidi cives paradisi,
Quantumcumque tamen visi
Non tollunt moestitiam,

7 b. Quaero Christum, quem amisi,
Non consolor, ait, nisi
Dilectum adspiciam.

8 a. Spes reorum, Magdalena,
Tua prece tu serena
Nobis Christum, ut a poena
Liberemur criminum.

8 b. Et in illa coeli cena
Fluat nobis vitae vena,
Ut fruamur luce plena
Contemplantes Dominum.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. — 4a, 2 Munde Hs.

334. De s. Maria Magdalena.

1 a. Magdalenae gaudia
Celebret ecclesia
Devota fidelium:

1 b. Haec est illa domina,
Cui dimisit crimina
Factor et rex omnium.

2 a. Christum amans intimis
Pedes ejus lacrimis
Rigans tersit crinibus;

2 b. Christi die tertia
Resurgentis nuntia
Fuit prima fratribus.

3 a. De se tot gratissimas
Fecit Deo victimas,
Per quot haec peccaverat;

3 b. Fonte lota veniae
Culpae fuit carie,
Quae peccatrix fuerat.

4 a. Amavit ardentius
Et ideo citius
Meruit haec cernere.

4 b. O quam dignum laudibus
Est illam et cantibus
Devotis attollere,

5 a. Quae per poenitentiam
Paradisi gloriam
Meruit attingere,

5 b. Quod det regens omnia
Nobis coeli curia
Pietatis munere.

Miss. ms. S. Magdalenae Rotomagens. saec. 15. Cod. Rotomagens. 283. — Mel. jedenfalls Veni sancte spiritus.

335. De sancto Martino.

1a. Miles mirae probitatis,
Martinus, lux sanctitatis,
Sacerdotum gloria,

1b. Armis cessit vanitatis,
Tenens fidem trinitatis,
Sanctus ab infantia.

2a. Regularis, militaris,
Praesularis, singularis
Vitae fulgens gratia,

2b. Tibi caris dum precaris,
Expers paris comprobaris,
Conferre remedia.

3a. Innotescis toti mundo,
Qui jam regnas corde mundo
In Dei praesentia,

3b. Nunc devote supplicanti
Choro pro te jucundanti
Largire subsidia.

4a. Ut qui tibi sunt subjecti,
Per te tute sint protecti
Ab hostis astutia,

4b. Sed et sursum sint subvecti
Et cum sanctis sint refecti
Superna laetitia.

Miss. ms. S. Martini Turonens. saec. 15. Cod. Turonens. 194. A. — Miss. ms. S. Martini Turonens. saec. 15. Cod. Turonens. 195. B.

336. De sancto Martino.

1a. Hodiernae lux diei
Celebris in servi Dei
Agitur memoria,

1b. Hic Martinus, vir insignis,
Praeclaris effulget signis,
Magnus in ecclesia.

2a. Magnus nondum baptizatus
Est a Christo demonstratus
Angelis in patria,

2b. Nam in mundo, quem vestivit,
Referentem hunc audivit
De veste praeconia.

3a. Hic vestitum se commendat,
Ut commendans nos accendat
Christus ad similia,

3b. Laudat opus largitatis,
Quod largitur digna gratis
Largitatis praemia.

4a. Floret virtus in Martino,
Signo vastat chaos trino
Fides nunquam dubia,

4b. Fidem sibi scutum ponit,
Dum in hostes se imponit
Martini militia.

5a. Miles primum, eremita
Post meritis est et vita
Monachorum gloria;

5b. Praesul digne factus tandem
Vicem sumptos ad eandem
Sua servet gratia.

6. Ipse pastores et gregem
Prece reddat apud regem
Securos de venia.

Miss. ms. S. Martini Turonens. saec. 15. Cod. Turonens. 195. — Die Mel. bezeichnet wohl 1a, 1.

337. De sancto Martino.

1a. Jucundemur
Hodie, fidelis coetus,
Alleluja,

1b. Coronatur
In coelis Martinus laetus
Cum gloria.

2a. Praesul, gemma praesulis,
Cunctis clara populis
Illustratur,

3a. Pro rege coelestium
Pauper beneficium
Deprecatur,

4a. Arbor celsa labitur,
Pars adversa premitur,
Suffocatur.

5a. Per ejus suffragia
Febres, elephantia,
Languores, daemonia
Propulsantur.

6a. Hujus insignia,
Laudis praeconia
Per totum mundum
fulgentia.

2b. Sanctitatis titulis,
Virtutum miraculis
Decoratur.

3b. Egeno dimidium
A Martino pallium
Erogatur.

4b. Martinus non tangitur,
A Christo protegitur
Et salvatur.

5b. Afflictis solatia,
Pressis patrocinia,
Defunctis subsidia
Vitae dantur.

6b. Nos ad coelestia
Perducat gaudia
Dei filii
clementia.

Miss. ms. S. Martini Turonens. saec. 15. Cod. Turonens. 195. — Mel.: Laetabundus.

338. De sancto Martino.

1a. Laetabundi jubilemus
Omnes unanimiter

1b. Et Martinum collaudemus
Hac die solemniter.

2a. Qui primaeva sub aetate
Scriptus ad militiam,

2b. Ceteros humilitate
Praecurrens ad gratiam,

3a. Sotulares detrahebat
Servi sui serviens

3b. Et detractos extergebat
Praeceptor obediens.

4a. Qui nondum lotus
Fonte sacri baptismatis
Evaginans gladium

4b. Deo devotus
Viro mirae paupertatis
Partitus est pallium.

5a. Verum sanctae trinitatis
Se cultorem indicat,
Qui defunctos in peccatis
Tres viros vivificat.

5b. Latronem colit sepultum
Rustica religio,
Donec removet hunc cultum
Sepulti confessio.

6a. Pinus daemoni dicata,
Errore pessimo
Gentilium celebrata,
Dum caeditur a paganis,

6b. Signum crucis dat Martinus,
Quo quasi funibus
Retroducta ruit pinus,
Horum sic spes fit inanis.

7a. Flamma sanum dum comburit
Vento ducta domum urit,
Sed crucis signaculo,

7b. Quamvis contra venti flatus,
Hanc retorquet vir beatus
Admirante populo.

8a. Sic defensum paganorum
Fanum sternit angelorum
Martinus auxilio.

8b. Tetradius baptizatur,
Dum ipsius liberatur
Servus a daemonio.

9a. Vir leprosus emundatur
Martini per osculum,

9b. Paraliticus curatur
Per crucis signaculum.

10a. Daemon Christo conformatus,
Auro, gemmis coronatus,
Veste nitens regia,

10b. Christum esse se mentitur,
Sed Martino comperitur
Daemonis astutia.

11a. O virum vere beatum,
Qui nec visam timuit
Sibi mortem,

11b. Nec se dixit fatigatum,
Sed in Deo posuit
Suam sortem.

12a. Christum ergo deprecemur,
Ut per haec solemnia

12b. Cum Martino gloriemur
In coelesti patria.

Grad. ms. saec. 15. Cod. Remens. 170. — Mel.: Congaudentes exsultemus. — 6a, 1 Prius daemoni Hs. — 6a, 4 creditur Hs. — 10a, 1 Demum Christo Hs.

339. De sancto Martino.

1a. Pulset astra vox sublimis,
Sublimari digna nimis
Occurrunt solemnia,

1b. Quibus gaudet se Martinus
In Abrahae sacros sinus
Excipi cum gloria.

2a. Seminavit hic non parca,
Quod fidelis patriarcha
Nunc metit in area,

2b. Hic suave tulit jugum,
Ut multarum ibi frugum
Possideret horrea.

3a. Rectus corde, mente pronus
Leve Christi tulit onus
Ab adolescentia;

3b. Spernit miles Christi munus
Nec tribuni vult tribunus
Patris tribunalia.

4a. Pauper nudus et inanis,
Gelu tremens, Ambianis
Secus portae limina,

4b. Immo Christus hujus viri
Veste jactat se vestiri
Manu catechumina.

5a. Quod salvator fecit prius,
Hoc et iste per illius
Nomen fecit postea:

5b. Quos tenebant mortis portae,
Revocavit tres a morte
Sicut Christus antea.

6a. In aerumis, dies omnis
Fuit illi nox insomnis
Et fatiscens palpebra,

6b. Utens cibo nunquam sibi
Satisfecit usus cibi
Potusve illecebra.

7a. Tremebunda tandem febris
Vexat eum, ipse crebris
Letaniis aethera,

7b. Nec admittit sibi tamen
Vel substerni vile stramen
Vel mutari latera.

8a. Nec opertum cilicinis
Cineremque foedat cinis
Aut vestis serigera,

8b. Sed mutatur super claro
Lacte candens ejus caro
Eadem et altera.

9a. Gloriosi compos finis
Manibus se resupinis
Vertens versus aethera:

9b. Sic nos, inquit, decet mori;
Mox coelestes adstant chori
In ejus obsequiis.

10. Quos beatus Severinus
Stupens auscultat eminus
Jubilantes alleluja.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. — 2 a, 1 parce Hs. — 2 a, 2 patriarce Hs. — 6 a, 1 Dies omnis in aerumnis Hs. — 7 b, 2 Quod substerni Hs.

340. De sancto Martino.

1 a. Laetabundus
Exsultet fidelis chorus,
Alleluja.

1 b. Gratuletur
Ad sancti Martini laudes
Et praeconia.

2 a. Pauperi compatiens
Adhuc catechuminus
Miseretur,

2 b. Nudum palla vestiens,
Qua vestitum Dominus
Se fatetur.

3 a. Non protectus clipeo
Vult hostili cuneo
Obviare,

3 b. Signum crucis praevium
Assumens praesidium
Singulare.

4 a. Fontem sitit dogmatis,
Lavacro baptismatis
Renovatus

4 b. Delet idolatrias
Purgatque spurcitias
Et reatus.

5 a. Obstat crucis hostibus,
Imperat daemonibus,
Medetur languoribus
Dans levamen.

5 b. Dum Deo sacrificat,
Globus ignis indicat,
Quod eum purificat
Sacrum flamen.

6 a. Hic fidem adstruit,
Et quos mors tenuit,
Vitae precibus
restituit.

6 b. Cives angelici
Laude multiplici
Defuncto plaudunt
pontifici.

Miss. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 74. A. — Miss. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 77. B. — 1 b, 3 eine Silbe Überschufs oder Verschleifung. — 3 a, 2 Ultra hostili A. — 6 b, 3 plaudant AB. — Mel.: Laetabundus.

341. De sancto Martino.

1 a. Festi decus praeoptati
Ampliare sint parati,
Qui sanctorum addicati
Sumunt beneficia;

1 b. Quanti ferant cor ardoris,
Fateantur voce foris,
Licet cuncta confessoris
Dici vetet copia.

2 a. Vitae panem atque potum
Consecrantes solvant votum
Et de gemma sacerdotum
Ornent sacerdotia;

2 b. Plebs sub tanto confessore,
Si non rhythmis aut canore,
Donis tamen aut favore
Sit in laude socia.

3 a. Sed mirandus est imprimis
In Martino rex sublimis,
Vallis hujus quem ab imis
Traxit ad sublimia.

3 b. Nam ab aevo puerili
Pompae negans se hostili
Catechismum in gentili
Suscepit infantia.

4a. Regum miles ad edictum
Non est lapsus in delictum,
Sed nil servans praeter victum
Dispersit stipendia.

4b. Decus addit ejus gestis
Porta nudo data vestis,
Vox induti manet testis
Ambianis conscia.

5a. Ad baptismum ut promotus
Hoste pulso Dei totus,
Constans fuit ac devotus
In Christi militia,

5b. In mundano flore splendens
Mundum sprevit parvipendens
Et cucullam apprehendens
Fugit saecularia.

6a. Monachorum pater factus
Mox ad mitram est coactus,
Cujus clara fit per actus
Turonis ecclesia.

6b. Tribus nec non suscitatis
In virtute trinitatis
Apostolis par beatis
Floret in potentia.

7a. Ah superbis grave mirum,
Contemplantis vitae virum
Successuri clam delirum
Vocavit superbia.

7b. In eodem mox propheta,
Quae praedixit, sunt impleta,
Nam successor per decreta
Passus est opprobria.

8a. Metam quoque vitae novit
Et ut pace clerum fovit,
Ad lamenta suos movit
Per mortis indicia.

8b. Cessit ergo noctis hora,
Dans in carne spem decora,
Turba sequens cum canora
Sanctae vitae praemia.

9a. Felix morte fit Martinus,
Quem Abrahae cepit sinus,
Testes nocte Severinus
Sensit de Colonia.

9b. Cras undeno noni mensis
Praesul Mediolanensis
Mente raptus est surpensis
Verbis ad obsequia.

10a. Te, Martine, plebs Turonis
Et diversae regionis
Urbes laudant cum personis
Et locorum milia.

10b. Et tu memor mundanorum
Hunc ad tutum transfer chorum,
Ut cum grege confessorum
Decantent Alleluja.

Miss. ms. Vedastinum saec. 14. in. Cod. Atrebatens. 888. A. — Grad. ms. Vedastinum saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Atrebatens. 1011. add. saec. 14. in B. — 3b, 3 Cathecisum A; Cathecinum B.

342. De sancto Martino.

1a. Martini praeconium
Dividentis pallium
Attollat humilium
Verus amor.

1b. Amoris connubium
Fit ei coenobium,
Cujus nescit otium
Cordis clamor.

2a. Ave, gemma praesulum,
Sanctitatis speculum,
Te decet in saeculum
Laus et honor.

2b. Tu solamen pauperum,
Quem ad culmen operum
Sacri regis siderum
Traxit odor.

3a. Ave, cujus precibus
Sospitatis omnibus
Datur aegrotantibus
Medicina.

3b. Tu prece cum vinceris,
Cum amotis ceteris
Te serviri pateris
A regina.

4a. Ave, cui signaculo
Ignis patet sedulo,
Dum offers in populo
Sacramentum.

4b. Tu divino munere,
Vocas tres de funere,
Tu es pacis liberae
Condimentum.

5a. O Martine, propera,
Nos a culpa libera
Pioque confoedera
Redemptori.

5b. Da virtutis merita,
Caritatis opera
Et in vitae vespera
Bene movi.

Miss. ms. S. Amandi saec. 14. Cod. Valentianens. 111.

343. De sancto Martino.

1a. Voce clara plebs exsulta,
Manet enim tibi multa
Gaudendi materia;

1b. De Martino Deo grato,
De praeclaro, de beato
Geruntur solemnia.

2a. Si gaudemus, non est mirum,
Tantum praedicantes virum,
Virum apostolicum;

2b. Pium inter militares,
Sanctum inter saeculares,
In terris angelicum.

3a. Ortum duxit non de vili
Patre licet de gentili
Natus in Sabaria,

3b. Hic natalis est Martini,
Sed alendum hunc Ticini
Recepit Italia.

4a. Puerilis in hoc aetas
Nam matura transit metas
Ineuntis pueri,

4b. Sordescente sibi vita
Saeculari eremita
Puer optat fieri.

5a. Quod est Dei, totum sequens,
Fide plenus agit frequens
Circa monasteria,

5b. Quiquid docet servum Dei,
Nec obsistit in hoc ei
Coacta militia.

6a. Servus Dei non protervit
Sed vicissim servo servit,
Reddit et obsequia,

6b. Quam decenter, quam honeste
Christum tegit illa veste
Pauperis dimidia.

7a. Dei spiritu repletus
Docet, quod non causa metus
Miles esse fugiat;

7b. Christum solum dum secutus
Factus inter hostes tutus
Hostes reconciliat.

8a. Laus Martini non est torta
Nec ex causis non est orta
Levibus aut frivolis;

8b. Sed censetur crebris signis
Sicut probat globus ignis,
Esse par apostolis.

9a. Annon martyr est Martinus,
Cui reflexa parcens pinus
In hostes revolvitur?

9b. Praesul, gemma confessorum,
Suscitator mortuorum
Trium esse dicitur.

10a. Cujus vita fuit pura,
Statione jam secura
Inter choros virginum

10b. Deo dante, Deo duce
Ipsum in praeclara luce
Contemplatur Dominum.

11a. Ergo nostro nos in fine
Servos tuos, o Martine,
Christo sic concilia,

11b. Mole carnis ut exutos
Nos ab hoste ducat tutos
Ad aeterna gaudia.

Miss. ms. S. Petri Moissiacensis saec. 15. Cod. Tolosan. 106. — 8b. 1 Non sensetur rebus lignis Hs.

344. De sancto Martino.

1a. Hac in die voce, voto
Christo laudes cum devoto
Decantemus spiritu,

1b. Qua decantat coeli chorus
Hymnos dulces concanorus
In Martini transitu.

2a. Quid Martino dignum canam,
Nondum plene Christianam
Fidem puer adiit,

2b. Cum cor ejus jam desertum
Concupivit ad desertum,
Quo post laetus abiit.

3a. Dum ad portam Ambianis
Nudus pauper vestis, panis
Rogat alimoniam,

3b. Spernit fervens ardor mentis
Et ridentes et stridentis
Hiemis insaniam.

4a. Aere carens vestem scidit,
Per soporem nocte vidit
Hac indutum Dominum,

4b. Veste data gloriantem
Et Martinum collaudantem
Adhuc catechuminum.

5a. Hic inermis et securus
Hostes mane pervasurus
Donativa reddidit,

5b. Caritate praecellenti
Pedes usque servienti
Versa vice subdidit

6a. Sub quacunque forma latet,
In instanti sancto patet
Daemonis versutia,

6b. In instanti pulsus cedit,
Perit morbus, salus redit
In ejus praesentia.

7a. Manum mittens inter dentes
Ab obsesso per foetentes
Partes exit spiritus;

7b. Hastatorum angelorum
Armis fretus profanorum
Fana sternit funditus.

8a. Sub securi stat securus,
Retro cadens percussurus
Sanctum Dei gladium.

8b. Cultri ferrum evanescit
Curatoque servo crescit
Fides in Tretadio.

9a. Tres defunctos suscitavit,
Osculando lepram lavit,
Cruce pinum repulit,

9b. Veste tectus cilicina
Cor et manus ad divina
Semper orans extulit.

10a. Minus apte nudo scissae
Sunt in missa vesti missae,
Qua vestitur, manicae;

10b. Ad Martini tactum chartae
Solidantur omni parte
Membra paraliticae.

11a. Contra ventum flammas volvit,
Turbae ligat et absolvit
Gressus fractis idolis.

11b. Vere verbo, vita, signis
Et per globum scitur ignis,
Esse par apostolis.

12a. Qui nec vitam recusavit
Neque mortem formidavit
Fera stante proprius;

12b. Ad sepulchrum cujus visus
Vel totalis vel divisus
Legitur Ambrosius.

13a. Martine, gemma praesulum,
Ad te clamantem populum
Ex hac valle miseriae,

13b. Tuis adstantem laudibus,
Tuis orationibus
Transfer ad regna gloriae.

Miss. ms. S. Amandi saec. 14. Cod. Valentianens. 111. — 1b, 2 cum canorus Hs. — 5b, 2 serviendi Hs. — 7a, 2 sq. perferentes partus Hs. — 9a, 3 primum Hs. — 10b, 1 Martinum.

345. In Translatione s. Martini.

1. Laudes summi confessoris
Extollamus cordis, oris
Dulci cum melodia.

2a. Dulci viro
Cantu miro
Jubilemus,
Qui tenemus
Ejus beneficia.

2b. Dulcis foris
Sit laus oris
Laeto corde
Sed a sorde
Munda conscientia.

3a. Tanti patris tam insignis,
Quem declarat miris signis
Divina potentia,
Praesens nobis
adest festivitas,
Turonorum
exsultet civitas,
Plebs ipsius propria.

3b. In Martini die festo,
Chorus noster, laetus esto
Solemni laetitia,
Insistendo
laudibus praesulis,
Quem praeclarum
multis miraculis
Recolit ecclesia.

4a. Hic egeno non invitus
Vestem suam est partitus
In hieme media,

4b. Sed de veste data nudo
Angelorum multitudo
Laeta fit in gloria.

5a. Gentes orbe de remoto
Cedunt viri sancti voto
Et remittunt proelia:

5b. Latro cedit et salvatur
Et relicta baptizatur
Credens idolatria.

6a. Cujus sancti prece pura
Mors amittit sua jura
Et infernus spolia;
Reddens catechuminum
Pro quo pulsant Dominum
Martini suspiria.

6b. Alter laqueo suspensus
Ad vitales redit sensus
Per hujus suffragia,
Pollens his virtutibus
Datus est hominibus
Praesul ac custodia.

7a. Praesul factus
Sed coactus,
Sicut bonus
Pastor onus
Sumit, non fastigia,

7b. Nec virtutum
Iter tutum
Aufert ei
Fastus rei
Nec flectit ad vitia.

8a. Haec ostendunt ejus facta,
Prius cadens retroacta
Et puellae membra nacta
Salutem debilia.

8b. Videns caecus, loquens mutus,
Claudus gressum consecutus
Et defunctus restitutus
Vitae vice tertia.

9a. O beata virtus viri,
Cui par nequit inveniri,
Quem in tantis exaudiri
Reserat historia.

9b. Qui cor habens in divinis,
Legi carnis non acclinis,
Sciens horam sui finis
Migrat ad coelestia.

10a. Hic de mundo mundus ita
Migrans vir Israelita,
Dum transiret ab hac vita,
Angelorum est audita
In coelis harmonia.

10b. Nunc in choro angelorum
Adstans decus confessorum,
Sume vota servulorum,
Per quae nobis peccatorum
Detur indulgentia.

Miss. ms. Martini Turonens. saec. 15. Cod. Turonens. 194. A. — Miss. ms. S. Martini Turonens. saec. 15. Cod. Turonens. 195. B. — 10a, 2 vir fehlt A. — Mel.: Laudes crucis.

346. In Reversione s. Martini.

1a. Laeta dies et votiva,
Dies festa, dies nova,
Nova refert gaudia;

1b. Exsultemus et laetemur,
In hac die gloriemur,
Concrepet melodia.

2a. Mens jubilet medullata,
Vox resultet modulata,
Martinus revertitur;

2b. Laus erumpat libera
Vivae vocis opera,
Martinus excipitur.

3a. Vi bellorum abierat,
Deportatus exstiterat,
Tota luget regio,

3b. Quo tardente crescit luctus,
Maeror cleri, gravis quaestus
Corporis exsilio.

4a. E diverso plausu miro
Exsultavit hoc thesauro
Urbs Antisiodora.

4b. Cedunt arma, pax redditur,
Margarita reposcitur,
Praesul urbis renuit.

5a. Turo regem interpellat,
Reddi gemmam ut compellat,
Petisse nil profuit.

5b. Spe frustrati sic redeunt,
Spe fulti Christum adeunt:
Adsis nobis coelitus.

6a. Audi preces, suspiria,
Te Martini memoria
Nostri tangant gemitus.

6b. Mi dilecte revertere,
O Martine, revertere,
Propera velocius.

7a. Sic exclamant nec incassum,
Adest potens dicens, assum
Comes Ingelgerius.

7b. Vadam ipse, et reducam
Sacrae domus hujus arcam,
It Antisiodorum.

8a. Dum festinat, clerus orat,
Plebs jejunat et deplorat:
Veni, pater pauperum.

8b. Comes instat, reddant corpus,
Datur, ferunt gratum opus,
Deducunt cum laudibus.

9a. Intrat pastor provinciam,
Grex mox sentit praesentiam
Mirandis virtutibus.

9b. Martino repatriante
Dextra, laeva, post et ante
Morbus cedit gratiae.

10a. Plantae virent, vernant flore,
Fugit hiems prae dulcore
Revertentis gloriae.

10b. Obviam pergit civitas,
Plaudit, gaudet omnes aetas,
Grandis est laetitia.

11 a. Repausat hic arca sancti,
Referta manna coelesti,
Martini praesentia.

11b. Quod cupivi, jam video,
Quod speravi, jam teneo,
Martinum in gloria.

12a. Haec est aula praedilecta,
Gemma fulgens, margarita,
Revirent haec atria.

12b. Nos in lecto cum dilecto
Quiescamus et in alto
Sonet evangelium.

Miss. ms. S. Martini Turonens. saec. 15. Cod. Turonens. 194. — Der Reim gerät nach 4a in Unordnung bis zum Schlufs, es müfste denn hinter 4a eine Strophe ausgefallen sein.

347. De sancto Mauritio.

1. Hac die solemni voces
persultemus jubili.

2a. Laudum grates devote
modulantes spiritus
et sensuum gestibus

2b. Christo regi mortalis
factus qui nos homines
Dei fecit liberos.

3a. Magnus innocens
passionem subiens,
Ut, qui laverunt stolas suae
Christianitatis
purpurante
agni sanguine,
haeredes habeat.

3b. Quibus indui
hi Thebaei martyres
Hierosolymis meruerunt
primitus, hinc Romam
adeuntes
apostolico
firmantur praesule.

4a. Ut spontaneo
penderent sanguine
vitaeque defectu carneae
vitam sine finis limite.

4b. Quos emeritus
ductor Mauritius
ut erexerat ad agonem,
sic duxit et ad victoriam.

5a. Nam plebs Domini
a firmitate fidei

5b. Minis impii
nequaquam quivit movere.

6a. Petens coelica,
parvipendens terrena.

6b. O quot martyrum
pretiosae animae

7a. Coeli patriam
possederunt hac die.

7b. Fide stabiles,
sanctitate pariles.

8a. Clari genere
virtuteque gloriosi,
Deo pleni
Viri strenui sexcenti
et sexageni
sub sex primoribus
sena milia.

8b. Quos cum perfidus
incitat ad adoranda
simulacra,
Hi praeponentes offensam
celsi tonantis
hoc fore denegant
fantes talia:

9a. Tibi carnis
impendimus militiam,

9b. Deo nostro
spirituum munditiam.

10a. Hinc mox jubentur
decimari,

10b. Omnes non cedunt
exstirpandi.

11a. Illuxit dies,
quam dedit Dominus,
Suos fideles
ad coeli lumen
ex mundi tenebris vocari.

11b Maximianus
nam jussit impius,
Christicolarum
se spernentium
tot milia neci simul dari.

12a. Quod taliter
ordinis deserti
crescit numerus,

12b. Favent etiam
elementa mundi
complaudentia.

13a. Laudent simul,
homines tot
ad coelos evolasse,

13b. Subsequendi
spem habentes
telluris indigenae.

14a. Et nos die ista
exoramus,
ut per te
propitius veniat,

14b. Mauriti, Dominus
atque nobis
fautrix haec
legio, quo capiat

15. Nos regio,
qua dant laudes
chori coelorum regnanti.

Cod. Palat. Vindobonens. 1580. saec. 12. — 3a, 7 cohaeredes Hs. — 4b, 3 agoniam Hs. — 5a, 2 a fehlt Hs. — 6b, 1 O quod Hs. — 7a, 2 hac in die Hs. — 12a, 2 ordines Hs. — 13a, 1 simul ergänzt. — 14b, 1 Mauritii Hs. — 14a und b bilden mit 15, 1 nur eine Klausel in der Hs.

348. De sancto Mauro.

1a. Adest dies veneranda,
Dies melis decoranda
Et camoenis dulcibus,

1b. In hac die pulset caelos
Concordatum dulce melos
Vita, voce, moribus.

2a. Haec est dies semper grata,
Patris Mauri consecrata
Dulci patrocinio,

2b. Plaudat ergo noster chorus,
Totus laetus et decorus
Concordi tripudio.

3a. Sanctus enim Dei Maurus,
Quem victorem mundi laurus
Coronat in specie,

3b. Deponendo carnis molem
Clarum sidus supra solem
Felix scandit hodie.

4a. Christus nos jubet videre,
Maurus semper vidit vere
Ab adolescentia,

4b. Dum cognovit, malum cavit,
Et virtutes adamavit
Atque sprevit vitia.

5a. Puer enim duodennis,
Quo fit dies hic solennis
Coepit Deum colere,

5b. Benedictus timens Deum
Nutrit atque docet eum
Semper recte vivere.

6a. Christus jubet vigilare,
Vigilasti, pater Maure,
Cum ingenti studio,

6b. Raro somnum capiebas,
Stans aut sedens dormiebas
Indutus cilicio.

7a. Benedicti vivens more
Fame corpus et algore
Edomabas nimio;

7b. Nos orare Christus monet,
Hic priusquam signum sonet,
Est in oratorio.

8a. De virtute in virtutem
Crescens Maurus domat cutem,
Obedit spiritui,

8b. Amat Deum et veretur,
Patri carus hinc habetur,
Atque fratrum coetui.

9a. Ordinatus hic levita,
Ut magister vixit ita.
Fecit et miracula;

9b. Benedicto fit sodalis
Et adjutor nullus talis
Jam erit in saecula.

10a. Patris jussu Benedicti
Super aquas more Petri
Currens traxit Placidum;

10b. Sic, qui fide non nutavit,
Super flumen ambulavit
Sicco pede liquidum.

11a. Caeco nato lumen praebet,
Grates reddit hic, ut debet,
Et Deum glorificat;

11b. Plures Maurus a languore
Benedicti sanat more,
Tres defunctos suscitat.

12a. Invocemus ergo Maurum,
Ut de lacu vitiorum
Prece nos eripiat;

12b. Curre, pater, et festina,
Ad te trahe, ne sentina
Baratri nos recipiat.

13a. Tibi, pater, assistentes
Semper serva congaudentes
Tuo patrocinio,

13b. Ut post mortem in sanctorum
Mereamur electorum
Adjungi consortio.

Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572. Cod. Ambianens. 132.

349. De sancto Maximo.

1. Congressus virtutis

2a. Divinae fretus
juvamine

2b. Perpulchre hostis
atterere

3a. Certasti
antiqui vires
strenue,

3b. Protectus
munere sacro
palmaque,

4a. Sacra legis sacrae
dans monita
benigne.

4b. Spernat justus quaeque
vana quisque
concite

5a. Hostem pellendo
fide, mente
atque corde,
summo rege
e supernis
favente.
Tuis alumnis

5b. Clemens faveto,
sancte, pie
pastor duxque,
ferto preces
Christo hujus
catervae,
Per quem jam pridem

6. Congressus es hosti.

Brev. ms. S. Maximi saec. 15. Cod. Aurelianens. 113. — Die Melodie ist ohne jeden Parallelismus, weshalb der vorstehend hergestellte durchaus zweifelhaft bleibt. — 4b, 3 quoxite Hs. — 5b, 1 Pie clemens faveto, das erste überzählig und in 5b, 2 wiederkehrend.

350. De sancto Maximo.

1a. Incrementa dans virtutum
Vitam puram iter tutum
Nobis, pater, obtine,

1b. Tuis semper esto scutum,
Gregem serva te secutum
Ab hostis conamine.

2a. Tuis pater laudibus

2b. Adsis insistentibus,

3a. Moribus
Bonis et virtutibus
Instrue,

3b. Precibus
Nos a culpis omnibus
Ablue.

4a. Prece fusa
Nos excusa
Judicis in curia,

4b. Apud Christum
Chorum istum
Clementer concilia.

5a. Per nos non sufficimus
Impetrare,

5b. Impetra, quod petimus,
Vir praeclare.

6a. In patris natalitio
Hujus chori devotio
Jucundetur in gaudio;

6b. Patris natalitia
Celebret ecclesia,
Longe fiant tristia.

7a. Gaudium in curia
Fit coelesti,

7b. Inter tanta gaudia
Nil sit maesti.

8a. Hodie
Dies est laetitiae,

8b. Hodie
Nos, pater eximie,

9a. Christo regi gloriae
Repraesenta,

9b. Da pacis et gratiae
Incrementa.

Brev. ms. S. Maximi saec. 15. Cod. Aurelianens. 113. — Die Melodie der Prose zeigt auffallenderweise keine Spur von Parallelismus. Vor 6b, 1 und 6b, 3 steht überzählig Eja und zwischen 9a und 9b versstörend und sinnverderbend Hodie coelesti curiae.

351. De sancto Maximo.

1a. Stella decens matutina,
Rosa recens sine spina,
Magne, major, maxime,

1b. Tu languoris medicina,
Tu dulcoris fons, doctrina
Boni, pastor optime.

2a. Tu decoris speculum,
Amoris signaculum,
Tu dignus praeconio;

2b. Gemma pura praesulum,
Regens cura populum,
Dignus sacerdotio.

3a. Cum sis dignus omni laude
Ac benignus gaude, gaude
Inter coeli lumina;

3b. Signum hujus approbavit
Lactens, cujus occupavit,
Guttur plumbi lamina.

4a. Saccus signum fit hac villa,
Quam sis dignum cum cavilla
Circum lignum ferens illa,
Quae de te attulerat.

4b. Te elegit rem divinam,
Cujus fregit currus spinam,
Gaudens egit post ruinam,
Quidquid prius egerat.

5a. Quam lauderis, hoc distinxit
Sic miseris cujus vinxit
Manus tirocinium,

5b. Quem Vernonis pressit murus,
Gaudet donis, qui passurus
Erat mortis proelium.

6a. Villa bona, virens Verno,
Regi dona tu superno
Laudes et praeconia,

6b. In honore tanti viri
Cujus morte resarciri
Valent vitae gaudia.

7a. Ave, gemma,
solis mittens radium;

7b. Ave, pater
prolis Vernonensium.

8a. Tu nostra spes et solatium,
Tu nostrum dulce refugium
Et athleta.

8b. Tu vita, pastor Regensium,
In morte urbs Morinensium
Gaudet laeta.

9a. Vir es ineffabilis,
Vires seris nobilis,
Vires frangis humilis
Nequissimi precibus.

9b. Maximus re, nomine,
Optimus solamine,
Proximus in numine
Es choris coelestibus.

10a. Verno, psalle, plaude, canta,
Nostra valle laude tanta
Dignum lauda praesulem,

10b. Cordis ore pie ora,
Cum dulcore die, hora
Omni tantum consulem,

11a. Te precamur, pater bone,
Ne laedamur a praedone,
Sed fruamur nos agone
Mortis facto gloria.

11b. Sic nos mundi munda faece,
Ut nos mundi munda prece
A profundi fundi nece
Liberemur impia.

Miss. ms. Ebroicense saec. 14. Cod. Rotomagens. 304.

352. De s. Michaele cum Angelis.

1. Michael, Gabriel,
Raphael, adestote,

2a. Summae trinitatis
nuntii summi,

2b. Tres tribus officiis
praepositi.

3a. Nam tu sacerdotum
Deo ministrantum
comminister
es, Michael,

3b. Juxta aram templi
director incensi
aureum per
thuribulum.

4a. Sed tu, Gabriel,
sine fine Jesum
nuntias regnaturum,

4b. Contra peccatum
administras regnum
justitiae invictum.

5a. Tu, Raphael,
medicando
atque nuptias
ordinando

5b. Deo mentem,
menti carnem
casto socias
conjugio.

6a. Sic thus et aurum
myrrhamque vos offertis
et offerre docetis,

6b. Sacerdotale
regnum in castitate
disponendo ecclesiae.

7. Quae sacrata ut regina
conjuncta Christo
jam plene vobis collaetetur,
per vos vestrosque cives juvetur.

Grad. ms. Palat. Vindobonens. 13 314. saec. 11. add. saec. 13.

353. De sancto Michaele.

1a. Trinae regi hierarchiae
Cantum dulcis melodiae
Nostra det devotio,

1b. Mira laus epiphaniae
Summae vocat harmoniae
Flammas ire solio.

2a. Aula dominantium,
Virtus mirabilium,
Vis fugatur hostium
Est hyperphaniae.

2b. Decus principatuum,
Robur exercituum,
Solamen spirituum
Est hypophaniae.

3a. Sic ter ordo triplicatur,
In quo digne principatur
Gloriosus Michael;

3b. Per hunc draco superatur,
Hoc per nubem liberatur
Quondam dictus Israel.

4a. Hic est coeli lumen clarum,
Deductivum animarum
Per deserti invia;

4b. Hostes laedit et obscurat,
Nos praecedit et depurat
Vitae pandens ostia.

5a. Antichristum conteret,
Crucem Christi proferet
Die visitationis;

5b. Meritis nos aggeret,
Ut tunc nobis reseret
Portam summae mansionis.

Miss. ms. Augustin. anni 1331. Cod. Tolosan. 93.

354. In Apparitione s. Michaelis.

1a. Laetabundus
Exsultet fidelis chorus,
Alleluja,

1b. Nam factum est
Proelium in coelis magnum,
Res miranda.

2a. Michael, quis ut Deus,
Lucifer primus reus
Gerunt bella,

2b. Casum rapit lucifer,
Regna tenet signifer
Semper clara.

3a. Sicut draco dissonis
Compunitur angelis
Pari forma,

3b. Michael sic cum bonis
Fruitur deliciis
Certa norma.

4a. Boni nobis angeli
Defensores sunt missi
Valle nostra,

4b. Ne fraude diaboli
Nos erremus devii
Carne prompta.

5 a. Isaias cecinit,
Lucifer cum cecidit,
Qui post semper tenuit
Loca caeca.

5 b. Quem Michael protegit,
Causam casus refugit,
Cauta mente meminit
Haec praedicta.

6 a. Nunc coeli milites.
Pro nobis vigiles,
Precemur supplices
Prece pia,

6 b. Ut post haec funera
Procurent gaudia
Nobis coelorum
In patria.

Grad. ms. Strahoviense H I 2 anni 1611. — Mel. natürlich: Laetabundus.

355. De sancta Mildretha.

1 a. Christe, salus hominum,
angelorum gloria,

1 b. Nostro modulamini
adsint coeli agmina.

2 a. Tantam qui
concedis gratiam
mirificisque
muneribus cumulas

2 b. Mildretham,
tibi devotissimam;
unde debita
damus laudum cantica.

3 a. Quia tua magnalia,
Christe, nobis commendant
inclita
sanctorum merita,

3 b. Mundo per saecula nota;
exaudi, Deus, nostra
carmina
devotissima.

4 a. Ecce, quam glorificas
tibi adamatam,
regia stirpe progenitam
puellam,

4 b. Degentem virginea
gratia vexabant
daemoniorum praestigia
gravia.

5 a. Instinctu denique pessimo
ardenti clibano mittitur,
quam tu protexeras
et illaesam
conservaveras.

5 b. Ob ejus merita inclita
omnes tibi dicimus gratias,
ut per ejus suffragia
consequamur
coeli gaudia.

6 a. Frequentabant angelorum
hanc sanctorum obsequia,

6 b. Angelicae puritatis
condecoratam gloria.

7 a. Evidenter
virginem spiritus
[paracliti]
sancti visitat gratia,

7 b. Caput ejus
et membra protegens;
o quam digna
sanctitatis indicia.

8 a. Cujus per meritum
illustrantur pignoris
gratia

8 b. Ejus ovilia
et reconsignata
agmina.

9 a. Ergo, pie Domine,
per ejus suffragia
suscipe carmina;
Ave tibi laude devota

9 b. Concinimus consona;
ascendant, quaesumus,
precum oramina
et tua sustenta dextera

10a. Nostrorum
infima virium
virtutum dans nobis
charismata,

10b. Ne ira
tua nos puniat,
sed hostis depellas
insidias

11. Et famulis perpetuam
concedas gratiam.

Cod. Londinens. Harl. 3908 saec. 12. Mit Neumen. — 2b, 4 tibi damus gegen das Versmafs und wohl aus 2b, 2 hieher verschleppt. — 4b, 1 Degente. — In Str. 7 ist versmafslich wie musikalisch der Parallelismus verkommen.

356. De ss. Nazario et Celso.

1a. Adsit nobis dies laeta,
Dies pacis, lux quieta,
Dies plena gaudio.

1b. Dies celsa, dies grata,
Dies Celso dedicata
Simul et Nazario.

2a. In aetate pupillari
Christum Celsus imitari
Didicit liberius,

2b. Cui vitae rudimentum
Et baptismi sacramentum
Contulit Nazarius.

3a. Hi probati sunt reperti
Dum tormenta sunt experti
Anolini praesidis,

3b. Nec per minas Denobai
Valuerunt fortes trahi
Ad votum tyrannidis.

4a. Jubet Nero fraudulentus,
Ut sit martyr Christi tentus,
Cujus rei dux est Dentus,
Miles incompositus.

4b. Nexus ferens et dolores
Flagra sprevit et terrores,
Mox torquendus post tortores
Currit puer inclitus.

5a. Nero, feras dum venatur,
Ab eisdem vulneratur
Et suorum pars necatur
Ferarum ferocia.

5b. A splendore sacri vultus
Clamor cessat et tumultus,
Commendatur Dei cultus
Visa lucis gloria.

6a. Larvis deûm dissipatis
Nero, fomes falsitatis,
Dat piratis in mandatis,
Martyrem submergere,

6b. Quos emersus in momento
Laborantes gravi vento
Spiritali documento
Fecit Christo credere.

7a. Jam securi de coronis
Et de veris Dei bonis
Suae locum passionis
Christi testes adeunt,

7b. Hic germanis destitutis
Verba verae dant salutis,
Quibus rite persecutis
Ad agonem prodeunt.

8a. Quos immitis Anolinus
Feritatis pandens sinus
Eversis luminibus

8b. Ad tres Moros duci jussit,
Ibi lictor hos percussit
Resectis capitibus.

9a. Sic pro Jesu Christo secti
A devotis sunt collecti
Et sepulti sedulo,

9b. Aegris curam largientes,
Prece culpas remittentes
Supplicanti populo.

10a. Ergo, testes Deo cari,
Celse puer et Nazari,
Preco coeli curiae,

10b. Conservate gregem istum
Exorantes Jesum Christum
Pro nostrorum requie.

Miss. ms. Biterrense saec. 14. Cod. S. Josephi Lugdunens. Y d 5. — 3b 1 de nobai Hs. = Denobai?

357. In Translatione ss. Nazarii et Celsi.

1a. Hac sacra solemnitate
Verum Deum collaudate,
Omnes ejus famuli;

1b. Martyrum nostrorum late
Victoriam praedicate,
Christiani populi.

2a. Hos quicunque veneratur,
A Deo remuneratur,
Qui in sanctis gloriatur
Pro se morientibus.

2b. Per hos fides dilatatur
Suoque cultu privatur
Daemon et verecundatur
Is victus infantibus.

3a. Nam nec minae nec terrores
Fidei praedicatores
Vicerunt neque totores
Nec furor tyrannidis.

3b. Nec ictus neque dolores
Hujus vitae nec sponsores
Nec mors data per lictores
Annolini praesidis.

4a. Ad tres Moros decollati
Christi milites probati
In coelis tripudiant,

4b. Ubi trina Deo grati
Aureola coronati
Velut stellae radiant.

5a. Pro nobis patrocinari
Digneris et deprecari,
Qui te fecit super mari
Siccis ire pedibus,

5b. Cum Celso, pie Nazari,
Et a Deo nos juvari
Fac et sursum collocari
Cum sanctis spiritibus.

Miss. ms. Biterrense saec. 14. Cod. S. Josephi Lugdunens. Y d 5. — 2b, 4 His victus korrigiert in Is victus Hs.

358. De sancta Neomadia.

1a. Plaudat chorus coelicus
In festo Neomadiae,

1b. Et clerus authenticus.
Cum sono laetitiae.

2a. Haec est flos munditiae,
Sonus apostolicus,

2b. Per hanc morbus hodie
Fugit epilenticus.

3a. In agro Pictavico
Fuit haec plantata

3b. Et jussu dominico
Ibi radicata.

4a. Mente desiccata,
Ne fluat in Jericho,

4b. Sole radiata
Splendore mirifico.

5a. De stirpe Bonfaii
Refulsit haec stella,

5b. Thronus est imperii
Et sedentis sella.

6a. Dulcior quam mella,
Alba ut flos lilii,

6b. Refulgens puella
Lenis ut ros Maii.

7a. Per hanc Deus visitat
Caduce labentes,

7b. Et eos sollicitat
Et facit levantes.

8a. Piam exorantes,
Quae supremum excitat,

8b. Ut servet rogantes,
Quos morbos implicat.

9a. Solemnis basilica
Per hanc veneratur,
Nam pestis levitica
Ibidem fugatur.

9b. A clade pestifera
Morbidus curatur,
Virtute deifica
Pressus consolatur.

Append. ms. saec. 15/16. post. Miss. Turonense imp. 1533 (Semin. min. Turonens.). A. — Miss. Pictavense imp. Parisiis 1541 B. — 1b, 1 clerus autem ejus Hs. — 4a, 1 deificata B. — 5a, 1 stirpe Bausaii B. — 5b, 2 cella A. — 6a, 1 Dulcia. — 8b. 1 Et servet A. — 9a, 1 Solandis basilica B.

359. De ss. Nereo et Achilleo.

1a. Celebremus victoriam
Nerei et Achillei,
Quos ad perennem gloriam
Provexit ardor fidei.

1b. Hi Domitillae virginis
Conservabant cubiculum,
Cultores veri numinis
Et puritatis speculum.

2a. Tincti fonte baptismatis
Per Petri ministerium,
Puellae sacrae dogmatis
Impendunt magisterium.

2b. Horum salubri monitu
Rugam cavens et maculam
Toto refutat spiritu
Mortalis sponsi copulam.

3a. Clementis sacris manibus
Tecta sacro velamine,
Totis flagrat visceribus
Audito Christi nomine.

3b. Aurelianus igitur
Domitillam prosequitur,
Punire jam deliberat,
Quam prius desponsaverat.

4a. Succensus irae stimulis
Ad Pontianam insulam
Cum duobus vernaculis
Christi relegat famulum.

4b. Ibi Priscus et Furius,
Simonis magi complices,
Avertebant attentius
A sana fide simplices.

5a. Refragantur mendacio
Nereus et Achilleus,
Veritatis praeconio
Sermo cedit erroneus.

5b. Torquetur in equuleo
Nereus cum Achilleo,
Nec extorquet Christicolis
Lictor, ut litent idolis.

6a. Caesi flammis sunt traditi
Praecisisque capitibus
Suo junguntur capiti,
Quod regnat in coelestibus.

6b. Horum juvemur meritis
Ac prece saluberrima,
Ut in compage capitis
Membra simus vel ultima.

7. Nos Domitilla Flavia
Pari juvet instantia,
Quae viris par victoria,
Pari congaudet gloria.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123.

360. De sancto Nicasio.

1. Psallat nostra concio
Coeleati tripudio
Summa cum laetitia,

2a. Victori Nicasio
Coeli patet regio
Peracta victoria.

2b. Victor dictus nomine
Palmam ferens sanguine
Data Christi gratia.

3a. Devastatur regio
Armis et incendio
Dei patientia.

3b. Optantes auxilium,
Quaerentes refugium
Remis poscunt moenia.

4a. Occurrit furentibus
Pontifex Nicasius
Manuque pacifica
Indicit silentia.

4b. Hostibus objiciens
Se mactari cupiens
Salutaris hostia,
Qua salvatur patria.

5a. Caedit lictor,
Canit victor,
Quem incepit,
Os complevit.
Psalmum cum melodia.

5b. Ait soror:
Quid remoror
Vindicare
Et plorare
Tanta pro victoria.

6a. Jugulasti sacerdotem,
Ut corrumpas castitatem,
Magna est insania,

6b. Nam castitas conservatur
Et sacerdos coronatur
In coelesti gloria.

7a. Non feminea virtute
Sed divina potestate
A fronte luminaria
Revulsit Eutropia.

7b. Illa victrix, ille victus,
Percussoris adest ictus,
Consummatur agonia
Virginali victoria.

8a. Gratulatur plebs civilis,
Quia fugit pars hortilis,
Timent hostes fugientes,
Redeunt ad propria.

8b. Sancta martyr, pia virgo,
Nos in hujus vitae pirgo
Sic deducas, ut perducas
Ad coeli palatia,

9. Ubi laeti
cantemus alleluja.

Miss. ms. S. Remigii saec. 13. Cod. Remens. 122. add. saec. 14. — 8a, 4 Redeunt fehlt. Hs. — Mel. selbstredend: Mane prima Sabbati.

361. De sancto Nicasio.

1a. Gloriosi
Praesulis Nicasii
Reverendis attollamus
Canticis solemnia.

1b. Ut stupendis
Titulis gymnasii
Reverenter adjungamus
Martyris magnalia.

2a. Triumphale signat nomen
Et triumphi spondet omen
Et sentit mysteria,

2b. Cujus si quis vim exponat,
In virtutem tota sonat
Nominis potentia.

3a. In palaestra Christiana
Miles Christi spernens vana
Saülis insignia,

3b. Vices David assumebat
Et in hostes procedebat
Ferens pastoralia.

4a. Ferens fundam, ferens peram
Et in pera fidem veram,
Quae expugnat omnia,

4b. E funda lapis mittitur,
Dum de constanti promitur
Christus conscientia.

5a. Dum in unum conveniret,
Ut in Christum desaeviret,
Hunnorum vesania,

5b. Membra Christi protegebat
Et pro eis opponebat
Caput ad martyria.

6a. O res mira et stupenda,
In qua stupet exprimenda
Quaevis aetas sobria,

6b. Caput martyr decollatus
Immolatum immolatus
Tulit ad altaria.

7a. Caesum caput ferebatur,
Lingua tamen loquebatur
Salutis praeconia,

7b. Hic est martyr veritatis,
Semper vera pro gravatis
Ministrans auxilia.

8. Hunc precantes amplectamur,
Ut per ipsum muniamur
Contra quaevis noxia.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 180 A. — Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. B. — Miss. Cameracense imp. Parisiis 1542. C. — 2b, 1 Hujus AC. — 6b, 2 Immolatum fehlt C.

362. De sancto Nicolao.

1. Almi pastoris
ac paradoxi,

2a. Nicolai recolamus
praesulis
festa sacrata,

2b. Eximii bellatoris
Belzebub
adversus dolos.

3a. Hic est, quem miseratio
Domini
lapsa voce de coelo
providebat
pontificem
gregi salvando.

3b. Quando plebs devotissimis
precibus
sursum corda librabat
de pastore
sollicita
Deo placente.

4a. Hic innocentum
miserans juvenum
perditionem

4b. Accurrit eis
cito levamina
vitae ferendo.

5a. Hic prohibuit
facinora stupri
Auri pondere
virginibus dato
patris in edulium.

5b. Liquor olei
de tumulo fluxit
Ejus, quo uncti
languiduli statim
aderant incolumes.

6a. Precamur, ut nefas,
quod nobis imminet,
abstergas

6b. Et necessariis
saluti animae
collatis

7a. Et ungas oleo
nos saluberrimo,

7b. Quo mox perliberi
peste cunctigena

8a. Possimus coelestium
consortes gaudiorum
fieri perenniter

8b. In laude summi regis
o tecum Nicolae,
Confessor Christi praecelse.

Miss. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Londinens. Add. 24680. — 6a, 1 ut omne nefas Hs.

363. De sancto Nicolao.

1a. Exsultent filii sponsae
Domini
in honore praesulis
Nicolai,
magni meriti.

1b. Totus orbis jubilet, nam
ordines
angelorum concinunt,
coeli lumine
novo rutilant.

2a. Humano
Deus generi consulens
Nicolaum
ordinaverat,
qui assidua
ovibus pastor bonus
esset hostia.

2b. Lycia
quem ediderat splendidum,
Myreorum
plaga florida
sacratissimum,
spiritus in quo sancti,
est sacrarium.

3a. In pelvi steterat erectus,
claudae dedit gressum,
signo facto cypressum
succidenti validam
manu dederat.

3b. Expellit daemonis incursum,
lumen dedit caeco,
quod a nautis accepit,
frumentum distribuit
damni nescium.

4a. Auro dato
stuprum dessuasit,
proscriptos exemit,
de mortis lege dura
trinos viros eruit,
Cedronem
fecundum reddidit.

4b. Euphrosynae
natum reddebat,
imago subtractas
resignat opes caesa
non renato barbaro,
sed statim
in Christum credulo.

5a. In mari invocaris,
aura arridet clara,
non emanat oleum,
donec pontifex suae
redux cathedrae.

5b. Samuel David regem
unxerat Saul abjecto,
te divina gratia
sacerdotio fecit
fungi Aaron.

6a. Joseph Jacob paverat,
pascis populum
manna coelesti,
petra propinans
dulce poculum.

6b. Melchisedech ordinem,
Petri consequens
humilitatem,
Pauli impleris
sapientia.

7a. Job simplex et rectus,
Abrahae similis
obedis
te offerens in corde,
Isaac consocius.

7b. Nos tuis precibus
commenda Domino
supplices,
ecclesia pro sancta
advocatus coelicus,

8. O sancte Dei,
Nicolae, nos custodi.

Miss. ms. S. Floriani III 208 saec. 12. A. — Miss. ms. Sanblasianum saec. 13. Cod. Palat. Vindobonens. 1909 B. — Grad. ms. Palat. Vindobonens. 1334. saec. 11. add. saec. 13. C. — Cod. Palat. Vindobonens. 1885 saec. 12. D. — Miss. ms. Claustroneoburgense 71 saec. 14. E. — Miss. ms. Voraviense 37. saec. 12. F. — Miss. ms. Andecense saec. 15. Cbm. Monacens. 24 002. G. — Mel.: Symphonia. — 1a, 3 honorem BC. — 1b, 5 rutilent B. — 2b, 1 Nicea A. — 2b, 6 in quo sanctum B; sanctus D. — 3a, 4 validum A. — 4b, 7 Christo A.

364. De sancto Nicolao.

1a. Dulcis odor Nicolai
Cogit omnes ad se trahi
Salus aegris,
lapsis praesidium.

1b. Major virtus huic quam aetas,
Nam aetatis transit metas
Feriarum
servans jejunium.

2a. Auro servat castitatem
Et commendat trinitatem
Facta tribus
trina collatio.

2b. In frumento laus augmenti,
Clamant nautae, cessant venti,
Vas redditur
patri cum filio.

3a. Castus, prudens et benignus,
Pastorali gradu dignus
Voce lapsa
probatur coelitus.

3b. Corporales morbos sanat
Liquor, qui de membris manat,
Prece pia
sanatur spiritus.

4a. Commendati pro natura
Flagellatur in pictura,
Iconiae
passae compatitur.

4b. Reddi cogit theloneum,
Sanctum laudat credit Deum,
A pagano
templum construitur.

5a. Civis quidam, cui Judaeus
Aurum credit, fraudis reus
Comperitur
confracto baculo.

5b. Suscitatur suffocatus,
Videns credit et renatus
Insignitur
Christi signaculo.

6a. Magna virtus servi Dei,
Mira fides et Judaei,
Qui contemptus
fuit hoc obside.

6b. Imitemur et nos ei,
Porta vitae, portus spei
Militanti
sub tanto praeside.

Hymn. et Prosar. ms. S. Aldegundis Malbodens. saec. 13. Cod. Cameracens. 36.

365. De sancto Nicolao.

1a. Nitet carnis munditia,
Quod ostendit flagrantia
Mirae suavitatis,

1b. In oleique copia
Miratur abundantia
Effusae largitatis.

2a. Caruisti cuncto dolo,
Qui praefulges jam in polo
Cum sanctis perenniter,

2b. Quiescis in terrae solo,
Qui gustato gaudes dono
Deitatis jugiter.

3a. Lapsus premunt vitiorum,
Multorum periculorum,
Gravia dispendia,

3b. Adsit nunc suffragiorum
Tuorumque meritorum
Nobis efficacia.

4a. Callis premit miseriae,
Nisi divinae gratiae
Relevemur ducatu,

4b. Succurre indigentiae
Coelestisque fer gloriae
Sortem tuo precatu.

Miss. ms. Vissegradense ol. V Cζ saec. 15. — 1b, 2 abundantia ergänzt. — 4b, 2 fer ergänzt.

366. De sancto Nicolao.

1a. Nicolaum confessorem
Lauda pium et pastorem,
Militans ecclesia,

1b. Tanto patri jubilare,
Dulces hymnos personare
Decet cum laetitia.

2a. Magnum signum sanctitatis
Et futurae castitatis
Praebuit infantia,

2b. Quae se statim abstinebat
Semel tantum lac sugebat
Quarta, sexta feria.

3a. Hic renitens sublimatur,
Laus insignis ei datur
Et honor divinitus,

3b. Praesul cum efficitur
Et dignus ostenditur
Voce missa coelitus.

4a. O quam felix et praeclara,
Quantum summo regi cara
Talis est promotio,

4b. Quam non favor hominis
Dat nec amor culminis
Sed vera devotio.

5a. Hic ad thronum praesulatus
Tamquam Aaron est vocatus
A Deo feliciter,

5b. Tanto gradu non elatus
Mitis clemens, cunctis gratus
Vixerat humiliter.

6a. Fulsit ut sol Dei templo,
Verbo docens et exemplo
Fidem Christi populo,

6b. Vita sua sic doctrina
Quasi stella matutina
Lucet omni saeculo.

7a. Tunc prudenter vigilavit
Et talentum dispensavit
Creditum fideliter,

7b. Cum pudorem conservavit
Virginum, quas clam ditavit
Cum parente largiter.

8a. Dei cultum ampliare,
Sacra loca frequentare
Devote studuerat,

8b. Idola destruxit vana
Nec non fraudes, quas Diana
Machinata fuerat.

9a. Quod naturae denegatur,
Hoc vir sanctus operatur
Singulari gratia,

9b. Qui frumentum augmentavit,
Quod a multis postulavit
Famis in penuria.

10a. Ac adjuvit navigantes
Piis votis implorantes
Ejus patrocinia,

10b. Mox tempestas est sedata,
Visa dulcis aura grata
Suaque praesentia.

11a. A paganis puer captus,
Alter undis maris raptus,
Jugulatus puer aptus
Ternus a daemonio;

11b. Cunctis istis suffragatur
Et imago verberatur,
Plagas monstrat et minatur
Furti fit redditio.

12a. Ligno fracto fraus probatur,
Aurum cernens baptizatur
Judaeus, cum suscitatur
Defunctus in bivio.

12b. Innocentes liberati
Daemones et effugati
Caeci, claudi sunt curati
Sacro stillicidio.

13a. Nicolae, lux justorum,
Forma gregis, norma morum,
Pro salute devotorum
Funde preces famulorum
In coelesti patria.

13b. Ora patrem atque natum
Utriusque sacrum flatum,
Ut per tuum deprecatum
Nobis finem det beatum
Et aeterna gaudia.

Grad. ms. Lubicense s. sign. saec. 14. add. saec. 15. A. — Grad. ms. Lubicense s. sign. saec. 15. add. saec. 15. B. — Sequent. ms. Lubicense s. sign. saec. 15. C. — Mel.: Lauda Sion. — 5a, 1 Cum ad thronum A. — 7b, 2 bis 12b, 1 fehlen C, da ein Blatt ausgerissen.

367. De sancto Nicolao.

1. Nicolao gaudeat
Barrus, ad quem transeat
Nostra spes et gloria.

2a. Victis Myrae censibus
Cessit laus Barensibus
Cum summa victoria.

2b. Haec sacra translatio
Barorum confinio
Consolatur omnia.

3a. Virtus sancti spiritus
Hujus sancti transibus
Facta est praenuntia.

3b. Pompatim conveniunt,
Barri dum recipiunt
Exspectata gaudia.

4a. O beata Patera,
Quae lactentis ubera,
Quae juvenis merita
Prima est intuita;

4b. Ut lactens abstinuit,
Ut puellis adfuit.
Ut confecta vitia
Ejus lavit gratia.

5a. Patres sequens
Templo frequens
Facto clamat,
Quod mens amat
Jesum super omnia.

5b. Nutu Dei
Datur ei
Gres, quem pavit
Semper cavit,
Quod mens timet conscia.

6a. Tunc Myream
Sed nunc eam,
Quam accedit,
Terram prodit
Operum per merita.

6b. Illa prius
Est illius
Insignita
Sacra vita
Sed honore subdita.

7a. Ista corpus habet sacrum
Illa tantum simulacrum,
Tres urbes tria gaudia
Fuderunt in ecclesia.

7b. Primo pastorem nutrivit,
Sequens illum sepelivit,
Translati custos tertia
Mundum replet laetitia.

8a. O Nicolae confessor,
Sis pro nobis intercessor
Apud regem
Tuum gregem
Clementer concilia.

8b. Ut qui gregi, quem dilexit,
Pastor bonus jam surrexit
Oves suas
Atque tuas
Mundet data venia.

Miss. Virdunense imp. Parisiis 1554. — Mel. offenbar: Mane prima Sabbati. — 5a, 3 Fracto. — 5b, 4 caruit.

368. De sancto Nicolao.

1a. Magne Deus Adonai,
Nos ut nautas Nicolai
Duc de mundi turbine,

1b. In hoc mundo fluctuamus,
De profundo clamitamus,
Nos exaudi Domine.

2a. In hoc festo
Tui praesulis
Nunc adesto
Tuis famulis,
Salus in periculis
Et peccati vinculis.

2b. Ut mortale
Pellas odium
Salutare
Stillans oleum,
Oleum laetitiae,
Medicina gratiae.

3a. Unde nos divinitus
Unge, sancte spiritus,

3b. Munda cordis oculum,
Salvans cunctum populum.

4. Fac nos ipsum te videre,
Hoc est totum vitae verae.

Cod. Scotorum Vindobon. 52 g 18. saec. 14.

369. In Translatione s. Nicolai.

1. Gratias et laudes Deo
reddamus cum gaudio

2a. In hac festiva die,
cum Barenses Myreum
mare naufragando pervenere,

2b. Ex his quidam in portu
remansere, munita
pars venit ecclesiam occurrens.

3a. Dicunt custodibus:
nos orare venimus,
Sepulchrum sancti praesulis
Nicolai ostendite nobis.

3b. Quod servi monstrantes
invadunt hos Barenses,
Fregerunt vas marmoreum,
senserunt odorem Libani.

4a. Extraxerunt corpus sancti
veste presbyteri,
praetulerunt ad
portum navigii.

4b. Tunc per aequor navigantes
Barim deponentes
ubi laudatur,
coelo canitur

5. Alleluja.

Grad. ms. Aquicinctense saec. 15/16. Cod. Duacens. 124. — Mel.: Victimae paschali.

370. De sancto Oricolo.

1a. Remorum metropoli
Saltuum frutecta
Praetulit Oricoli
Mens deo subjecta.

1b. Algens et esuriens
Rubos ac dumeta
Vellicat multotiens
Ut Amos propheta.

2a. Judicans superfluum,
Si postulet plura,
Quam quod ope manuum
Postulat natura.

2b. Jure dato sceleri
Mente Deum prona
Rogat dignus fieri
Martyrum corona.

3a. Et patris diaboli
Soboles vesana
Rapit hunc, dum symboli
Reserat arcana.

3b. Mucronis Vandalici
acie districta,
Fidem praefert vertici
Caritas invicta.

4a. Flent sorores geminae
Ductum ad extrema,
Quibus pari sanguine
Par est diadema.

4b. Supra pedes obruti
Capitis stat ita
Corpus truncum veluti
Plenum esset vita.

5a. Fert caput contigui
Fontis ad fluenta,
Ubi possit ablui
A caede cruenta.

5b. Fusa super silice
Sanguinis litura
Findit hanc mirifice
Crucis in figura.

6a. Hoc signorum jubare
Fides est firmata,
Castra gentis barbarae
Procul effugata.

6b. Ac nobis accedere
Datur per haec tria,
Si corde et opere
Vocis symphonia

7. Jubilet Alleluja.

Miss. ms. S. Remigii saec. 13. Cod. Remens. 122. add. saec. 14. — 3b, 2 acie fehlt Hs.

371. De s. Oswaldo Episcopo.

1. Laudes regi
Christo jucundas

2a. Aurea coeli
castra victricia
bis bina orbis
dicant per climata.

2b. Natus de matre
virgine regia,
de Davidis stirpe
edita Maria,

3a. Mortem morte qui sua
stauro pendens
victor perimerat,

3b. Levavit et barathro
Adae germen
sedes in superas.

4a. Cujus munere
aurea sidera
intra angelica

4b. Archipraesulis
anima Oswaldi
albicat inclita.

5a. Quo vernant mira illa
celsa agmina,

5b. Cherubim quae dicuntur
atque Seraphim,

6a. Sanctus, sanctus,
sanctus quorum
vox ab aevo clamitat.

6b. Hinc te, Christe,
lingua quaeque
pia laude concinat.

7a. Tantus quia in aula
emicat,
pax, caritas
qua est omnis et gloria,

7b. Confessor hic niveus
Domini,
miracula
qui post mortem patraverat.

8a. Unde, rex regum,
te laudant coeli cymbala,
Alleluja gloriae
tuae jugiter clamantia.

8b. Hinc et pro laude,
quam sibi laeti pandimus,
Archipraesul Oswaldus
te poscat pro hac conciola.

9a. Nos in pace quo conservet
tua in hac vita
clementia,

9b. Nobis donet et quandoque
illa sempiterna
coeli regna.

Prosar. ms. Glastoniense saec. 12. ex. Cod. Londinens. Calig. A XIV.

372. De s. Oswaldo Rege.

1a. Regis Oswaldi inclita

1b. Christo canamus merita.

2a. Rex erat in terra
sed regis coeli vernula,

2b. Sceptra regalia
ornat Christi militia.

3a. Pauperum dextra,
principum laurea
et Christi crucis assecla.

3b. Mente fervebat
rector Christicola
cruce vincens belligera.

4a. Tendebat in hunc acies
impia
vibrans hostia spicula,

4b. Oswaldus crucis vexillum
elevat
et in hoc signo superat.

5a. Crux, regis fide sacrata,
multos a
clade sanat varia.

5b. Gentes respuunt idola
et crucis
adorant suffragia.

6a. Oswaldus Dominum
in sua inducit
ubique regnantem regna.

6b. Fundat ecclesias,
dat opes, illustrat
omnes luce Christigenas.

7a. Sumpserat Aidanum
in divinam
hierarchiam evangelii.

7b. Praedicat sacer doctor,
rex interpres
edebat clare dogmata.

8a. Jam poscunt
civem dignum aethera,

8b. Jam venit
ad coronae stadia.

9a. Bellans pro Christo
genteque sua
profert cadentum vulnera.

9b. Projicit mortis
arma et arma
Christi vestit fortissima.

10a. Tendit ad crucifixum
brachia,
fit martyr patientia.

10b. Coelo libat animas
ad astra
et Christi ruit hostia.

11a. Terra, qua occubuit,
salvat homines
simul et jumenta
et fugat incendia.

11b. Terra quoque lavacro
sancti respersa
pellit daemonia
et est salutifera.

12a. Dignum celebrat
aethera
columna lucis effusa;

12b. Manent brachia
integra
inopes refoventia.

13a. Lignum praefixi capitis
curat mortis discrimina,

13b. Quin et in regna extera
sancti lucent subsidia.

14. Rex martyr et coelicola,
Oswalde,
Christo nos reconcilia.

Miss. ms. Whitbiense saec. 14. Cod. Oxoniens. Miscell. Liturg. 390. — 10b, 1 coelorum libat Hs.

373. De sancto Othmaro.

1a. Ad ornanda
divi Othmari
celeberrima festa

1b. Adsint pio
ovantes turmae
Christologae conatu.

2a. Sed imprimis
multo thure
halet Rhaetus
atque liliger Francus.

2b. Quorum vivus
collustravit
almum solum,
nec nunc sanctus reliquit.

3a. Is in tenera aetate
plurifarias amplexus
disciplinas,
flamen dicatur
sancto Florino sacratus.

3b. Mundi fastu prorsus spreto
per Pipini fit delectum
pii Galli
abbas sacello
septa exstruens commoda,

4a. Quibus jugi harmonia
laudes divinas absolvat,

4b. Et severa parsimonia
artus macie pertentat.

5a. Flectit prece crebra Deum,
peregrinos tecto susceptos
donat aequali epulo.

5b. Casabunda spernit bona,
pollens multa humilitate,
nulli secundus labore.

6a. Non auratis
pressit armos
equi calcaribus aut
lene fulcrum
objecit cervici.

6b. At auritus
fert asellus
illum, petrae et durae
parcos sponte
somnos moderantur.

7a. Nocte scatebras
luridae lavat leprae
et pannosos
sua lamula velans
nudus saepe rediit.

7b. Pipinianos
thesauros clanculum dat
egentibus,
ad aedes regias panis
donum hiantibus.

8a. Post Guarini
nec non Ruthardi
dolo diro
apud judices
venereae rei
falso est accusatus.

8b. Fert scelestus
testimonia
tum Lampertus,
sed febricula
ultor prostravit
instar quadrupedantium.

9a. Ergo posthabito solo
noto, ne deturpet vitam,
sorte eremo donatus est
a Gosberto.

9b. Illic fame maceratus,
vita functus humo corpus
illibatum multa jacet
per tempora.

10a. Ferunt fratres
ipsum undeni
pede, solum putrem Rheni
alluvione factum dolent.

10b. Navi fertur
Rheni fluctibus,
nutat tempestate classis,
orant sanctum, silet impetus.

11. O Othmare,
Christo care,
nobis tu patrocinio
fac sodales tuos
in regia aeternae vitae.

Grad. ms. Andecense saec. 15. Clm. Monacen. 4101. — 4b, 2 pertente Hs. — 8b, 5 ultra Hs. — 10a, 3 pedem.

374. De sancto Pantaleone.

1a. Diem sacrae passionis
Beati Panthaleonis
Celebret haec concio,

1b. Cum fructu devotionis
Et cum operibus bonis
Fiat celebratio.

2a. Hic in adolescentia
De physicae scientia
Docetur in studio,

2b. Hermolaus ab impia
Quem trahit idolatria
Divino consilio.

3a. Pergens ad patrem propere
Videt stratum puerum
Defunctum viru viperae,
Petit patrem superum:

3b. Si sum dignus te poscere,
Vitae dator munerum,
Hunc vivere sed rumpere
Fac anguem mortiferum.

4a. Quod petit annuitur,
Nam defuncto redditur
Vita, serpens rumpitur,
Puer baptizatur.

4b. Panthaleon igitur
Sacro fonte tingitur,
Signis, ut ostenditur,
Virtutum ornatur.

5a. Caecus lumen recuperat,
Quo pater, qui coluerat
Non Deum sed idola,

5b. Tunc ad baptismum properat,
Deos, quos adoraverat,
Frangens ut christicola.

6a. Paraliticus sanatur,
Cum pro eo deprecatur
Sanctus regem gloriae,

6b. In hoc Christus exaltatur,
Falsus omnino probatur
Cultus idolatriae.

7a. Distentus in equuleo
Flammas diras fert in eo
Lampadum ardentium,

7b. Et in ardore plumbeo
Comitante sibi Deo
Datur refrigerium.

8a. Ejus collo
mola suspenditur,
Mole cujus
aquis non mergitur,
Cum in altum
mare projicitur,
Sed ad litus
sospes regreditur
Domino comite,

8b. Hoc eventu
judex irascitur,
Cujus jussu
vir sanctus trahitur
Esca feris,
sed nunquam laeditur
Pedem ejus,
qui vinclis stringitur,
Lingunt ut domitae.

9a. Super rotam elevatur,
Cum qua de monte pulsatur,
Ruens illaesus servatur,
Sternitur gens noxia.

9b. Ferrae motus reputatur
Diis iratis, sed monstratur
His confractis, quod reddatur
Uni Deo gloria.

10a. Sub oliva
collo percutitur,
Ensis hebes
ut cera redditur,
Tandem sancti
caput abscinditur,
Pro cruore
lac inde cernitur
Emanare.

10b. Tunc repente
fructus emittitur
Ab oliva,
coelo suscipitur
Is, pro Christo
qui mortem patitur;
Tu nos, Christe,
regno quo potitur,
Fac regnare.

Miss. Trecense imp. Trecis 1533. — 5b, 1 ad fehlt. — 5b, 3 ut fehlt. — 6a, 1 Sic paralyticus. — 7a, 3 diras fehlt. — 8b, 7 Pedes. — 8b, 8 stringuntur. — 9b, 3 redditur.

375. De sancto Paterno.

1a. Laetabundus
Exsultet Paterno mundus,
Alleluja,

1b. Qui cunctarum
Loquelas novit linguarum,
Res miranda.

2a. Ex Britonum genere
Micat miro lumine
Sol de stella,

2b. Id quod verbo praedicat,
Vita prius indicat
Semper clara.

3a. Sicut pater vixerat,
Vivere desiderat
Pari forma,

3b. Nec mundi contagio
Sua conversatio
Fit corrupta.

4a. Nova confert munera,
Mira facit opera
Valle nostra,

4b. Regum cessant proelia,
Redeunt ad propria
Pace sumpta.

5a. Mologonum verberat
Ultio, quam tolerat,
Lumina recuperat
Prius caeca.

5b. Tyrannus Arturius
Et monachus impius
Declararunt plenius
Haec praedicta.

6a. Rore Letavia
Caret et pluvia,
Et fame ruit
gens misera.

6b. Tandem in gaudia
Convertit tristia
Rex, quem genuit
puerpera.

Miss. ms. Venetense saec. 15. Cod. Rotomagens. 307. — Mel.: Laetabundus. — 5a, 1 sonst Mailgonus oder Mailgunus. — 5b, 1 sonst Arthurus.

376. De sancto Patroclo.

1. Patris nostri Patrocli festa
recolamus annua.

2a. Jucunda in honore
ejus carmina

2b. Hac die depromamus
laude consona.

3a. Qui contra persecutorum
acta dimicans inania

3b. Exemplo suo in tota
sanctos confortabat Gallia.

4a. Christi munere
qui veluti
terram calcavit maria,

4b. Hinc ambulante
stagna quadri
sustentabat tumentia.

5a. Aureliani varia
contempsit supplicia

5b. Usque ad mortem fortiter
certans pro justitia.

6a. Martyris istius
quanta sint
apud Dominum merita,

6b. Plurima testantur
ad tumbam
ejus visa miracula.

7a. Hunc prae ceteris
diligit Trecensis
ecclesia,

7b. Quae corpus ejus
amplectitur, felix
est patria.

8a. Tanti ergo patroni
festa colamus
hilares solemnia.

8b. Sancte Patrocle, martyr
egregie, nos
tuos supplices adjuva,

9a. Ut nostra relaxentur
facinora
cunctaque praestentur
prospera,

9b. Ut post hujus vitae
curricula
tecum in gloria
maneamus

10. Aeterna.

Miss. ms. Gurcense saec. 15. Cod. Virunens. (Hist. Verein f. Kärnthen) 332 (1/6). — 7a, 3 patria Hs. — 7b, 3 est ecclesia Hs.

377. De sancto Paulo.

1. Veneremur regem regum
cum solemni gaudio,

2a. Qui sic convertit hostes,
ut gratos reddat sibi
reconciliatos
peccatores.

2b. Quod in beatissimo
datur perspici Paulo,
qui mundo mortuus
vivit Deo.

3a. Hic prius nimia
crudelitate sua
Ministros Christi viventis
ob gloriam premens suae gentis,

3b. Vocatus a Deo
et projectus ab eo,
Quem spreverat, nunc adorat,
plus cunctis apostolis laborat.

4a. Caedendum se praebet plagis
pressurisque multis,
in omni verbo
Dei celebris.

4b. Scimus illum sic vixisse,
qui postea Romae
est factus Petri
consors coronae.

Miss. ms. Aeduense saec. 14. Cod. Semin. Aeduens. 121. A. — Miss. ms. Card. Rolin saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 110. B. — Miss. ms. Card. Rolin saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. s. sign. C. — Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 115. D. — Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 117. E. — Miss. ms. Aeduense anni 1476. Cod. Semin. Aeduens. 118 bis F. — Mel.: Victimae paschali.

378. In Conversione s. Pauli.

1a. In coelesti hierarchia
Nova sonet haemonia
Novo ducta cantico,

1b. Cui concordet in hac via
Conversorum melodia
Paulo psallens modico.

2a. Ex Aegypto vastitatis
Vas electum ornat gratis
Christus, auctor saeculi,

2b. In fiscella paupertatis
Flumen transit vanitatis
Pro salute populi.

3a. In furore animi
Persecutor Domini
Cadens excitatur,

3b. Parens Christo trahitur,
Ad baptismum ducitur,
Mundo destinatur.

4a. Hic electus praedicator,
Hic Elias aemulator
Et detestans crimina,

4b. Vulpes dissipat Samsonis
Et in tuba Gedeonis
Hostis fugat agmina.

5a. A defunctis revocatum
Alto lapsum dat sanatum
Vivens adhuc corpore,

5b. Verbo crucis orbis cedit,
Paganorum turba credit,
Docta Dei munere.

6a. Felix, per quem gaudia
Tota jam ecclesia
Sumens exaltatur,

6b. Clericis laetitia
Et conversis gloria
Secum collaeatur.

7a. Ah quam probat carnis florem,
Omnem superans candorem
Lactis exundantia!

7b. Aegri currunt et curantur,
Caeci, claudi reparantur
Virtutum frequentia.

8a. Laudes hinc cum tripudio
Paulo demus eximio
Voce plena,

8b. Clama petens suffragia
Ejus sequens vestigia
Plebs egena.

9a. Sed tu, doctor pie, bone
Pastor gregis et patrone,
Prece semper sedula

9b. Apud curam summi regis
Conversorum vices gregis
Commenda per saecula.

Miss. ms. Praedicatorum. saec. 14. Cod. Graecens. 878. — Die Mel. bezeichnet 1,1.

379. In Conversione s. Pauli.

1a. Jubilemus salvatori,
Qui spem dedit peccatori
Consequendi veniam,

1b. Quando Saulum increpavit
Et conversum revocavit
Ad matrem ecclesiam.

2a. Saulus caedis et minarum
Spirans adhuc cruentarum
In Christi discipulos,

2b. Impetravit, ut ligaret
Et ligatos cruciaret
Crucifixi famulos.

3a. Quem in via Jesus stravit,
Increpatum excaecavit
Lucis suae radio:

3b. Qui consurgens de arena,
Manu tractus aliena
Clauditur hospitio.

4a. Flet, jejunat, orat, credit,
Baptizatur, lumen redit,
In Paulum convertitur;

4b. Saulus, praedo nostri gregis,
Paulus, praeco nostrae legis
Sic in Paulum vertitur.

5a. Ergo, Paule, doctor gentis,
Vas electum, nostrae mentis
Tenebras illumina,

5b. Et per tuam nobis precem
Praesta vitam atque necem
Aeternam elimina.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. — 3b, 2 tractans Hs. — 4b, 1 lies novi gregis? — 4b, 2 lies Saulus praedo? novae legis?

380. De sancto Petro.

1a. Surge, Petre, coelitus
Et everte funditus
Moles graves cordium,

1b. Surge, pastor, fortiter,
Et rumpe velociter
Catenas credentium.

2a. Dissipator criminum,
Pium roga Dominum
Pro culpis erantium;

2b. Nostra laxa crimina,
Tuta fac discrimina,
Tuorum fidelium.

3a. O vir beatissime,
Tutor fortis animae
Inter fluctus marium,

3b. In tuo regimine
Oves sacro flamine
Sursum duc ad bravium.

4a. Oves pasce creditas,
Revoca jam perditas,
Bone pastor ovium;

4b. Quod fractum est, solida,
Quod caecum, elucida,
Sana, quod est saucium.

5a. Frange seras inferi,
Cadant hostes miseri
Ad tuum imperium;

5b. Coeli portas resera
Et fideles praepera
Intrare ad gaudium.

Miss. ms. S. Petri Carnotens. saec. 14. in. Cod. Carnotens. 519. A. — Miss. ms. S. Petri Carnotens. saec. 15. Cod. Carnotens. 530. B. — 5b, 2 fideles propera AB. — Mel.: Veni sancte spiritus.

381. De sanctis Petro et Paulo.

1. Apostolica
lux haec palma
corruscat,

2a. Nobile festum
Petri Paulique refulget,
Sanguinis ostro
mercati sunt
hodie coeli regna.

2b. Hi veri solis
radii pleni sophia
Coelestem vitam
docuere
mundum doctrina sacra.

3a. Fide, claritate summi
Olympi clara lumina,

3b. Virtute fratres invicti
Christi obtinent gratiam.

4a. Ad vitae senatum mittunt
animarum milia lucra.

4b. Discipulam Dei reddunt
orbis dominam, urbem Romam.

5a. Debellat Simonem
Petrus magum vaniter
apostatamque signat;

5b. Temere dum vetat
regis aeterni sceptra,
enervatur a petra.

6a. Denique Paulus
caecat magum Elymam
renitentem
tramiti Christi recto,
tenebris
eum perpetim mulctat.

6b. Luce signorum
praecipui martyres
gloriosi
vento sequentem magum
Simonem
dejecere ad ima.

7a. Post proelia mille,
passus atque labores
amicos Christus vocat
ad poli templa
jucunda.

7b. Petrus vestigiis
supplex vicit ad coelos
in cruce, Paulus quoque
dejectus ense
triumphat,

8. Quorum preces nos salvent.

Miss. ms. Praedicatt. saec. 14. Cod. Capit. Lugdunens. A 6. A. — Miss. Lugdunense imp. Lugduni 1500. B. — 5a, 2 magum jam ter A. — 6a, 2 magnum Elimans A. — 6b, 4 vento frequentem A.

382. De ss. Petro et Paulo.

1a. Hac in die plebs fidelis
Jucundetur, nam in caelis
Ingens fit laetitia,

1b. Petrus cruce, Paulus ense
Triumphantes ad immensae
Migrant lucis gaudia.

2a. Hi sunt duplex luminare,
Quo terrarum illustrare
Regna Deus voluit;

2b. Christo detur laus et honos,
Adoretur, qui patronos
Tales mundo praebuit.

3a. Nam Judaeis ut diei,
Quibus notum nomen Dei,
Petrus pastor praefuit;

3b. Genti deos adoranti
Tamquam nocti caliganti
Paulus late claruit.

4a. Horum lumen exstinguendum
Nero sperat et delendum
Nomen in interitu,

4b. Sed in morte casum nescit
Lux sanctorum, immo crescit
Signorum intuitu.

5a. Nostri duces et patroni,
Jam ad preces nostras proni
Sitis vestri gratia;

5b. Vobis sumus commendati,
Per vos summae trinitati
Jungamur in gloria.

Miss. ms. Marchianense saec. 12. Cod. Duacens. 83. add. saec. 15. A. — Grad. ms. Marchianense saec. 14. Cod. Duacens. 114. add. saec. 15. B. — Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. C. — Miss. ms. Marchianense saec. 16. Cod. Duacens. D.

383. De ss. Petro et Paulo.

1a. Sanctorum devotio
Et cordis contritio,
Monet, ut cum gaudio
Clamet amor.

1b. Amoris probatio,
Facti exhibitio,
Monstratur solatio
Vocis clamor.

2a. Ave, Petre claviger,
Salve, Paule legifer,
Vos decet perenniter
Laus et honor.

2b. Roma, tu es lilium
Per horum martyrium,
Civitatum omnium
Flos et odor.

3a. Nero, fons perfidiae,
Amator discordiae,
Per te datur hodie
Medicina,

3b. Quia dator gratiae
Petro et ecclesiae
Dedit claves veniae
Pro piscina.

4a. Praebe cibum ovibus
Tuis verbis dulcibus,
Ut sumant in cordibus
Condimentum.

4b. Indulge peccantibus
Veniam poscentibus
Et offer pro talibus
Sacramentum.

5a. Paule, doctor gentium,
Fer preces humilium
In Christo credentium
Creatori,

5b. Ut pater per filium
Det nobis solatium
Et post hoc exsilium
Bene mori.

Miss. mss. Gemeticense anni 1495. Cod. Rotomagens. 301. —

384. De ss. Petro et Paulo.

1a. Rex aeternus, rector mundi,
Primus pastor in secundi
Laudetur victoria,

1b. Petrus pastor hic secundus
Mundi victor, mundo mundus
Ex coelesti gratia.

2a. Urbs Nannetis, urbs beata,
Petro patre praedicata
Speciali munere,

2b. Servi Petri speciales,
Servos Petro spiritales
Nos curemus subdere.

3a. Nota Petrum tam benignum,
Quod ad nuti Christi signum
Primo sub admonitu

3b. Linquit rete, linquit ratem,
Christi sequens veritatem,
Rursum raptus spiritu.

4a. Statim Christum est secutus
Et sequentem Dei nutus
Ad plenum prosequitur,

4b. Paralysi destitutus,
Sanitati restitutus
Aeneas erigitur.

5a. Auro carens et argento
Caritatis argumento
Corruscat miraculis,

5b. Claudum solvit in momento
A morboso nocumento
Et nervorum vinculis.

6a. Petrus vitam dat Thabitae
Juvenenemque reddit vitae
Vice Christi libera,

6b. Pede premit fluctus maris
Et nutantem salutaris
Christi regit dextera.

7a. Angelus incarceratum
Solvit Petrum, vitae datum,
Destinatum gladio,

7b. Quod negando ter peccavit,
Verus amor expiavit
Et trina confessio.

8a. Annaniae Saphyraeque
Falsam fidem punitaeque
Mortis per supplicium

8b. Petrus, doctor veritatis,
Damnans fraudem pietatis
Et fraudis mendacium.

9a. Petro Christi
sunt oves creditae,
Claves regni
coelestis traditae
Digno privilegio.

9b. Firma tenet
Petri sententia,
Jure ligans
et solvens omnia
Coelesti imperio.

10a. Hujus umbra sanat gentes,
Sanat membra, sanat mentes,
Morbos reddit impotentes
Medici potentia.

10b. Hic a petra Christo dictus,
Per quem Simon magus victus,
Dum volare vult, afflictus
Prece Petri praevia.

11a. Nero fremit iracundus
Et pro mago furibundus,
Quod sit magus dissolutus
Et ruinam consecutus
Et casum mortiferum.

11b. Ergo Petro crux paratur
Et sic Petrus trucidatur,
Flagellatur, cruciatur,
In quo Christus se testatur
Crucifixum iterum.

12a. O Petre, partor ovium,
O paradisi claviger,
Sospes hospes fidelium,
Aperi portas jugiter
Coeleste pandens atrium,
Et nulli claudas ostium.

12b. Per hujus, Christe, meritum
Cum prece salutifera
Culpae et poenae debitum
Dimittens dele scelera,
Praestans perenne praemium
Et sanctorum consortium.

Miss. ms. Nannetense saec. 15. Cod. Cenomannens. 223. — 1a, 1 creator mundi gegen das Versmafs. — 1b. 2 mundo victus. — 3a, 2 Quod ad notis. — 7a, 3 Festinatum.

385. In s. Petri ad vincula.

1a. Petrum ligant vincula,
Qui mundi piacula
Solvit et pericula
Facit stare.

1b. Qui spreta navicula
Studet mente sedula
Divina oracula
Declarare.

2a. Discipulo gratiae
Sub obtentu veniae
Offertur spes copiae
Temporalis.

2b. Fidei et operis
Lucem dat prae ceteris
Spernens statum oneris
Saecularis.

3a. Hujus stratis pedibus
Undarum apicibus
Mersus Christi manibus
Est salvatus.

3b. Datis regni clavibus
Pro curandis omnibus
Tenetur daemonibus
Comparatus.

4a. Vita mors obtemperat,
Umbra morbos superat
Et catena liberat
Gutturosam.

4b. Non deest miraculis
Vita sine saeculis,
Quae dant ipsam populis
Gloriosam.

5a. Petre, doctor strenue,
Mentes nostras instrue
Viam nobis innue
Veritatis.

5b. Sordes nostras ablue,
Per te nobis januae
Pateant perpetuae
Claritatis.

Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Tolosan. 100. A. — Miss. ms. Card. Rolin saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 114. B. — Miss. ms. Card. Rolin. saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. s. sign. C. — Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 115. D. — Miss. ms. Aeduense saec. 12. Cod. Semin. Aeduens. 125. add. saec. 14. E. — Miss. ms. Aeduense anni 1476. Cod. Semin. Aeduens. 118 bis. F. — Sequent. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 131. G. — Grad. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. s. sign. H. — Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 117. I. — Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 123. K.

1a, 3 fehlt A. — 2b, 3 statum honoris AB; honeris EG; oneris F. — 3a, 2 Nudarum A; nudatum B; a piscibus ABCDEF. — 3a, 3 Mersos ABCEF; meritos D. — 4a, 4 Guctumosam AB; gucturnosam DEFG.

386. De sancto Philiberto.

1a. Christicolae per climata
Orbis melodiamata
Dent pulsis schismatibus

1b. Hac die, qua Philibertus
Est perenniter consertus
Uranicis coetibus.

2a. Hic prosapia insignis
Sed insignior condignis
Meritis et laudibus,

2b. Hic quaternis pollens lustris
Exutus est vir illustris
Curis mundialibus.

3a. Complens monachalem normam
Ac recte vivendi formam
Pandens suis fratribus,

3b. Hic post Agili obitum
Regimen sumpsit inclitum
Coenobii Resbacensis.

4a. Largiter cuncta regens,
Zelo justitiae degens
Ac vernans signis immensis,

4b. Nutu Chlodovei regis
Construxit signifer legis
Honori coelestium

5a. In pago Rotomagensi
Locoque Gemeticensi
Nobile coenobium,

5b. Quo moribus informaret
Plurimos et subrogaret
Ad Christi connubium.

6a. Culmen sanctitatis
Istius abbatis,
Adeo creverat,

6b. Quod hic nongentorum
Coetum monachorum
Secum adscierat.

7a. Nobiles, potentes
Propria linquentes
Ad hunc confluebant

7b. Ac viri magnates,
Monachi, abbates
Exemplo degebant.

8a. Laude magnifica
Hunc, plebs catholica,
Sanctum venerare,

8b. Per quem coenobium
Istud exordium
Sumpsit regulare

8c. Multaque alia
Alibi stantia
Sumpserunt vera re.

9a. Hic aromatibus
Et charismatibus
Plenus ac perfectus

9b. Ad perfectiora
Stetit procul mora
A Deo directus.

10a. Frater febre torsus
Erat sed mox prorsus
Hunc iste sanavit

10b. Ac ad negotium
Ob monasterium
Foras destinavit.

11a. Vir carens lumine,
Baldracus nomine,
Ad sanctum accessit,

11b. Cujus fulcimine
Pulsa caligine
Hic sanus abscessit.

12a. Surdi, caeci, muti
Per hunc sunt exuti
Infirmitatibus

12b. Et claudi, turgidi,
Contracti, aridi
Suis languoribus.

13a. Non est tam sedula
Mens, quae miracula
Ejus comprendere

13b. Queat, hinc orgia
Hujus eximia
Conemur colere.

14a. Quo post terrestria
Marcessibilia
Nos suos posteros

14b. Ad aeternalia
Pertrahat bravia
Secum ad superos.

Miss. ms. Gemeticense saec. 15. Cod. Rotomagens. 301. A. — Miss. ms. Gemeticense saec. 15. Cod. Rotomagens. 302. B.

387. De ss. Philippo et Jacobo.

1a. Advenerunt cives caeli
Unde dulces sonant meli,
Jubilet ecclesia,

1b. Fascem ferunt, pacem praebent,
Sublimari laude debent
Ipsorum praeconia.

2a. Hi sunt fratres et amici
Salvatoris digni dici
Dono sancti spiritus,

2b. Voluntatem patris volunt,
Quidquid jubet, ipsi colunt
Inspirati coelitus.

3a. Hi sunt dulces Helim fontes,
Appellantur ipsi montes
Morum eminentia,

3b. Hi sunt coeli corruscantes,
Solum mentis irrigantes
Disciplinae pluvia.

4a. Hi potentes sunt sagittae,
Penetrantes verbo vitae
Dura cordis moenia,

4b. Aliena facta vetunt,
Velut nubes astra petunt
Et spernentes infima.

5a. Horum prece, verbum patris,
Atque gloriosae matris
Nos a morte libera,

5b. Ut possimus tecum esse,
Sicut nobis est necesse,
Supra poli sidera.

6. Amen dicant omnia.

Miss. ms. Cellae S. Eusitii saec. 15 ex. Cod. Cenomannens. 154. — 2a, 2 dici fehlt Hs. — 4a, 2 vitae fehlt Hs.

388. De sancto Piato.

1. Hac in die jucundemur
Et beati veneremur
Piati solemnia,

2a. Noster enim est patronus,
Sonet ergo dulcis sonus,
Sonet cum melodia;

2b. Sono vita sit aequalis,
Sonat dulce sonus talis,
Sapit plus quam dulcia.

3a. Tanti patris cum sit dignum,
Juste justum ac benignum,
Revelari merita,

3b. Exprimamus verbis nunc brevibus
Et de vita et de virtutibus,
Quae sunt nobis cognita.

4a. De tellure Beneventi
Innotescat omni genti
Ipsum esse genitum,

4b. Proles fuit regia,
Facies egregia
Super choros comitum.

5a. Adolescens ipse crevit
Et deorum cultum sprevit
Patremque incredulum,

5b. Libens scholas frequentavit
Et doctrinae laboravit
Haurire fonticulum.

6a. Tandem prudens et discretus,
Omni bono jam repletus
Fuit sine macula,

6b. Morum summam quis narraret,
Prius dies declinaret
Et rediret nebula.

7a. Blandimento mundi spreto
Romam pergit corde laeto
Vir consulti pectoris,

7b. Quintinus et alii
Romam simul socii
Pergebant tunc temporis.

8a. Comitatur hos Piatus,
Inter illos numeratus
Mox bissenat numerum;

8b. Romam intrant adunati
Viri sancti, Deo grati,
Conditori siderum.

9a. Romam postquam intraverunt,
Ordinari petierunt
A summo pontifice;

9b. Ordinati recesserunt,
Recedentes quassaverunt
Vana Deo judice.

10a. Tandem vias per devias
Devenerunt et fuerunt
In Francorum patria,

10b. Universi mox dispersi
Sunt diversi, quo perversi
Colebant inania.

11a. Beatus Dionysius
Tunc secessit Parisius,
Praedicator eximius,
Ubi mortem pertulit.

11b. Tunc Quintinus lora flexit,
Ambianis se direxit,
Ubi fides, quam dilexit,
Sibi mortem contulit.

12a. Ad tormentum tunc Piatus,
Scuto veri circumdatus,
Venit promptus et paratus,
Fugare daemonia.

12b. Ex te nomen fuit ei,
Pio parent fide rei
Et fatentur posse Dei,
Posse super omnia.

13a. Urbs in Christo jam renata
Deo credit circumdata,
Caesar inde perturbatus
Jubet, ut sit condemnatus
Vir sanctus et caeditur.

13b. Caesus hic elegit thorum,
Virtus patet supernorum,
Pia prece, fons piorum,
Lava sordes servulorum,
Martyr, cui nunc psallitur.

Miss. ms. Elnonense saec. 14. Cod. Valentianens. 111. — Mel: Laudes crucis.

389. De sancto Piato.

1a. Diem hanc laetitiae
Regi gratam gloriae
Celebret ecclesia,

1b. Totus orbis gaudeat
Et per vocem prodeat
Animi laetitia.

2a. Reduc ad memoriam
Piati victoriam,
Tornacensis civitas,

2b. Tibi nempe congruit,
Quam subire docuit
Justitiae semitas.

3a. Parentes et patriam,
Rerum opulentiam,
Tibi missus coelitus

3b. Piatus deseruit,
Ut agendum docuit
Patris unigenitus.

4a. Inde tibi miscuit
Vinum et proposuit
Mensam sapientiae,

4b. Verbis et miraculis
Detrahens incredulis
Fermentum malitiae.

5a. Quis verbis exprimere,
Laudibus extollere
Vitam ejus sufficit?

5b. Qui dum mente nobili
Voluptati labili
Inhaerere despicit,

6a. Fama volat celebris,
Lux erumpens latebris
Per orbem diffunditur,

6b. Exemplum et regula
Vivendi per saecula
Populis apponitur.

7a. Innotescit Caesari
Per Piatum subtrahi
Thus, honorem solitum,

7b. Hinc a sede regia
Discurrit sententia
Mortis in immeritum.

8a. Percutitur gladio
Piatus et solio
Coelesti recipitur,

8b. Ubi cum martyribus
In supernis sedibus
Jugi pace fruitur.

9a. Hujus, Christe, precibus
Virtutum muneribus
Sic nos omnes cummula,

9b. Ut post vitae terminum
Te laudemus Dominum
Per aeterna saecula.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123.

390. De sancto Privato.

1a. Justus noster
ut palma floruit,
Flos in fructum
formari meruit,
Flos in cursu,
fructus in bravio,
Spes in aestu,
res in denario.

1b. Hostis culpae,
cultor justitiae,
Hostis mundi,
concivis gloriae
Tulit pondus
et aestum vincae,
Viae cursum,
trituram areae.

2a. O beatum pontificem
Suis exemplar subditis,

2b. Qui praesulatus apicem
Summis honorat meritis.

3a. Vectis in arca foederis,
Basis in tabernaculo,

3b. Perfecti lignum operis
In Salomonis ferculo.

4a. In navi Petri navita,
Ventos et undas pertulit,

4b. Pro plebe sibi credita
Lupo se pastor obtulit.

5a. Dum tenetur grex obsessus,
Invenitur pastor gregis,

5b. Regem suum qui professus,
Sonat laudes sui regis.

6a. De rupe vico proxima
Vir beatus educitur,

6b. O quam fidelis anima,
Quae nulla sorte frangitur.

7a. Furit tortor in Privatum,
Poenis urget, prece rogat,

7b. Ut subjectos per praelatum
Servitutem ferre cogat.

8a. Negat hoc posse fieri
Fidelis pastor ovium,

8b. Ut Christi Jesu liberi
Servi sint infidelium.

9a. Clamant agresti rabie
Cultores immunditiae:

9b. Adora, senex, idola
Et ad oratum immola.

10a. Verbis admiscent verbera
Persecutores barbari,

10b. Blanda transit et aspera
Privatus mente hilari.

11a. Martyr perseverantiae
Ritus immundos abdicat,

11b. Gedeonis in acie
Inter regendos dimicat.

12a. Mente certat immobili,
Tuba salutis praedicat,

12b. Confracto vase fictili
Lucerna vasis emicat.

13a. Vincit hostes vir invictus,
Vincit plagas, vincit ictus,
O quam felix hic conflictus,
Ubi vincit veritas.

13b. De Privato tuo gaude
Laudans virum dignum laude
Et in laude ejus plaude,
Mimatensis civitas.

14a. O Private, pastor bone,
Pater plebis et patrone,
Regno Christi nos impone,
Quod humana ratione
Fugit a scientia.

14b. Jesu Christe, rex Privati,
Jesu, regni rex beati,
Nos adscribe civitati,
Cujus cives sunt fundati
Pacis in concordia.

Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 124. — 7a, 2 Poenis arcet.

391. De sancto Quirino.

1. Cantu celebri
et studio vigilanti

2a. Laudemus Deum
supplices
ac illius glorificandos
martyres,

2b. Qui carnem suam
variis
jugiter crucifixerunt cum
vitiis.

3a. Ex quorum numero
noster sanctus est Quirinus,
martyr gloriosissimus.

3b. Beata merito
mater illa, quae meruit
talis filii stemmata.

4a. Quidquid namque
tulit doloris
per conamen
nutriendae sobolis,

4b. Recompensat
nati dulcedo
in aeternae
claritatis gaudio.

5a. Ille ergo
totis viribus
coelestia desiderans

5b. Sprevit luxus
carnis lubricae
et totius lasciviae.

6a. Cum necdum
sanguinem fuderit,
voto martyr exstitit,

6b. Conterens
penitus omnia
hujus mundi gaudia.

7a. Hic fidei sincerae
proditus adhaerere,
praesentatur iniquo
regi Claudio.

7b. Quem prius flagellatum,
dehinc rebus nudatum,
supplantare non valens
demum jugulat.

8a. At Dei famulo
mortis pugna minus sufficit.

8b. Aucta est gloria
postquam creverat victoria.

9a. Nam corpus
in flumen positum
inde miro levatur
effectu signorum.

9b. Quod post haec
in parvo tempore
nutu Dei translatum
datur Bavariae.

10a. Nunc ergo o, Quirine,
Christi miles inclite,

10b. Precatibus assiduis
locum tui corporis

11. Ac fideles
adjuva omnes.

Prosar. ms. Tegurinum saec. 11. in. Cod. Londinens. Add. 19768.

392. De sancta Radegunde.

1a. Radegundis,
reginae sanctissimae,

1b. Recolamus
diem devotissime,

2a. Qua educta fatigati
Corporis ergastulo,
Ejus anima
Coeli scandit palatia.

2b. Corruptelam quippe carnis
Virili constantia
Vicit femina
Modesta parsimonia.

3a. Virgo regalibus
Orta natalibus,
Chlotarii conjux, regis
Francorum, eminentiae
Thalamo renuntiat.

3b. Mente castissima,
Fide firmissima
Christo Dei, Deo regi
Totius excellentiae,
Prudenter se sociat.

4a. Orphanis et viduis
Dapsilis et prodiga,

4b. Saeviens in se, soli
Sibi erat indiga.

5a. Per plateas et per vicos
sponsum quaerens sedula

5b. Ad aeterna toto nisu
suspirabat sedula.

6a. Pictavensis ergo urbis
introgressa moenia

6b. Monachali supplex tegit
caput sanctimonia.

7a. Vix in terris
Habitabat tota coelis
Inhians, mens Rachelis
A coelesti incolatu
Jam in nullo devians.

7b. Res fidelis,
Sic exegit juventutem
Et aetatem reliquam,
Ut in terris se praestaret
Civem prorsus coelicam.

8a. Qua ad coelos evolavit,
Haec est dies annua,

8b. En laetatur et exsultat
In sanctorum patria.

9a. Hac in die, gloriosa
Radegundis, jubilantum
Sic applaudas vocibus,

9b. Hierusalem in coelesti
Ut jungamur nos grex tuus
Te precante coetibus.

Miss. Fontebraldense imp. Parisiis 1534. — 9b, 2 fungamur.

393. De sancto Remigio.

1. Ad praesulis
Remigii sacra festa

2a. Psallat plebs jucunda
ejus recolens gesta.

2b. Hujus ab utero
signis refulget vita.

3a. Voce nam promissus
antequam genitus
est coelica

3b. Natusque oculos
caeci vatis novat
luce clara.

4a. Traditus literis
providente Dei
clementia

4b. Futurus populi
pastor imbuitur
scientia.

5a. Crescens igitur
morum probitate multa
praesulatus meruit
ad summa tolli fastigia.

5b. Ex hoc gentium
corda abundanter implet
Christi doctrina pia
largiente Dei gratia.

6a. Regem baptizat,
de coelo chrisma
sacrum impetrat
afferente columba;
quis, rogo, vidit talia?

6b. Ampula lapsa
coelitus, divino
chrismate plena,
sancti pro memoria
servatur in ecclesia.

7a. Ergo dulcia
Christo cantica
decantet
nostra concio, eia,

8a. Hujus instantia
Christo servit Francia tota.

Ipsique commissa
est in sorte
apostolica,
sorde quam daemoniaca
expurgavit
sacrum per baptisma,
fide confirmans
in catholica.

9a. Quam rediens
mox, sancte, suscitas
et fortius
salute vegetas
et remittis laetam
ad propria.

10a. Quo tecum jugi
laetitia

7b. Haec solemnia
patris celebrans
devoto
studio atque mente pia.

8b. Puella nobilis,
ad conspectum praesulis
ducta,
Expulso daemone
sospitati
pristinae data,
longo certamine fessa,
exstincta est
absente praesule,
deficiente
corporis vita.

9b. Sicut caecum
donasti lumine
infestoque
purgasti daemone,
ab omni nos purges
macula.

10b. Condecantemus
Alleluja.

Miss. ms. S. Remigii saec. 13. Cod. Remens. 122. add. saec. 15. — Mel.: Ad celebres rex coelice laudes, vielfach mit abweichender Einteilung. Nach Str. 9 folgt in der Hs. noch:

9c. Et (l. ut) restinguis
urbis incendium,
sic in nobis
carnale vitium,
impetresque regna
coelica.

Diese Klausel, welche den vorletzten Choral ein drittes Mal wiederholt, dürfte daher ein späterer Zusatz sein.

394. De sancto Remigio.

1a. Fulgens summa luce
meritorum, praesul
Remigi,

2a. Tu vatis lumina
tenebris obsita,
Remigi,

3a. Dum capit baptisma
per te gens Gallica,
Remigi,

1b. Nobis verae pacis
posce sedem, pie
Remigi.

2b. Vena matris lactea
luci reddis illita,
Remigi.

3b. A Deo mittitur
chrismatis ampulla,
Remigi.

4a. Daemone purgatur
virgo Tolosana,
Remigi,

4b. A te vitae datur,
quae fuit mortua,
Remigi.

5a. Multa nitent tua,
quis narret, opera,
Remigi.

5b. Sed memor memorum
sis, praesul praesulum,
Remigi.

Miss. ms. S. Remigii saec. 13. Cod. Remens. 122.

395. De sancto Remigio.

1a. Praesuli Remigio
Tota praesens concio
Fervens desiderio
Laudes pangat,

1b. Ipsius obsequio
Consonet intentio,
Et oris confessio
Corda tangat.

2a. Ave, pater pauperum,
Infra matris uterum
A rectore siderum
Praeelectus.

2b. Tu flos patrum veterum
Ablutorque scelerum,
Comes coeli procerum
Es effectus.

3a. Ave, gemma praesulum,
Legis ferens oculum,
Mundo vitae pabulum
Contulisti.

3b. Dum regem, dum populum,
Dum regni piaculum
Per Dei miraculum
Abluisti.

4a. Ave, custos patriae,
Pacis et justitiae,
Totius munditiae
Imitator.

4b. Ora regem gloriae,
Quem vides in facie,
Ne obsit familiae
Mali sator.

5a. O praesul, accelera,
Famulos exonera,
Transferens ad aethera
Tua prece.

5b. Dele nostra scelera
In mundique vespera
Salva nos et libera
Atra nece.

Miss. ms. S. Remigii. saec. 13. Cod. Remens. 122. add. saec. 15. — 2b, 3 omnes coeli procerum Hs. — Mel.: Mariae praeconio.

396. De sancto Remigio.

1a. Venerando
praesuli Remigio.

1b. Psallat fratrum
veneranda concio.

2a. Psallat corde, psallat ore
Tanto gaudens confessore
Nostra congregatio,

2b. Nec discordet vox a vita,
Et sic erit exaudita
Vocum modulatio.

3a. Post vindictam criminum,
Quando culpis hominum
Est destructa Gallia,

3b. Ad salutem omnium
Beatum Remigium
Concepit Cilinia.

4a. Hujus vita praesulis
Coepit a cunabulis
Florere miraculis
Et virtutum gratia.

4b. Mater anus concipit,
Sicut Deus praecipit,
Caecus lumen recipit,
Qui praedixit talia.

5a. Per hunc Deus restauravit,
Quidquid saeva devastavit
Vandalorum furia.

5b. Per hunc claudis gressus datur,
Caecis lumen renovatur,
Fugantur daemonia;

6a. Mira fulgens sanctitate
In Remensi civitate
Sedavit incendia,

6b. Dum malignos spiritus
Vir fugaret inclitus
Urbis extra moenia.

7a. Ubi pedem imprimebat,
Planta pedis apparebat,
Testis est ecclesia,

7b. In qua vena silicis
Ostendit pontificis
Sacrata vestigia.

8a. Dum in aquis rex sacratis
Mundaretur a peccatis,
Res nova miraculi,

8b. Vas est missum coelitus
Dono sancti spiritus
Per columbam praesuli.

9a. Virgo quaedam Tolosana,
Virgo decens sed vesana
Hujus sancti precibus

9b. Est ab hoste liberata
Et a morte suscitata
Redditur parentibus.

10a. Ave, gemma sacerdotum,
Galliarum antidotum
Et lumen ecclesiae,

10b. Ante partum nuntiatus
Et in ventre consecratus
Beatae Ciliniae.

11a. Diadema praesulum,
Decus, honor, speculum,
Flos et gemma Franciae,

11b. Pietatis oculum
Leva super populum
Praesentis ecclesiae.

12a. Dum in solo hujus mundi
Hostes premunt nos immundi,
Seda mare, placa ventum,
Ne nos mergat in tormentum
Daemonis invidia.

12b. O confessor summi regis,
Audi preces tui gregis
Et nos mundos a peccatis
Junge regno claritatis,
Ubi pax et gloria.

Grad. ms. Borkense A 7. saec. 15. A. — Miss. Remense imp. Parisiis 1491 B. — Miss. Remense imp. Parisiis 1513. C. — 3a, 1 vindictam scelerum gegen den Reim BC. — 4a, 1 Huic vitae C. — 5a und 5b umgestellt C. — 6b, 2 Fugaret vir C. — 9b, 1 sq. umgestellt A. — Str. 11b fehlt A. — 12a, 2 premunt nos invisi gegen den Reim BC. — 12b, 2 Bone pastor tui gregis A, die beiden ersteren Worte spätere Zuschrift.

397. De sancta Restituta.

1a. Fulget virtus Gedeonis,
Qui devictis tot personis
Per fractas lagunculas

1b. Christum regem figuravit,
Cum per suas triumphavit
Martyres puellulas.

2a. Qui pro sua voluntate
Sexu quovis et aetate
Fecit mirabilia,

2b. Haec infirma cum elegit,
Quasi per fragmenta fregit
Mundi quaeque fortia.

3a. Ecce Sunanitis David,
In qua Christus maritavit
Rosae candens lilium,

3b. Indumentis stragulatis
Suae byssum castitatis
Purpurat martyrium.

4a. Haec est virgo Restituta,
Viva fide speque tuta
Caritatem patiens,

4b. Patiendo poenas fortis,
A qua fugat metum mortis
Virtus indeficiens.

5a. Sic edocta Christi schola
Soram intrat virgo sola
Ducta sancto spiritu.

5b. Firmat sexum fragilem
Amor armans pugilem
Urbis in introitu.

6a. Supra carnem, supra mundum
Sponsum quaerit munda mundum
Candidum et rubicundum
Rubicunda candida.

6b. Illum habet, illum quaerit,
Cum quo casta est et erit
Et, si mundus extra ferit,
Intus est intrepida.

7a. Haec succincta castitate,
Loricata veritate,
Galeata caritate,
Tenens scutum fidei,

7b. Ense verbi pugnatura,
Cum hac currit armatura,
Fortes flectit, frangit dura
Verbi virtus ignei.

8a. Certat certa praemiari,
Cursum jubet consummari,
Cum jubetur immolari
Hostia ab hostibus.

8b. Deo patri praesentatur,
Praesentata coronatur,
Ubi nobis mereatur
Vitam suis precibus.

9a. Istum servat populum
Translatum corpusculum
Pretiosae virginis,

9b. Quae suos sic instruat,
Ut Christo restituat
Ex vi sui nominis.

Grad. ms. S. Theoderici saec. 12. Cod. Remens. 262. add. saec. 15. — Mel.: Lauda Sion.

398. De sancta Rictrude.

1. Adesto tuis sedula

2a. Supplicibus, domina,
lux atque spes ditissima.

2b. Tua namque sanctitas
nos illustrat ac roborat.

3a. Ergo suscipe
humilium pia vota,
Rictrudis optima,

3b. Atque has vices
et has voces et carmina
attende benigna.

4a. Et memento, te dulcia
nobis debere viscera,

4b. Quibus jam beneficia
contulisti carnalia.

5a. Nobis auxilia,
o domina,
sunt necessaria

5b. Carne et anima
et in ista
et futura vita.

6a. Ergo, mater, et ista
nobis affer bona

6b. Atque spiritalia
potius ministra.

7a. Ut in omni nobis
adsis gratia,

7b. Cum ubique possint
tua merita.

8a. Dele facinora,
pelle peccata

8b. Atque prece tua
veniam impetra.

9a. In extrema agonia
fuga atra
a nobis daemonia.

9b. Angelorum solatia
tecum nobis
adhibe propitia

10. Et salvos nos
ante Deum colloca.

Miss. ms. Marchianense saec. 12. Cod. Duacens. 83. add. saec. 15. A. — Miss. ms. Marchianense saec. 12. Cod. Duacens. 82. add. saec. 15. B. — Grad. ms. Marchianense saec. 14. Cod. Duacens. 113. C. — Grad. ms. Marchianense saec. 14. Cod. Duacens. 114. D. — 2a, 2 lux fehlt AB. — Eine Silbe weniger 8a, 2. — 9b und 10 fehlen C.

399. De sancta Rictrude.

1a. Hac in die plebs festiva
Laeta mente, voce viva
Det cantus laetitiae;

1b. Psallat digne concrepando,
Diem festum celebrando
Rictrudis egregiae.

2a. Haec decenter et attente
Sponso moram faciente
Stat ornata lampade;

2b. Sponsus venit, haec intravit,
Sponsus eam decoravit
Auro texta cyclade.

3a. Mente munda, corde mundo
Militavit in hoc mundo
Ceu mater familias;

3b. Justum sibi fecit gressum,
Viri sui post decessum
Non quaesivit nuptias.

4a. Sancta prole fit beata,
Proles ejus Deo grata
Actu, verbis exstitit;

4b. Deum sequens veritatem
Multis aegris sanitatem
Suffragatrix praestitit.

5a. Claris orta natalibus,
Honestis alta moribus,
Tres genuit filias;

5b. Illae Deo consecratae
Prima necant in aetate
Carnales spurcitias.

6a. Maurontus vita nobilis,
Caelebs, modestus, humilis,
Fuit illi filius;

6b. Lege spreta conjugii
Sub arce diaconii
Vixit vir egregius.

7a. Felix mater tantae prolis,
Ad adspectum veri solis
Semper habens oculum,

7b. Sponsa sponso non fraudatur,
Sed cum sponso gloriatur
Post vitae curriculum.

8a. Nos, qui diem tantae matris
Collaudamus, summi patris
Benedicat dextera,

8b. Et purgatos a peccatis
Pater summae bonitatis
Collocet in aethera.

Grad. ms. Marchianense saec. 14. Cod. Duacens. 114. A. — Grad. ms. Marchianense saec. 14. Cod. Duacens. 113. B. — Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123. C. — 1a, 7b, 8a, 8b fehlen B.

400. De sancta Rictrude.

1. Solemnizet plebs devota
Corde laeto, mente tota,
Interna laetitia.

2a. Vox canora solvat ora,
Gratiora sint in hora
Gratulandi gaudia.

2b. Hac in die pangat pie
Noster chorus concanorus
Rictrudis praeconia.

3a. De Vasconum stirpe clara
Prodit ista Deo cara
Factis, fama, moribus.

3b. Annos virgo sortita nubiles
Apud viros fit nota nobiles
Forma, vita, laudibus.

4a. Nubit duci Duacorum,
Viro sancto, viro morum,
Viro summae indolis.

4b. O quam felix copula,
Quam non carnis macula
Sed spes sanxit sobolis.

5a. Maritata fecundatur,
Fecundatae proles datur,
Mas unus, tres filiae:

5b. Mas in sexu digniori,
Natae imbecilliori
Jubar exstant patriae.

6a. Prima student ab aetate
Venerari sanctitate
Nomen Christi celebre,

6b. Morum pollent gravitate
Relegata voluptate
Carnalis illecebrae.

7a. Ab Arianis trucidatur
Dux et a Christo coronatur
Vivens gloriosius,

7b. Conjux sancta viduatur,
Viduata famulatur
Deo diligentius.

8a. Haec soluta lege thori
Haeret viro meliori,
Christo, super omnia;

8b. Crescit fervor animi,
Crescunt motus optimi,
Vigor, virtus, gratia.

9a. Haec est nova Sareptana
Ligna legens fide sana,
Typum crucis faciens;

9b. Haec Noëmi Ebimelech,
Haec cassatrix Abimelech
Fragmen molae jaciens.

10a. Haec est vitrix Holofernis,
Ima spernens pro supernis,
David sequens pro aeternis,
Abigail altera.

10b. Haec est neptis Mardochaei,
Sunanitis Elisaei,
Haec Jael Haber Cinaei,
Clavum tenens dextera.

11a. O Rictrudis,
Quae nos trudis
Ad directa,
Praeelecta,
Tuis favens famulis,

11b. Gloriosa,
Gratiosa,
Insignita,
Redimita
Signis et miraculis.

12a. Ave, portus miserorum,
Consolatrix egenorum,
Spes moerentum pupillorum,
Dulce refrigerium.

12b. Ave, decus matronarum,
Flos et gemma viduarum,
Aufer taetrum et amarum
Gehennae supplicium.

13a. Jesu clemens, Jesu bone,
Hujus obtentu matronae
Constitutis in agone
Nobis confer et appone
Gratiae subsidium.

13b. Ut finita et completa
Temporalis vitae meta
Post transcursa mundi freta
Detur nobis quies laeta
Et perenne gaudium.

Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 123.

401. De sancto Rufo.

1a. Ad honorem confessoris,
Ordinis nostri auctoris,
Excitetur vox cantoris
In ejus solemnio.

1b. Hic Rufus est nuncupatus,
Cui noster patronatus
A Christo Jesu collatus
Fuit in principio.

2a. Hic Rufus reficiens
Fertur non esuriens
Splendor indeficiens
In suo coenobio.

2b. Hic vitae probabilis,
Doctrinae mirabilis,
Refulsit miraculis,
Testatur Avenio.

3a. Honore pontificatus
Fuit iste sublimatus,
A Deo sanctificatus
Fuit in officio.

3b. Hic confessor flos est florum,
Lux refulgens, gemma morum,
Titulus Canonicorum,
Ipsorum refectio.

4a. Virtutibus floruit
Et exemplo splenduit,
Subditos edocuit
Cum ingenti studio.

4b. Hic confessor gaudia
Possidet coelestia,
Nam vitavit vitia
A suo primordio.

5a. Sancte Rufe, te colentes,
Tuos tibi servientes,
Regimine poenitentes
Guberna in gaudio.

5b. Serve Dei et confessor,
Ductor noster et defensor,
Sis pro nobis intercessor
Coram Dei filio.

Miss. S. Rufi imp. Valentiae 1508.

402. De sancto Rufo.

1a. Ave, gemma confessorum,
Lucerna Canonicorum,
Alme Rufe pontifex,

1b. Salve sanctitatis rosa,
Mundi lampas luminosa,
Cunctis esto opifex.

2a. Gaude, pater pietatis,
Summae sidus honestatis
Rutilans in gloria,

2b. Vale fulgens coram ollo,
Pro quo pater crucem collo
Tulit cum angustia.

3a. A Christo fuisti tractus,
Non vi sed amore captus
Agnita prudentia,

3b. Te rogamus, ut trahamur
Ad illum, quem veneramur
Corde et mente pia.

4a. Esto nobis, praesul pie,
Apud filium Mariae
Custos in certamine,

4b. Tutus ductor vitae viae
Sis nobis nocte et die
Dante sancto flamine.

Miss. S. Rufi imp. Valentiae 1508. — 2b, 1 coram illo.

403. De sancto Sanctino.

1a. Corde puro, mente munda
Moduletur vox jucunda
Gloriosa praeconia

1b. Sancti praesulis Sanctini
Et socii Antonini
Pari convenientia.

2a. Hic praesul absque dubio
Cum sancto Dionysio
Fuit deque familia,

2b. Cujus ab urbe Romana
Usque Parisius plana
Secutus est vestigia.

3a. Hunc primo Carnotensibus
Misit et post Meldensibus
Praedicare salubria;

3b. Quibus ipsum constituit
Pastorem, prout voluit
Divina providentia.

4a. Cumque per sanctum spiritum
Suum sentiret exitum
Sciretque, quod confinia

4b. Et fines Parisiorum
Suorum persecutorum
Propinquaret praesentia:

5a. Dionysius Sanctinum
Vocavit et Antoninum
Praecipiens voce pia,

5b. Ut solerter intenderent
Et memoriae traderent
Universa martyria,

6a. Quae pro Christo pateretur
Et qua morte moreretur
Inter ipsa supplicia.

6b. Deinde Romam pergerent
Et papae cuncta dicerent,
Quae papa sua gratia

7a. Nota faceret civibus
Cunctis Atheniensibus
Manentibus in Graecia.

7b. Qui patris jussa complentes,
In nullo deficientes
Adimpleverunt omnia.

8a. Sed quid, dum Romam Sanctinus
Et socius Antoninus
Vadunt, contigit in via

8b. Autoninum infirmari,
Valida febri gravari
Et mori in Italia.

9a. Qui ab hospite impio
Fuit in sterquilinio
Projectus, o insania!

9b. Hunc Sanctinus sublimavit,
Lavit et communicavit
Sacra eucharistia.

10a. Et sic peracto nuntio
Revertuntur cum gaudio
Meldis in urbe propria,

10b. Ubi unus post alium
Tenuit pontificium,
Mundo vivunt in gloria.

Miss. ms. S. Martini Turonens. saec. 15. Cod. Turonens. 194. add. saec. 16. — 10a, 2 Revertitur Hs.

404. De sancto Saviniano.

1. Gaude, Trecensis civitas,
Cum adest tibi sanctitas
Hunc per Savinianum.

2a. Deum coeli complectitur
Corde credit et sequitur,
Quod fideles diligunt.

2b. Psalmis David imbuitur,
Per quos nempe reconditur
Diva sapientia.

3a. Patrem linquit et Graeciam,
Trecas venit, ut gratiam
Praedicet credentibus.

3b. O res memoratu digna,
Sicca plantat humi ligna
Et cito parent folia.

4a. Fuste raptus et quassatus
Fuit tandem et assatus
Jussu Aureliani;

4b. Christi miles decoratur
Galea, sed inflammatur,
Ut quam cito pereat.

5a. Tunc virtus adest divina,
Conservans ejus lumina,
Ut illaesus exeat.

5b. Cives tres regem increpant,
Non tot inferre affirmant
Huic sancto tormenta.

6a. Caesar furens, indilate
Cervices, ait, truncate,
Cum nobis adversantur.

6b. Martyr Dei sagittatur,
Sed oculus perforatur
Caesaris divinitus.

7a. Carcer atrox praeparatur,
Illic martyr relegatur,
Sed hoc nihil valuit;

7b. Pergit foras ad propria,
Patent fores et ostia
Sopitis custodibus.

8a. Post hunc mittit imperator
Et adfuit spiculator
Truncans ejus cervicem;

8b. Caput suum sepulturae
Portat ut vivens, tellure
Recondatur humanitus.

9. Preces pro nobis largire,
Valeamus die irae
Supplicia non sentire
Et sic tandem pervenire
In perennem gloriam.

Miss. Trecense imp. Trecis 1514 A. — Miss. Trecense imp. 1533. B.

405. De sancto Sebastiano.

1a. Inclite martyr Romane,
Beate Sebastiane,

1b. Civis Mediolanensis,
Sed genere Narbonensis;

2a. Miles verax, justus, fortis
Princepsque primae cohortis

2b. Duorum imperatorum,
Chlamydem ferens eorum;

3a. Jussu quorum passus es
Tormenta et carceres,

3b. Verbera carnificum
Et blasphemias militum,

4a. A quibus sic sagittatus
Medio campo ligatus

4b. Fuisti, quod apparebas
Ericius, dum vivebas.

5a. Tu es vere martyr Christi,
Succurre populo tristi,

5b. Ne spiritali sagitta
Nec lancea sit afflicta.

Miss. ms. S. Petri Moissiacens. saec. 15. Cod. Tolosan. 106. add. saec. 15.

406. De sancto Sebastiano.

1a. Cantet chorus ex affectu
Dulce melos in conspectu
Supernorum civium.

1b. Voci mores coaequentur,
Laudes sanctis cum solvuntur
In horum obsequium.

2a. Thema nostri cantus plani
In laudem Sebastiani
Vergit et praeconia,

2b. Qui labentis mundi vani
Ob amorem regis magni
Aspernatur mollia.

3a. Nempe Jesum insequitur,
Illi quoque obsequitur,
Sed illud vult latere,

3b. Non timore passionis
Aut juris amissionis
Virtutis sed opere.

4a. Christum gerit sub chlamide,
Ut roboret quos in fide
Videret deficere.

4b. Marco et Marcelliano
Volentibus sub profano
Judice mollescere,

5a. Mulierum blandimenta
Transitivaque tormenta
Suadet respuere.

5b. Dum in fide roborantur,
Per latera transforantur
Lanceis et vomere.

6a. Sic animas Christo reddunt,
Dum a fide non recedunt
Et vivunt per saecula.

6b. Haec interdum cum aguntur
Et per sanctum proferuntur
Coelestia pabula,

7a. Miles Christi accersitur,
Accersitus producitur
Ad Diocletianum,

7b. Qui furore debachatur,
Quando miles Christi fatur,
Fore se Christianum.

8a. Ob hoc trunco hunc ligari,
Alligatum sagittari
Jubet a militibus,

8b. Martyr dulcis fit invictus
Manens victor inter ictus,
Cedunt hostes ictibus.

9a. Nocte prima suscitatur
Et pristinae vitae datur
Augustisque ostentatur
In horum palatio.

9b. Ad quos martyr conqueritur:
Sanguis cur tantus funditur
Sanctorumque destruitur
Christorum religio.

10a. Rursus jubent hunc ligari
Et tamdiu fustigari,
Donec vident commendari
Spiritum in Domino.

10b. Dum sic martyr sagittatur,
Coelum sibi reseratur
Et pro poenis praemiatur
Sempiterno gaudio.

11a. O miles Sebastiane,
Istius vitae profanae
Dirige semitam plane
Ad coeli palatia.

11b. Tolle pestem, morbos, mortes,
Lubricos aestus et fortes
Et sanctorum fac consortes
Post mundana praemia.

Miss. ms. Aeduense saec. 15 ex. Cod. Semin. Aeduens. 120 A. — Grad. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. s. sign. B.

407. De sancto Sebastiano.

1a. Ave martyr, ave miles,
Sebastiane sacrate,
Ad te venimus flebiles,
Juvamen petere a te.


1b. Ave, spes nostra unica,
Ave, nostrum refugium,
Christum pro nobis supplica
Contra pestis incendium.

2a. Ad te flentes recurrimus
Sperantes tua virtute,
Ora Christum, te poscimus,
Pro nostra semper salute.

2b. Succurre invocantibus
Nomen tuum et juvamen
Et da in te sperantibus
Infirmitatis levamen.

3a. Noli nos in te sperantes
Relinquere desolatos,
Sed te corde venerantes
Redde semper consolatos.

3b. A Christo obtinuisti
A tali morbo sanare,
Quod tu gratis accepisti,
Precibus velis donare.



4a. Ab hac spe noli frustrare
Te dulciter invocantes,
Potes, si velis, salvare,
Salva nos in te sperantes.

4b. Aerem pelle funestum
Et naturae contrarium,
Tolle pestis morbum maestum,
Ignis quoque incendium.

5a. Depelle febrium aestum,
Pestem repelle longius,
Contra morbum sic infestum
Adsis nobis propitius.

5b. Ut per te sic evadamus
Mortis hujus dispendium,
Gratias tibi reddamus,
Regi quoque coelestium.

6. Pie Sebastiane,
Christum ora pro nobis.

Miss. ms. Eduense saec. 15 ex. Cod. Sem. Eduen. 120.

408. De sancto Sebastiano.

1a. Militi Sebastiano
Personemus corde magno
Ave dulci in organo
Suavi melodia.

1b. Per quod Ave salutatus
Suos dulces per precatus
Christus diluat reatus
Et nostra contagia.

2a. Ave, consors angelorum,
Concivis apostolorum
Et omnium supernorum
Socius coelestium.

2b. Ave, miles Jesu Christi,
Terrae regem qui tempsisti,
Tu coelorum meruisti
Vitam et imperium.

3a. In hac valle constitutos,
Malis multis involutos,
Fac a peste fore tutos
Et ignis moestitia.

3b. Supplicamus, hoc concede,
Pelle morbos, pestem caede
Et nos Jesu Christo redde
In aeterna gloria.

Miss. ms. Eduense saec. 15 ex. Cod. Sem. Eduens. 120. — Mel.: jedenfalls Verbum bonum. Italienischen Ursprung verrät der Reim in 1a, 2 und 3b, 3.

409. De sancta Solina.

1a. Jucunda lux eliminat
moeroris omne nubilum,

1b. Solinae chorus concinat
laudis eructans jubilum.

2a. Sponsum laudemus virginum
Sacrae psallentes virgini,

2b. Et redundent in Dominum
Laudes ancillae Domini.

3a. Claris orta natalibus
Servit patri spirituum,

3b. Totis agressa viribus
Iter virtutis arduum.

4a. Omnis ab intus gloria
Sponsae regis et filiae,

4b. Quam multiformis gratia
Regi commendat gloriae

5a. Operatur in omnibus
Divina virtus omnia,

5b. Multiplex in operibus
Sed simplex in essentia

6a. A veri solis nomine
Nomen sortita congruum,

6b. Solina fuso sanguine
Triumphat in perpetuum.

7a. In holocaustum sanguinem
Profudit Aquitania,

7b. Causa coronat virginem,
Non poenae tolerantia

8a. Cohaeres coetus coelici
Corona gaudet duplici,

9a. Pro Solinae victoria
Coeli resultant atria,

10a. Videmus nunc per speculum,
Dum fides regit oculum,

11a. Qui chori, quae frequentia,
Quae gratiarum actio,

12a. Ergo, Solina, miseris
Fer opem, fer solatia,

13a. Ergo triumphis inclita,
Tuae preces et merita

8b. Pro cruore purpurea,
Pro coelibatu nivea.

9b. Coelesti consonantiae
Concordet vox ecclesiae.

10b. Quae sint illae deliciae
Supercoelestis patriae.

11b. Quae beatorum gaudia
Pro Solinae consortio.

12b. Sis tui memor generis,
Aeterni solis filia.

13b. Tuos in tua sedulos
Laude conservet servulos.

Miss. ms. S. Petri Carnotens. saec. 14. Cod. Carnotens. 519.

410. De sancto Stephano.

1a. Natus est nobis Salvator,
Ut fieret triumphator
Protomartyr Stephanus,

1b. Pietas illum donavit,
Caritas hunc elevavit,
Fulget nunc ut angelus.

2a. Summa virtus caritatis,
Quae nos mundans a peccatis
Reddit Christi famulos;

2b. Caritas est amor Dei,
Justi hominis et rei,
Duos habens rivulos.

3a. Unus nos timore pungit
Et dilectione jungit
Domino perenniter,

3b. Alter proximo blanditur,
Cui proximus unitur
Per ipsum feliciter.

4a. Virtutem hanc eximiam
Nequit laudare quispiam
Tam digne, quam expedit.

4b. Apostolus summi regis,
Quid sit plenitudo legis,
Manifeste docuit.

5a. Martyrum primicerius
Videns Jesum superius
Stantem ad patris dexteram

5b. Lapidatur ab impiis,
Afficitur injuriis,
Cum egisset nil perperam.

6a. Falsi testes et perditi
Ponunt vestes discipuli
Ad pedes adolescentis,

6b. Qui primo vocatus Saulus,
Postea factus est Paulus
Interventu patientis.

7a. Discipulus redemptoris
Pro salute percussoris
Flexis orat genibus,

7b. Inter hominum milia
Neminem huic similia
Perpetrasse legimus.

8a. Castitas in hoc pollebat,
Unde viduas alebat,
Ut Petrus instituit;

8b. Gradu stabat inferior,
Coelos ascendere prior
Passione meruit.

9a. Illius mirabilia
Sunt innumerabilia,
Quae fecit in saeculum;

9b. Universae bonitatis
Et totius sanctitatis
Forma est et speculum.

10a. Illum conlaudet populus,
Ipsum veneretur clerus
Et omnis sexus hominum;

10b. Oret pro laudatoribus,
Qui pro lapidatoribus
Solus rogavit Dominum.

11a. Ut det veniam,
Praestet gratiam

11b. Nobis etiam,
Ut ad patriam

12. Supernorum civium
Cum coetu fidelium
Tandem perveniamus.
Omnes ergo dicamus
Amen.

Miss. ms. Arelatense saec. 14/15. Cod. Carpentoractens. 102.

411. De sancto Stephano.

1a. Cordis et vocis organum
Levitam laudet Stephanum
Die ista,

1b. Lapidatum a perfidis
Contemptu veri lapidis
Die ista.

2a. Heri terrae splenduit
Lux de coelis,
Lucis stolam induit
Vir fidelis
Die ista.

2b. Heri Christum protulit
Virgo mater,
Istum coelis intulit
Deus pater
Die ista.

3a. Heri mundo rex coelorum,
Miles coelo natus est
Die ista,

3b. Dum furore Judeorum
Martyr lapidatus est
Die ista.

4a. Plenus fortitudine,
Sancto fervens flamine
Certat cum incredulis
Die ista.

4b. Infideles arguit,
Fidem veram adstruit
Signis et miraculis
Die ista.

5a. Dum disceptant
cum levita Pharisaei,
Intuenti
coelum apertum est ei
Die ista.

5b. Jesum videt
ad dexteram Dei stare,
Qui fidelem
suum facit triumphare
Die ista.

6a. Fremit gens incredula,
Dum visa miracula
Testis verus asserit
Die ista.

6b. Dissecatis cordibus,
Pressis stridens dentibus,
Saxis sanctum atterit
Die ista.

7a. Heri rex descendit,
Ut servum redimeret,
Et miles ascendit,
Ut regnum assumeret,
Die ista.

7b. Sui regis ortum
Jure miles sequitur,
Dum pro rege pugnat
Et ad vitam oritur
Die ista.

8a. Flete, gentes perfidae,
Duriores lapide,
Quae coelesti Jaspide
Coronatum lapidastis
Die ista.

8b. Non vindictam replicat
Nec ut reos judicat,
Sed pro vobis supplicat,
Cujus membra conquassastis
Die ista.

9a. O martyr inclite,
Miles emerite,
De peccati cespite
Nos eruas.

9b. Et tuis precibus
Mundanis faecibus
Mundos coeli sedibus
Restituas.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 123. add. saec. 15. — Mel.: selbstverständlich Promissa mundo gaudia (Mone II, 65).

412. De sancto Stephano.

1a. Stephani martyrium
Agmina psallentium
Laudent et credentium
Verus amor.

1b. O quam magnum gaudium,
Quam magnum solatium,
In ore fidelium
Cordis clamor.

2a. Hic primus martyrium
Post factorem omnium
Sumpsit et ad bravium
Sublimatur.

2b. Ubi choro civium
In coelo laetantium
Per carnis supplicium
Sociatur.

3a. Hic pro lapidantibus
Fixis terrae genibus
Et expansis manibus
Sic oravit:

3b. O Jesu, ne punias
Horum ignorantias,
Post dans Deo gratias
Expiravit.

4a. Quam magna devotio,
Quam dulcis oratio,
Orat et pro vitio
Peccatorum.

4b. Exemplum in propio
Cepit Dei filio,
Dante se pro pretio
Populorum.

5a. Qui passus est ictibus
Lapidum ab hostibus,
Nos reddat cum laudibus
Creatori.

5b. Et nos suis precibus
Ducat cum martyribus
Et det nobis omnibus
Bene mori.

Miss. ms. Gemeticense saec. 15. Cod. Rotomagens. 301. A. — Miss. ms. Gemeticense saec. 15. Cod. Rotomagens. 302. B. — Dieselbe Sequens steht in denselben Hss. zum Fest der Erfindung des hl. Stephan, mit folgender Änderung in der ersten Strophe:

1a. Stephani inventio
Honore cum gaudio
Sine mentis taedio
Celebratur;

1b. Primus diaconio
Functus est officio,
Cujus in obsequio
Plebs laetatur.

413. De sancto Stephano.

1a. Collaudemus
invictum in suis regem
Alleluja,

1b. Qui passi sunt
ipsius docendo legem,
Res laudanda.

2a. Quorum primum omnium
Christum imitantium
In agone

2b. Veneremur jugiter
In sua solemniter
Passione.

3a. Nam ejus martyrium
Gedeonis proelium
Figurabat,

3b. Quando hostes strepitu,
Non armorum impetu
Effugabat.

4a. Sic adversus populum
Stephanus incredulum
Dimicavit,

4b. Non armis sed precibus,
Cum pro lapidantibus
Supplicavit.

5a. Fixis terrae genibus
Vidit in coelestibus
In supernis sedibus
Jesum stantem,

5b. Atque contra hostium
Manus repugnantium
Divinum consilium
Dimicantem.

6a. Obrutus lapidibus
Primus cum spiritibus
Ac sanctorum coetibus
Sublimatur,

6b. Unde major gratia
Nobis et victoria
In ejus solemnia
Commendatur.

7a. Ita post proelia
Miles stipendia
Consecutus est
coelestia.

7b. Sic cum laetitia
Acceptet omnia
Servientium
servitia.

Miss. Tolosanum imp. s. l. 1490. A. — Miss. Tolosanum imp. Lugduni 1524. B. — Brev. Tolosanum imp. Parisiis 1553. C. — Mel.: Laetabundus unter Wiederholung von Choral 5.

414. In Inventione s. Stephani.

1a. Psallat Christo chorus iste
In honorem agonistae
Sanctissimi Stephani,

1b. Collaetetur in tropicis,
In canticis angelicis
Non jubilo inani.

2a. Vox consona puro cordi
Concinat cantu concordi
Melos propulsans coelum,

2b. Ab hac laude non sit exsul
Nicodemus nec sit procul
Gamaliel, Abibon.

3a. Dies est haec laetitiae,
Nam illorum est hodie
Sanctorum inventio,

3b. Pace mundus hac fruitur,
Aegris salus refunditur,
Luctus cedit gaudio.

4a. Sacratae legis amator,
Gamaliel, Pauli doctor
Et particeps coronae,

4b. Luciano dormitanti,
Strato suo quiescenti,
Patet in visione.

5a. Virga, manu quam tenebat,
Ter feriens hunc monebat
Ex nomine vocando,

5b. Corpora ut sancta quaerat
Ac in Sion sanctam condat
Affatim imprecando.

6a. Sed dubius visionis
Haesitavit, ne daemonis
Illa esset visio;

6b. Propterea orat Christum,
Si visio est per ipsum,
Appareat tertio.

7a. Sic secundo huic apparet,
Nec hac vice illi paret,
Nec agit, quod petitur.

7b. Rursum patens hunc repetit
Cur non egit, hunc impetit
Et minis exquiritur.

8a. Ille moras tunc repellit
Nec amplius illum fallit,
Prius sed sciscitatur,

8b. Corpora cum invenerit,
Stephani quomodo, quaerit,
Corpus recognoscatur.

9a. Vides, inquit, hos calathos,
Aureos rosis repletos
Quartumque argenteum,

9b. In quo rubentes sunt rosae,
Reliquiae sunt famosae
Stephani, juxta eum

10a. Nicodemi, auditoris
Jesu Christi salvatoris
In evangelio,

10b. Et quem vides croco plenum,
Abibam monstrat serenum,
Cum quo ego dormio.

11a. Mane facto hoc revelat,
Nec unicum verbum celat
Johanni pontifici.

11b. Ambo simul sine mora
Sanctorum levant corpora
Laude cum multiplici.

12a. Tantus odor tunc flagravit,
Qui in coelum emanavit,
Quod corpora tunc sanavit
Sexaginta et tria.

12b. Caecis lumen infunditur,
Mutorum lingua solvitur,
Auditus surdis panditur,
Fugantur daemonia.

13a. Gressus claudis tunc redditur
Languor omnis reprimitur,
Quod quis petit, hoc fruitur,
Quis audivit talia!

13b. O Stephane, martyr Christi,
Qui Judaeos devicisti
Et Domini meruisti
Primus bella certare;

14a. Nunc ad tua auxilia
Currentes te prece pia
Poscimus, ut coelestia
Facias penetrare.

14b. O consocii coronae,
Nunc certantes in agone,
Participes vitae bonae
Faciatis jugiter.

15. Ut possimus trabeati
Et coronis laureati
Regem videre beati
Cum vobis perenniter.

Miss. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. 115. A. — Miss. ms. Aeduense saec. 25. Cod. Semin. Aeduens. 117. B. — Miss. ms. Aeduense saec. 15 ex. Cod. Semin. Aeduens. 124. C. — Grad. ms. Aeduense saec. 15. Cod. Semin. Aeduens. s. sign. D. — 3 b, 1 Pace mundo AB. — 8 b, 2 Stephani quando AB. — 10 a, 3 eine Silbe zu wenig ABCD.

415. In Inventione s. Stephani.

1a. Dies adest gratiosa,
In qua prima coeli rosa
Primum Romae floruit,

1b. Quam ab urbe Constantini
Potentatus vis divini
Transportari voluit.

2a. Hic est Christi prototestis
Quem furentum dira pestis
In Judaea subruit,

2b. Quem nec furor lapidantum
Nec saxorum crepitantum,
Nec mors ipsa terruit.

3a. Servus Dei stat cum reis,
Orans Christum pro Judaeis
In pace defungitur,

3b. Sepelitur martyr sanctus
Et sanctorum gravis planctus
Sepultum prosequitur.

4a. Post annorum longam moram
Opportunam nactus horam
Lucianus sancto coram
Johanne presbytero,

4b. Terrae fossor applicatur,
Protomartyr elevatur,
Utriusque cor laetatur
Calathorum numero.

5a. Nutu Dei procurantis
Corpus sancti jam regnantis
Graecos adit famulantis
Viduae vehiculo.

5b. Hic obsessis miseretur,
Donec salus reformetur,
Febres fugit et medetur
Supplicanti populo.

6a. O res digna praedicari,
Quod par suo cedit pari
Et augusto sanctus lari
Sancto dat hospitium.

6b. Hic est multis salus data,
Hic ab ipsa regis nata
Sanitate restaurata
Pellitur daemonium.

7a. Abbas fundit fontis rorem,
Corpus vero contra morem
Infundenti dat cruorem
Rubescente spongia.

7b. Casu fati naturalis
Flamen atque monialis
Defunguntur, quos letalis
Revocavit gratia.

8a. His et modis infinitis
Verax palmes verae vitis
Claruit miraculis,

8b. Claritatis ad augmentum
Christum pro se prosequentum
Oravit piaculis.

9a. Ergo, protomartyr Christi,
Qui pro Christo te dedisti
Judaeorum ictibus,

9b. Nil eorum timens minas
Stans invictus et reclinans
Cervicem lapidibus;

10a. Fave nobis et succure,
Ut in summa spei turre
Contemplemur patriam,

10b. Et a summo largitore
Ad extremum tempus horae
Consequamur veniam.

Miss. ms. Praedicatorum Tolosan. saec. 14. Cod. Tolosan. 95. A. — Brev. Tolosanum imp. Parisiis 1553. B. — 1b, 2 jus divini B. — 2a, 1 protopestis A. — 2a, 2 Quod futurum dira A. — 2b, 1 Quam nec A. — 4a, 2 fehlt B. — 4a, 3 facto coram A. — 7a, 2 contra mortem B. — 7b, 3 Defungantur A. — 7b, 4 Renovavit A. — 10b, 2 Et extremo tempus A.

416. De sancto Theodorico.

1a. Monte vernans in aprico,
Nunc aquoso, quondam sicco,
Felix sub Theodorico
Jubilet ecclesia.

1b. In or petrarium fudit,
Et or noster huic alludit,
Cujus summo fontem cudit
Nova sapientia.

2a. Omni Deo servienti
Fons devotae patet genti,
Omni factus patienti
Sospitatis labium.

2b. Spiritali geniturae
Non carnali vivens jure,
Ad amorem vitae purae
Sponsae torsit studium.

3a. Foeditatis officinam
Domum mutat in divinam,
Qua supplantat rosa spinam,
Saliuncam lilium.

3b. Deo plures ut adquirat,
Dum intendit, dum adspirat,
Divus ales locum gyrat,
Quo fundet coenobium.

4a. Regis natam suscitavit
Et huic lumen reparavit,
Coelo datum rex humavit
Celebri frequentia.

4b. Sexaginta decem lustris
Manens nulla labe putris,
Tolli nequit vir illustris
Absque manu regia.

5a. Laudi crescens et honori
Vase post haec potiori,
Nunc ex auro cultiori
Capsa fulget tertia.

5b. Absque signis non moveri
Potest tanti corpus heri,
Ut aroma nequit teri
Nisi cum fragrantia.

6. Cujus precum gratia
Nobis det coelestia.

Prosar. ms. S. Theoderici saec. 15. Cod. Remens. 279.

417. De sancto Theodulpho.

1a. Sanctissimi
Militis votiva festa
Recolamus,

1b. Theodulphi
Merita fideli mente
Extollamus.

2a. Digne regni gloria
Sacraque prosapia
Oriundus

2b. Fuit et angelica
Hujus vitae lucida
Corde mundus.

3a. Omnis vitae qualitas
Ostendit, benignitas
Salvatoris

3b. Exaltat miraculis,
Multis ac mirificis
Coeli donis.

4a. Caecis visum contulit,
Claudis gressum tribuit
Adjuvando,

4b. Surdis, paralyticis
Juvat beneficiis
Condonando,

5a. Omnem aegritudinem
Ac cordis moestitiam
Atque epilenciam
Removendo.

5b. Thyphicis, hydropicis,
Ethicis squalentibus,
Obsessis daemonibus
Imperando.

6a. Ora pro populo
Tibi nunc placido
Corde poscens
praesidia.

6b. Adstantem populum
Laudantem inclitum
Serva, rege
per saecula.

Grad. ms. S. Theodorici saec. 12. Cod. Remens. 169. add. saec. 15. A. — Prosar. ms. s. Theoderici saec. 15. Cod. Remens. 179. B.

418. De s. Thoma Aquinate.

1a. Adest dies laetabundus,
Quo de mundo Thomas mundus
Exit et bonis fecundus
Intrat coelestem curiam,

1b. In qua doctor exaltatur
Et a Christo coronatur,
Ut sorori revelatur
Per specialem gratiam.

2a. Hic Thomas non dubitavit
Sed constanter affirmavit,
Docuit et praedicavit
Sanctae fidem ecclesiae.

2b. Hoc miracula testantur,
Linguae, ora dum inflantur
Detractorum sed curantur
Per votum poenitentiae.

3a. Sine crimine letali
Cum honore magistrali
Et pudore virginali
Hic vixit mundi speculum.

3b. Suum transitum praedixit
Sepulturamque indixit
Circumstantibus et dixit:
Quiescam in saeculum.

4a. Ordinis praedicatorum
Cum sis gemma confessorum,
Memor semper sis tuorum,
Doctor beatissime.

4b. Ut te duce consequantur,
Qui te patrem venerantur,
Vitam in qua recreantur
Beatorum animae.

Prosar. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Andegavens. 90. — Mel.: Diadema salutare. — 4b, 3 qua venerantur Hs.

419. De s. Thoma Cantuariensi.

1a. Renovantur hodie
Urbi Cantuariae
Rediviva gaudia,

1b. Nec minus ecclesiae
Toti par laetitia
Redditur materia.

2a. Res solemnis agitur,
Quia Thomae panditur
Virtus et victoria,

2b. Thomae inquam incliti,
Cujus fuit meriti
Pati pro justitia.

3a. Vere vir hic inclitus,
Large sancti spiritus
Debriatus gratia,

3b. Mente calcans terrae
Nec in carne carnea
Sequens desideria.

4a. Nil primatus Angliae,
Nil hunc movit regiae
Majestatis gratia,

4b. Quominus assereret,
Quaeque recta crederet,
Licet regi gravia.

5a. Rex in iram vertitur,
Confiscanda quaeritur
Praesulis substantia;

5b. Nec in his avertitur,
Sed adhuc extenditur
Furens manus regia.

6a. O rem nimis asperam,
Altera post alteram
Sequitur injuria;

6b. Quare sanctus Domini,
Ne subdatur homini,
Fugit, transit maria.

7a. Fuga se sic liberat,
Sed non iram temperat
Potestas nefaria;

7b. In suos invehitur,
Exsulare cogitur
Mater, nurus, filia.

8a. Sic, sic absque gladio
Triumphat martyrio
Praesulis constantia,

8b. Dum suis compatitur,
Dum tanta confoditur
Suorum miseria.

9a. Fuso demum sanguine
Duplici certamine
Meretur coelestia,

9b. Coeli dignus sedibus,
Sanctis consors omnibus
Gaudet nunc in gloria.

10. Unde nobis impetret,
Quae optamus, praemia.

Miss. Suessionense imp. Parisiis 1516.

420. De s. Thoma Cantuariensi.

1a. Dic, Anglia,
Cum matre dic ecclesia
Alleluja.

1b. Intra matrem
Mactant nati nequam patrem,
Res miranda.

2a. Sidus nostrum moritur,
Idem nobis oritur
Sol de stella.

2b. Causa, cur occiderit,
Cunctis patet et erit
Semper clara.

3a. Thomas sequens Dominum,
Cui nullus hominum
Pari forma

3b. Obit in ecclesia,
Ob id nec ecclesia
Fit corrupta.

4a. Dat hoc granum mortuum
Ubertatem fructuum
Valle nostra,

4b. Immolatur dux gregis
Ab ursis nostri regis
Carne sumpta.

5a. Flavit non pro nihilo
Boreas et aquilo,
Cujus mens in nubilo
Est et caeca.

5b. Lupi agni judices,
Mittunt tres pontifices
Quatuor carnifices
Ad praedicta.

6a. Nec scribae sic rei
Nec sunt Pharisaei
Nec Judaeorum
gens misera

6b. Ut hi Amorhaei,
Ut qui hostes ei,
Quem genuit
puerpera.

7. Utinam saperent
Et intelligerent
Ac novissima
praeviderent.

Miss. Fontrebaldense imp. Parisiis 1534. Mel.: Laetabudus. — 1b, 1 Infra matrem. — 4b, 2 Et ab ursis. — 5a, 2 et fehlt. — 6a, 3 eine Silbe zuviel; l. Nec Judaea, gens misera?

421. De sancto Trophimo.

1a. Gratuletur plebs fidelis,
Gaude, tellus, gaudet, caelis
Angelorum curia;

1b. Die ista laudi detur
Et felicis renovetur
Trophimi memoria.

2a. Praesul noster Asianus,
Vita pollens, verbo sanus
Pauli fuit socius,

2b. Hanc ad urbem destinatus
Verbum Dei ad hoc datus
Praedicavit ocius.

3a. Arelatis gens iniqua,
Prius Deo inimica,
Caput idolatriae,

3b. Contemplatur hunc docentem,
Ferox ferit innocentem
Ducta zelo furiae.

4a. Dum insistit praedicando
Importune iterando
Luto, fuste caeditur

4b. Falsitatis clamant testes,
Laniantur ejus vestes,
Huc et illuc pellitur.

5a. Christe, mortis subjugator,
Vitae gloriosae dator,
Reis optans veniam

5b. Arelaten tunc respexit,
Duros frangens malos flexit
Trophimi per gratiam.

6a. Sed cur loqui moror plura,
Molliuntur corda dura,
Baptizantur pariter,

6b. Templa foeda destruuntur,
Loca sacra construuntur
A conversis noviter.

7a. Hinc ad partes Galliae
fides Christi fluxit,
Et eis per Trophimum
vera dies luxit.

7b. Iste Paulo Trophimus
haesit imitando,
Pauli dogma docuit
gentes praedicando.

8a. Hic multarum titulis
claruit virtutum,
Hic nobis ad superos
iter parat tutum.

8b. Hunc pulsemus precibus,
Huic dentur vota,
Huic clerus concinat
pura mente tota.

9a. Nunc, patrone, pastor bone,
populum conserva,
Hujus vires hostium
penitus enerva

9b. Actu, prece, ut quiete
cum Christo regnemus,
Et laudes cum angelis
in aeternum demus.

Miss. ms. Arelatense saec. 14/15. Cod. Carpentoractens. 102. — 1b, 1 laude Hs. — 8b, 4 lota Hs.

422. De sancto Taurino.

1. Aula jucunditatis,
Alleluja,

2a. Statuit Dominus hodie
Praesulem urbis Ebroicae,

2b. Taurinum, gemmam ecclesiae
Vitaeque virum angelicae.

3a. Pontifex alma hac luce
Animam Deo
placentem obtulit,

3b. Angelo sepultus duce
Populo verbum
salutis protulit.

4a. Intraturo portas urbis
Satanas ter altercatus,

4b. Ter cucurrit coram turbis,
Per crucem ter superatus.

5a. Intrat urbem et intranti
Christum quoque praedicanti
Patet habitatio,

5b. Ibi multi congregantur,
Quorum plures baptizantur
Praesulis officio.

6a. Coram cunctis concrematam
Satan morti tradit natam
Hospitis, ut hospitem

6b. Incitaret in Taurinum,
Quam Taurinus, vas divinum,
Patri reddit sospitem.

7a. Templo daemon exsul cedit,
Templi familia credit,
Sacerdotes viscera
Sua fundunt dextera.

7b. Nato ducis et consorti
Repentinae datis morti
Vita redit reddita
Per Taurini merita.

8a. Sopita tyrannide,
Baptizato praeside,

8b. Jacet idolatria,
Triumphat ecclesia.

9a. Nobis ergo da, Taurine,
Civitatis ut divinae

9b. Facti cives tua prece
Et secunda spreta nece

10. Triumphali laetitia
Decantemus Alleluja.

Miss. ms. Ebroicense saec. 15. Cod. Ebroicens. 98. A. — Miss. ms. Ebroicense saec. 15. Cod. Ebroicens. 99. B. — Mel.: Stolam jucunditatis.

423. In Inventione s. Taurini.

1. Adest praecelsa
cunctis dies,
digne veneranda,

2a. In qua Christi praesul
Taurinus scandit celsa,

2b. Cujus in honore
nunc exsultet caterva.

3a. Adactis fidibus
citharizat
modulos gloriosa

3b. Parilique sono
regi summo
personat semper odas.

4a. Hic etenim celso
ditatus pneumate
populorum
inter agmina
verbi difundit famina.

4b. Captivitas atque
quos saeva vinxerat,
coelo sacra
reddidit lympha,
infula septus fulgida.

5a. Nunc in aeternum
regem collaudat
ovanter gloria,
nostras in qua preces
interpellando transferat.

5b. Archangelica
jam congratulantur
agmina, martyrum,
confessorum simul
ac virginalis caterva.

6a. O quam praeclara
est ista
qua coelos die
praesul magnus
Taurinus penetrat.

6b. Ergo sonora
pangamus
carmina, quibus
ecclesia
jubilet per saecla.

7a. Insignis sacerdos,
nostra, quaesumus,
crimina

Potestate summa
diluas,
gaudere una
mereamur gloria,

7b. Tua recolentes
θαύματα;
clemens nostra
audi precamina,

Nostra te collaudat
turma hymnizans
dulcia.

* *
* *
*
* *
* *

8a. Mundana
qui cuncta liquisti
visens coelica,
disjice piacula,

8b. Electorum
ut locati patria
tecum Christo
solvamus debita.

9a. Laus perennis,
decus, honor, potestas
Sempiterno
sit semper,
qui gubernat, cosmi climata.

9b. Genitori
genitoque decora
Modulemus
cantica,
alleluja cantantes una.

10a. Conclament
cuncta: Amen,
gloria

10b. Sit trinitati
in aeterna
saecula.

Miss. ms. Fiscannense saec. 14. Cod. Rotomagens. 292. A. — Miss. ms. Fiscannense saec. 15. Cod. Rotomagens. 293. B. — Miss. ms. Fiscannense saec. 15. Cod. Rotomagens. 294. C. — 5a, 4 in qua poscimus preces ABC, poscimus überzählig. — 6a, 3 quae coelos C. — 6b, 5 saecula C. — 7b, 3 nostra ergänzt. — 9a, 5 per cosmi climata C.

424. In Translatione s. Taurini.

1a. De roseto prodit rosa,
Luctum odit lux jocosa,

1b. De spineto venit spina,
Pungens lenit ut divina.

2a. Taurinus exuberat,
Rosam rosa superat,
Stellam stella.

2b. Vas fellitum spernitur,
Vas mellitum bibitur,
Fluunt mella.

3a. Neque vas fit vacuum,
Et mel stat perpetuum
Pari forma.

3b. Virtutibus studuit,
Vitiis abstinuit
Pari norma.

4a. Angelici spiritus
Diem pandunt exitus
Voce clara,

4b. Hinc columna splenduit,
Qua sepulchrum patuit
Ut sol clara.

5a. Surdus audit, loquitur,
Mutus daemon pellitur,
Salus et vis redditur,
Languor cedit.

5b. Error abit, veritas,
Regnat et calamitas
Fugit, redit caecitas,
Visus redit.

6a. Taurine, propera,
Premunt nos scelera,
Opem miseris
accelera.

6b. Tres mortis nexibus
Solvisti precibus,
Per te ditemur
virtutibus.

Miss. ms. Ebroicense saec. 15. Cod. Ebroicens. 99. — Mel.: Laetabundus.

425. De sancta Ursula.

1a. Excitetur omnium
Nostrum hic devotio,
Omnis vox laetantium
Psallat cum tripudio.

1b. Dat undecim milium
Dies haec cum gaudio
Festos choros cordium
Virginum martyrio.

2a. Vitae per compendium
Mortis sacrae proelio
Ad aeternae praemium
Sancta currit concio.

2b. Dum non timet gladium
Virginis pro filio
Virginum collegium,
Coeli gaudet praemio.

3a. Virtutum coelestium
Regis et palatio
Virginale lilium
Regni fulget solio.

3b. Sertum duplex proprium
Ex rosis cum lilio
Cursus habet bravium
Harum decertatio.

4a. Coeli, terrae, marium
Regis in obsequio
Supernorum civium
Fruitur consortio.

4b. Quarum per auxilium
Cum his nostra mansio
Fiat, nunc clamantium
Postulat oratio.

Prosar. ms. Pisciacense saec. 15. Cod. Londinens. Eg. 2601.

426. De sancta Ursula.

1a. Plantans rigat Britannia,
Sed germinans Germania
Subducit incrementum;

1b. Flores sunt in Colonia,
Sed fructus est in patria
Tot virginum prudentum.

2a. Mors virginum tot milium
Cum rosa jungit lilium,
Rachelem jungit Liae,

2b. Nicolaum Vincentio,
Martinum cum Laurentio,
Jesum jungit Mariae.

3a. Stirps regia ad surculum
Suplex adspirat masculum,
Dum prodit virens virgula,
Viribus in virguncula
Felicius donatur.

3b. Ursi rapacis aemula
Nomen sortitur Ursula,
In ursum crescens zabulum
Ex urso fecit ursulum,
Ut ex fine probatur.

4a. A rege nuptum petitur,
Sed regum rex consulitur,
Spe non abscissa regulo
Regi servatur, anulo
Coelesti subarratur.

4b. Quaeruntur per triennium
Sponsae greges sodalium,
Regina fit denario
Monas sub undenario
Millenis aggregatur.

5a. Fit navalis fabrica
Singulis millenis,
Proelii praenostica
Spectatur arenis,
Praeponuntur coelica
Regulis terrenis,
Salomonis cantica
Jeremiae threnis.

5b. Finito praeludio
Virginalis belli
Dimicandi studio
Cupiunt divelli,
Lictoris a gremio
Quolibet propelli,
Quolibet supplicio
Pro Christo percelli.

6a. Flante vento velo tendunt,
Maris terga in transcendunt,
Dum per Rhenum Romam tendunt,
Applicant Coloniae.

6b. Revelatur hic reginae,
Quam felici viae fine
Revertentes Agrippinae
Christi fient hostiae.

7a. Rumor choris dat choream,
Navigatur Basileam,
Dum transcurrunt apud eam,
Statio fit navium.

7b. Petro Paulo visitatis,
Sanctis rite perlustratis,
Papa Roma salutatis
Recurrunt ad bravium.

8a. Jam ditatur Ophir auro
Classis Salomonica,
Redit tanto cum thesauro,
Gaudet urbs pacifica,

8b. Tanta messe jam matura
Praeparatur horreum,
Falcem parat gens messura
Triticum virgineum.

9a. Gens Hunnorum, gens lupina,
Gens ferox, gens leonina,
Jam discurrens Agrippina
Cinxerat ovilia.

9b. Venit classis cum regina,
Cohors illa columbina
Praeda fit ancipitrina,
Convolat in retia.

10a. Grex cossis cum foetibus
Gemellis raptatur,
Lictorum mucronibus
Lictore lictatur,
Non fuga nec precibus
Nec vi reluctatur.

10b. Crimen erat violis
Nolle violari,
Ligustris, liliolis
Nolle deflorari,
Orthodoxis idolis
Nolle subjugari.

11a. Exstinctas tot acies
Sequitur regina,
Visa rosa rabies
Mutescit ferina,
Vernat floris species,
Obmutescit spina,
Supplicat barbaries,
Ut sit concubina.

11b. Tyrannus respuitur,
Virgo sagittatur,
Lilium succiditur,
Rosa cruentatur,
Mortis fel ebibitur,
Totum consummatur,
Flatus coelo redditur,
Terra terrae datur.

12a. Sola latebas, Cordula,
Mortem procrastinasti,
Tanto major per saecula
Triticum triumphasti.

12b. Divinitus perterrita
Gens barbara fugatur,
Urbs liberatur inclita,
Gens martyrum humatur.

13a. O messor quam falx aemula,
Messis quam fructuosa,
Dives ager, quo stipula
Jacet tam pretiosa.

13b. O vestis absque macula,
Sponsa quam gloriosa,
Quot gaudia, quot oscula
Dilecti cum formosa.

14a. Salve, bellatrix Ursula,
Martyr imperativa,
Cordata salve Cordula,
Martyrum subjunctiva;

14b. Quis nomina per singula
Discurrat fugitiva,
Coelo vivunt in saecula,
Stans laus intransitiva.

15a. Laetare jam, Britannia,
Quae plantas protulisti,
Jam plaude tu, Germania,
Quae vitam transtulisti.

15b. Tripudia, Colonia,
Quae flores collegisti,
Nam jubilant coelestia
De tanto fructu Christi.

Miss. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Hafniens. Thott. Fol. 146. A. — Miss. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Tolosan. 102. B. — Miss. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Rotomagens. 279. C. — Miss. ms. Parisiense saec. 14. Cod. Londinens. Add. 2891. D. — 1a, 1 Plangat rigat AC, korrigiert in Plantat, rigat C. — 1b, 2 fructus est praesentia A. — 3a, 1 Stirps regis ad furculum A.; regius ad surculum BC., korrigiert in regia etc. A. — 3a, 4 Viribus en virguncula C.; virilis en B. — 3b, 2 sentitur AD. — 3b, 3 ursam B. — 3b, 5 Ut fehlt ABCD. — 7a. 1 Rumor colit A.; timor choris B. — 9a, 3 Gens discurrens A. — 10a, 1 cum fletibus A.; confetibus B. — 10a, 5 fugat A. — 12a, 1 latebat A. — 12a, 3 Tantum A. — 12a, 4 Triticum triumphasti ABCD. — 14b, 4 intransitura A.

427. De sancta Ursula.

1a. Coelesti connubio
Virginalis concio
Fit Messiae socia,

1b. Jubilemus igitur,
Quia Deo jungitur
Fragilis materia.

2a. Infirmitas substantiae
Fit templum pudicitiae
Plebe sub incredula,

2b. Jam vere pastor luminum
Effectus erat virginum
Sponsus absque macula.

3a. Inter illas principalis
Est matrona triumphalis,
Quae vocatur Ursula,

3b. Minas, vires spernens regis
Dux est facta sui gregis
Velut Dei famula.

4a. O felix acies
Haec est undecies
Undena milia,

4b. Quam nullo scelere
Potest involvere
Furens insania.

5a. Muliebri
metu deposito
Intraverunt
carinas solito,
Sunt pro remis brachia.

5b. Navigando
per mare properant,
Intrant Rhenum
fluctus exsuperant,
Felix est audacia.

6a. O quam durum
Parant murum
Virginum suspiria,

6b. Spernunt procos,
Quorum jocos
Pellunt et ludibria.

7a. Quae dum gentem
profanam fugiunt,
Basileam
tandem perveniunt
Susceptae cum gratia.

7b. Commendatis
ibidem navibus
Romam tendunt
festinis gressibus
Duce poenitentia.

8a. Quae probitas,
Quae dignitas,
Ubi carnis integritas
Ad vitae currit gaudia,

8b. Divinitus
Est editus
Virgo hic non humanitus
Mente boni conscia.

9a. Mente carne tam sinceres
Judicandae sunt proceres
Pro virtutum copia,

9b. Quae non mutant discorditer
Nec commutant deformiter
Therebinthi lilia.

10a. Revertentes Coloniam
Mactavit ob invidiam
Gens Hunnorum misera,

10b. Sed Cordula, quae latuit,
Ut pateretur, adfuit
Die prorsus altera.

11a. Solo sexu vel nomine
Judicandae sunt feminae
Nec tam distant ab homine
Veritatis regula.

11b. O regum rex et Domine
Virgineo cum agmine
Sub alarum nos tegmine
Protege per saecula.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 123. A. — Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 180 B. — Miss. Cameracense imp. 1542. C. — Prosar. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Andegavens. 90. D. — 2a und b lauten in D:

2a. Gratus decor virginalis
Et passio triumphalis
Germinat aureolam

2b. In puellis, quas vitalis
Mors ad messis aeternalis
Transtulit aureolam.

3a, 2 Est puella D. — Str. 4a und 4b fehlen D. — 5a, 4 lies carinas subito? — 5b, 3 Intrant regnum C. — Str. 6a und 6b fehlen D. — Str. 8 und 9 fehlen D. — Nach Str. 10 schliesst D:

11a. O quam decens flos cum flore,
Mixtus rubor cum decore,
Juncta rosa lilio,

11b. Florens aetas cum tortore,
Munda caro cum cruore,
Cum pudore passio.

12a. Virgo, cui decantamus,
Cujus laudes exaltamus,
Imple desiderium,

12b. Pande nomen, ut sciamus,
Cui gratum immolamus
Laudis sacrificium.

13a. Jesu, virginum corona,
Sit mens nostra semper prona,
Sit in tuis laudibus,

13b. Ut soluta carnis zona
Capiamus coeli bona
Cum sanctis virginibus.

428. De sancta Ursula.

1a. Speciales, speciosae
Speciose spirant rosae
De spinetis Angliae,

1b. Quarum flores et decores
Ornant mores, dant odores
In hortis ecclesiae.

2a. Stemma clarum
Puellarum
Duci paret Ursulae,

2b. Vacant Deo
Cum trophaeo
Carnes Christi famulae.

3a. Dum declinant nuptias
Se placentes hostias
Parant patri luminum,

3b. Mare sulcant navibus
Cum undenis milibus,
Dux est sponsus virginum.

4a. Aura rates fert secunda,
Classem portat maris unda
In portus Germaniae;

4b. Romam prosper cursus datur,
Redeuntum grex truncatur
Barbarorum rabie.

5a. Ave, vincens
Ursum Orci Ursula,

5b. Ave, consors,
Christo concors, Cordula.

6a. Plantatae platani
Valle Gethsemani,
Cypressi virgulae,

6b. Lucernae Domini,
Fundendo lumini
Accensae faculae.

7a. Hae sunt ficus primitivae,
Palmae Cades et olivae,
Balsamitae vineae,

7b. Hae columbae lacte lotae,
Christi sponsae pulchrae totae,
Aromatum areae.

8a. Veri Sabaoth filiae,
Dulcis haeredes gloriae,
Junctae poli familiae,

8b. Nobis sint munimini,
Ne Satanae molimini
Cedamus et discrimini.

9a. Quae utroque agnum pede
Comitantur coeli sede,

9b. Suis salvent nos tutelis;
Amen dicat plebs fidelis.

Grad. ms. Marchianense saec. 14. Cod. Duacens. 114 A. — Prosar. ms. Marchianense saec. 15. Cod. Duacens. 15 B. — Miss. ms. Marchianense saec. 16. Cod. Duacens. 89. C. — Mel.: Ave mundi spes Maria.

429. De sancto Valentino.

1a. Ad triumphos laude dignos
Jam resultent aethera,

1b. Et ad caelos dulce melos
Penetret per aera.

2a. Cum beatus Valentinus
Placens Dei hostia

2b. Immolatur, capitali
Damnatus sententia.

3a. Qui insignis passione
Martyr fortis in agone
Coronatur laurea,

3b. Victor rutilans invictus
Inter dirae mortis ictus
Sindone purpurea.

4a. Urbs laetetur Interamnis
Quae aeternis caret damnis
Per hujus suffragia,

4b. Et pagus Gemeticensis
Signis fulgurans immensis
Pro victoris gloria.

5a. Cujus caput huc allatum
Gratum habet famulatum,
Ut produnt miracula.

5b. Sata salvat, mures necat,
Agros hostibus defaecat,
Lucs perit aemula.

6a. Ignis cadit,
ruunt incendia

6b. In capitis
sancti praesentia.

7a. Fugit tabes pestifera,

7b. Mors contremiscit effera.

8a. Ad salutis
redeunt robora

8b. Macerata
languore corpora

9a. Valentinus
infundit pluvia

9b. Arva solis
aestu squalentia.

10a. Caecis, ut videant,
Dum martyr imperat,

10b. A morbo proprio
utrumque liberat.

11a. Febribus tenerum

11b. Eripit puerum,

12a. Daemone feminam
Emundans sanciam,
Infirmi viribus

* * * * * * * * *

12b. Dantur salubribus,
Quibus dat geminam
Vir sanctus gratiam,

13a. Plures sub ferretro
Martyris inclita
Ad vitam redeunt
Per ejus merita.

13b. Cujus nos protegant
Sic patrocinia,
Ut secum provehat
ad coeli gaudia,

14. Quo Deus in saecula
nostra sit gloria.

Miss. ms. Gemeticense saec. 15. Cod. Rotomagens. 301 A. — Miss. ms. Gemeticense saec. 15. Cod. Rotomagens. 302. B. — 4b, 2 fulgorans B; fehlt A.

430. De sancto Vedasto.

1. Magnificantes,
pater optime,
tuam gloriam,

2a. Dei judicia
commode ad nostra
adhibemus praeconia,

2b. Quibus, dum vita
hac functus es, tua
clarificavit merita.

3a. Ergo comitem
regis dignitas
adsciverat
te, pater, ut verba
praedicares coelestia
properanti ad baptisma.

3b. Dum te implorat
caecus in via,
ut succurras,
tu Deum exoras,
Deus audit et annuit,
rex credit et plebs exsultat.

4a. Quendam refeceras
verbi Dei copia,

4b. Quem corporaliter
cibare decreveras.

5a. Sed tunc vinum defecerat,
Invocasti Deum
ut in hoc subveniat,

5b. Qui de sicco vase
larga mox dedit vina.
Honorans tua merita

* * * * * * * *

6a. Atrebata tua,
dum te meruerat,
ingrediens portas

6b. Caecum illuminas
et claudum restauras
virtute solita.

7a. Relicturo arva,

7b. Petituro astra

8a. Columna ignea
fit tibi obvia,

8b. Quae rexit ae coelum
beatam animam.

9a. Nunc e coelis nos, Vedaste,
pater sancte, visita

9b. Ac securos ad aeterna
perduc tecum gaudia.

Miss. ms. Vedastinum saec. 14. in. Cod. Atrebatens. 888. A. — Miss. ms. Vedastinum saec. 14. Cod. Atrebatens. 882. B. — Grad. ms. Vedastinum saec. 15. Cod. Atrebatens. 638. C. — Str. 7 sqq. fehlen B. — 5b, 1 de fehlt B. — 8b, 1 rexit AC; l. vexit? — Mel.: Oramus te aeterna spes.

431. De sancto Vedasto.

In Octava.

1. Christo hodierna
sacrificemus solemnia.

2a. Atque suas victimas
nostra immolent labia.

2b. Intentio devota
sacrificii sit ara,

3a. Cum magna
merita Vedasti
nostra celebrent carmina,

3b. Quem coelo
terraque honorat
Deus noster et exaltat:

4a. Miraculis in terra,
in coelo
beatorum gloria,

4b. Hic servorum cultura,
in coelo
sanctorum frequentia.

5a. Ergo Francorum regi
comes factus in via
Caeco puris precibus
obtinet lucis bona
ostendens Dei magnalia.

5b. Item de vase sicco
profert vini gaudia,
Cujus ut cunctis magnae
pateat caritatis
atque sanctitatis copia,

6a. Attrebatae
dum primum portas
feliciter intrat
divina facturus opera,

6b. Caeco lumen
et claudo gressum
reddit ac populis
jecit fidei fundamenta.

7a. Profanis sacris infecto
dum liquori
crucis signa
dedit dextra, fugit
pestis, dissolvuntur vasa
gravida.

7b. Igneus splendor ab aethre
exporrectus
ad culmina
pontificis funus
observat sancti secumque
receptat.

8a. Chorus lugubris
patrem pia
deflerit lacrima,

8b. Chorus coelestis
sed auditus
transfert ad astra.

9a. Sublimis praesul, servos
humiles visita

9b. Et sordes peccatorum
lava et super astra

10. Leva et tuos
supplices salva.

Miss. ms. Vedastinum saec. 14. in. Cod. Atrebatens. 888 A. — Miss. ms. Vedastinum saec. 14. Cod. Atrebatens. 882 B. — Miss. ms. S. Martini Touronens. saec. 15. Cod. Turonens. 194. add. saec. 16. C. — Mel.: Christi hodierna pangimini. — Str. 7a. sqq. fehlen B. — 7a, 2 liquoris A. — 7a, 4 fugat A. — 7b, 1 Ingens splendor C. — Nach Str. 10: Amen dicat concio nostra C.

432. De sancto Vedasto.

1a. Lauda, cohors clericalis,
Cum devotae plebis alis
Vedastum pontificem.

1b. Ludovicus rex Francorum
Bellis ut Allemannorum
Fastus fregit apicem,

2a. Ad Vedastum properavit,
Quem Vedastus perornavit
Fidei cum chlamide.

2b. Idolatra rex renatus
Est devotus Christo datus
Propulsa tyrannide.

3a. Isti rege comitante
Caecus voce pertonante
Acclamat itinere:

3b. Sancte Dei, confer lumen,
Quia potens es acumen
Visus restituere

4a. Praesul orat, quod oravit,
Ut abdatur impetravit
Cordium duritia;

4b. Caecus mox illuminatur,
Rex, plebs fide solidatur
Per signi mysteria.

5a. Antistes Atrebatensis
Cunctos signis cum immensis
Per regnum Picardiae

5b. Reliquias Vandalorum
Sordidatos idolorum
Junxit Christi latriae.

6a. Hic in porta civitatis
Caeco, claudo sanitatis
Contulit subsidia,

6b. Templa Deo restauravit,
Verbum Dei praedicavit
Pulsa idolatria.

7a. Urna meri venenati
A nefandis aulae dati
Per intrantis civitati
Patris cruce crepuit.

7b. Petra bibunt ut Hebraei,
Prece sic dona Lyaei
Vasi sicco sanctus Dei
Suo caro tribuit.

8a. Quo per virgam lucis merae
Ab hac vita te ciere,
Nosti nunc aeterno vere
Fruens Christo cohaerere
Gaudens coeli curia.

8b. O Vedaste, praesul bone,
Nos consortes in agone
Prece, pastor et patrone,
Da nos coeli statione
Frui cum laetitia.

Miss. ms. Cameracense saec. 14. Cod. Cameracens. 123 add. saec. 15.

433. De sancto Vincentio.

1a. Festivitas
incliti militis
Vincentii
praeclari meritis,
Celebratur hodie,
Dies est laetitiae.

1b. Hunc aeterni
radio numinis
Sic instruxit
sol veri luminis
Luce sapientiae,
Quod fit templum gratiae.

2a. Velut gigas
surgens progreditur,
Datianum
verbis aggreditur,
Sed tyrannus
e contra graditur
Gravi via.

2b. Nam martyris
cutis abraditur,
Pectinibus
corpus discerpitur,
Carbonibus
urenda traditur
Caro pia.

3a. Vicit vincens
Verba tyrannica,
Vicit clemens
tormenta saevica,
Patientem
virtus angelica
Consolatur.

3b. Non pugnavit
per arma bellica,
Sed vox erat
et verba coelica,
Pro quo tandem
in coeli fabrica
Gloriatur.

4a. Vincens vicit
tortores corporis
Laceratus
vi diri pectoris,
Non quod intus
sed id quod deforis
Semper fuit.

4b. Ergo fructus
vitalis arboris
Vincentio
valentis roboris
Debebatur,
qui vim facinoris
Diripuit.

5a. O Vincenti,
da dulce medium,
Per quod mundi
vincanus taedium,
Per te reis
vitae remedium
Impetretur.

5b. Dei per te
vitemus odium,
Ut post viae
praesentis stadium
Te rogante
perenne gaudium
Nobis detur.

Prosar. ms. Pisciacense saec. 15. Cod. Londinens. Eg. 2601. Mel: Conceptio Mariae virginis.

434. De sancto Vincentio.

1a. Psallat ecclesia
Cantica dulcia,
Rex tibi Christe,

1b. Cujus praeconia
Martyr victoria
Personat iste.

2a. Martyr Vincentius
Ad poenas trahitur,
Sed judex impius
Ab eo vincitur
Victusque deficit.

2b. Nam quas invexerat
Tyranni rabies,
Martyr exsuperat
Poenarum species
Magisque proficit.

3a. Gaudet miles in tormentis
Et in ara purae mentis
Laudis offert hostiam,

3b. Cordis ara thus incendit,
Et incensi fumus tendit
In Dei praesentiam.

4a. Caeco clausus carceris
Antro modulatur,

4b. Cum a turbis superis
Intus visitatur.

5a. Angelus obsequium
Praebet in caverna,

5b. Pavet custos nimium
Luce de superna.

6a. Mergi tandem
jubetur aequore,
Sed mox nauta
cernit in littore,
Quem submersum credidit.

6b. Hoc tyrannus
crudelis audiens,
Furit, fremit
et sic insaniens
Sese morti tradidit.

7a. Praesul item ducitur
Et feris exponitur,
Sic jubet Porphyrius,

8a. Maris fundo
Nam secundo
Deus hunc eripuit,

9a. Sed nec Porphyrius
Immitis amplius
Usquam comparuit,

10a. Aderat jam terminus,
Sede quo siderea
Triumphantem Dominus
Coronaret laurea.

11a. Vir beate, vir insignis,
Cujus late fulget signis,
Civitas Mevania,

7b. Quarum famulamine
Volucrumque carmine
Solatur Vincentius.

8b. Nam profundam
Tellus undam
Mox aperta sorbuit.

9b. Sic auro purius
Victor Vincentius
In poenis claruit

10b. Carnis ergo carcere
Mens beata libera,
Nullo gravis onere
Laeta scandit aethera.

11b. Ope tui, quam precamur,
Tecum frui mereamur
Vera coeli gloria.

Miss. ms. Pragense I D 33. saec. 15. — 2a, 4 ab eo ergänzt. — 9b, 1 Hic auro Hs. — 11a, 3 menania Hs.

435. De sancto Vincentio.

1a. Melos cordi consonum
Regi chorus offerat,
Potestati daemonum
Qui potenter imperat
Imperator omnium.

2a. Ipsum regem gloriae
Confitens Vincentius
In tormentis hodie
Tanto vicit fortius,
Quanto plus sustinuit.

3a. Ferri candentis lamina,
Testae calentis fragmina
Asperitasque fragminis

4a. Torquet tortor corpus assum,
Ignem, ferrum, vincla passum,
Sic insurgit sed in cassum
Victus in vincentem.

5a. In tortore fit defectus
Tormentorum, nam effectus
Non perducit ad defectum;

6a. Poenam ignis teste ferri
Martyr aegre fert differri
Tortorem lentum arguens,

1b. Dum misertus miseris
Morte mortem superat
Foederatque superis,
Quos Satan illuserat,
Adae purgans vitium.

2b. Daciane, crucias
Martyrem Vincentium,
Quia per blanditias
Christum Dei filium
Diffiteri noluit.

3b. Carnem domant non spiritum
Nec minantur interitum
Interioris hominis.

4b. Martyr enim, licet justus,
Spe coronae fit robustus
Nec injustum timet justus,
Patiens furentem.

5b. Illum, cujus est affectus,
Ut sit fortis et perfectus.
Nihil habens imperfectum.

6b. Sibi quaerens mox inferri,
Quidquid pejus potest ferri,
Fructum perennem intuens.

7a. Tandem innumera
Poenarum genera
Cessant et opera
Datur, ut curetur.

7b. Ut super veterum
Dolorem vulnerum
Acrius iterum
Dolor innovetur.

8a. Sed fraudulenti medici
Curae non curat subjici
Nec in stramentis refici
Carnem consumptam quaerit.

8b. Nam curatoris maximi
Certabat ope redimi
Volens in ipso perimi
Quod moritur et perit.

9a. O Vincenti,
Dum tormenti,
Poenam sentis,
In tormentis
Manes tutus.

9b. Stramentorum
Intrans thorum
Exspirasti,
Quod optasti,
Consecutus.

10a. Corpus examine,
Quod in patibulo
Victum est minime,
Non sinit tumulo
Carnifex reponi.

10b. Immo continuum
Scelus exagerat,
Saevit in mortuum
Et corpus imperat
Avibus exponi.

11a. Aves et bestiae
Praebent obsequium,
Gratum custodiae
Verentes noxium
Tactum adhibere.

11b. O mira novitas,
A brutis noscitur
In sancto sanctitas,
Et judex fallitur
Nec falluntur ferae.

12a. Tandem suspensa corpori
Mola mandatur aequori
Judicis mandato,

12b. Quod nactum litus sabulo,
Repertum claudi tumulo
Meruit sacrato.

13a. O Vincenti, qui vicisti,
Miles fortis, miles Christi,
Victor invictissime,

13b. Ora Christum pro devotis,
Ut salutem det aegrotis
Corporis et animae.

Miss. ms. Vergiacense saec. 13. in. Cod. Dolens. 48. Mit. Mel A. — Miss. ms. Bisuntinum saec. 14. Cod. Bisuntin. 72. B. — Miss. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 75. C. — Miss. ms. Bisuntinum 15. Cod Besantin. 74. D. — Mis. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 74. E.

436. De sancto Vincentio.

1a. Adest dies gloriosa,
In qua rubicunda rosa
Vernans coelo redditur.

1b. Dum Vincentii spinosa
In stipite mors poenosa
Flore fides colitur.

2a. Minister fit Valerii,
Qui Daciani impii
Errorem redarguit,

2b. Sed praesuli exsilii,
Ministro martyrii
Praeses poenam tribuit.

3a. Vicentii denudantur
Viscera, sale fricantur
Membra in equuleo,

3b. Ferro carnes concremantur
Sanguine prunae rigantur
Sub lectulo ferreo.

4a. Post carceres, patibulum,
Sanctum ejus corpusculum
Lecto molli locatur,

4b. Sed ibi vincens saeculum
Ad supremum oraculum
Dormiens sublimatur.

5a. O quam debet venerari
Vincentius et laudari
A cunctis fidelibus,

5b. Qui meruit praeservari
A feris, etiam mari
Et a malis omnibus.

6a. O Vincenti, martyr Dei,
Defensor sacrae fidei,
Ora Deum jugiter,

6b. Ut in loco requiei,
Aeterni quoque diei
Vivamus perenniter.

Sequent. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Andegarens. 90. — 2a, 2 Quo Daciani Hs. — 6b, 2 Aeternae quoque Hs.

437. De sancto Viventio.

1a. Festiva chorus iste
Moduletur melodia,

1b. Depromens tibi, Christe,
Vincentii magnalia.

2a. Rex uranice,
Quem unum laudat unice
Coelestis curia,

2b. Te supplicibus
Votis simul et vocibus
Psallit ecclesia.

3a. Sanctus iste Viventius
Tecum vivens in patria

3b. Nostrae tibi propitius
Laudis ferat praeconia.

4a. Ut sol in tenebris claruit
De gentili prosapia,

4b. Et ut spina rosam genuit
Tantum virum Samaria.

5a. Georgii secutus
Verba salubria,

5b. Sacri fontis ablutus
Novatur gratia.

6a. Per hunc Daciani
Credit filia,

6b. Regis Christiani
Crescit gloria.

7a. Exponit gentibus
Christi mysteria,

7b. Multis virtutibus
Exstirpat vitia.

8a. Reddit animas superis,
Reddit vivas
post mortis stipendia.

8b. Nobis igitur miseris,
Pater alme,
succure prece pia

9. Conferens vitae
sempiternae praemia.

Miss. ms. Vergiacense saec. 13 in. Cod. Dolens. 48. add. saec. 15. mit Mel.



Inhalts-Übersicht.

	Seite
Adest dies celebranda	212
Adest dies celebris	239
Adest dies gloriosa	330
Adest dies laetabundus	314
Adest dies recolenda	69
Adest dies recolenda	188
Adest dies veneranda	263
Adest nobis dies grata	174
Adesto tuis sedula	300
Adest praecelsa cunctis	318
Ad honorem confessoris	303
Ad honorem praecursoris	203
Ad honorem summi regis	49
Ad honorem summi regis	214
Ad honorem tuum Christe	187
Adoremus coeli regem	41
Ad ornanda divi Othmari	281
Ad praesulis Remigii	296
Adsit nobis dies laeta	269
Ad te cuncta tendunt	124
Ad triumphos laude dignos	324
Advenerunt cives coeli	291
Agnetis solemnio	122
Aldegundis sub honore	124
Almae festa lucis	226
Alma mater generosa	130
Almi pastoris ac paradoxi	273
Alta coeli sunt curvata	15
Altissime Jesu Christe	45
Alto consilio	18
Amande pastor bone	126
Amator hominis	111
Ambianis plebs devota	191
Amor vincens omnia	106
Angelorum ordo sacer	14
Apostolica lux	286
Athletarum Christi victoriam	178
Augustino praesuli	137
Aula jucunditatis	317
Aulam intrat virginis	18
Auster veni perfla mentem	93
Ave clara stella maris	68
Ave dia lux Maria	88
Ave ferrum triumphale	27
Ave gemma confessorum	303
Ave gloriosa virginum	89
Ave Jesu salus mea	28
Ave leo fortissime	32
Ave maris stella	105
Ave martyr ave miles	303
Ave mater Christi pia	90
Ave mater Domini	71
Ave mater Domini	104
Ave mater Domini	104
Ave mater genitoris	105
Ave mater gratiae	103
Ave mitis virgula	63
Ave plena et perplena	109
Ave porta semper clausa	64
Ave praeclara poli stella	147
Ave praegans admiranda	75
Ave regina coelorum	103
Ave sole clarior	102
Ave stella marium	102
Ave stella matutina	101
Ave stella parens solis	101
Ave virga virgo Jesse	100
Ave virgo gloriosa	100
Ave virgo stella maris	81
Beatae virginis fecundat	112
Benedicta sit cella	111
Benedictus Dei	38
Canat mater dulcibus	193
Cane cuncta nunc	30
Cantet chorus ex affectu	305
Cantu celebri	295
Cantu dulci voce	221
Castae matris ante thorum	95
Castitatem lilium	76
Celebremus victoriam	271
Chorus noster plaudat odis	110
Christe salus hominum	268
Christicolae per climata	290
Christi psallat praecursoris	204
Christo hodierna sacrificemus	326
Christum regem collaudemus	162

Seite
Clarum sidus gloriae 241
Clare rutilans symphonia. . . . 150
Clare sanctorum concentus . . . 206
Coelesti connubio 322
Coeli multifariam 25
Coeli regem veneremur. 50
Collaudantes exsultemus 234
Collaudemus invictum 310
Collaudetur Katharina 219
Concurramus devoti 11
Confessor pius et sacer 119
Congressus virtutis 264
Conjubilando coeli. 190
Corde puro mente munda . . . 303
Cor devotum inflammetur. . . . 69
Cor devotum inflammetur. . . . 175
Cordis et vocis organum 309
Cuncti unanimiter 75
Decantemus hodie 127
Decorata coelesti solio 78
De Francisco confessore 178
De profundis ad te clamantium . 54
De profundis ad te clamat . . . 58
De radice verae vitis 159
De roseto prodit rosa 319
De sancto Johanne 201
Deum Jesu Christi patrem . . . 76
Deus deorum vera. 157
Dic Anglia cum matre 316
Dicat exultans 14
Diem hanc laetitiae 293
Diem martyris insignis. 228
Diem natalem Domini 12
Diem sacrae passionis 282
Dies adest gratiosa 312
Dies adest reverenda 158
Dies ista sit jucunda 165
Dies nobis reparatur. 165
Dignus est memoria 229
Diligens quos et in fide 160
Dulce melos nunc decet 216
Dulcis odor Nicolai 275
Dum transiret per Judaeam . . 131
Ecce gratulemur. 11
Ecce triumphat novus 31
Eja recolamus laudibus 179
En in regno claritatis 153
Eructetur dulce melos 177
Est coelesti praesignatus 202
Excita Domine magnam 12
Excitetur omnium 319

Seite
Exsultemus conclamantes. . . . 246
Exsultemus cum jucundo. . . . 149
Exsultemus hodie 16
Exsultent agmina 59
Exsultent filii sponsae 274
Exsultet Augiensis. 197
Exsurgamus cum sit hora . . . 15
Festa lucis hodiernae 127
Festa sunt nobis gaudia 233
Festi decus praeoptati 256
Festi diem cuncti rite 126
Festiva chorus iste 331
Festivitas incliti 327
Festum Mariae venerantes . . . 66
Festum Mariae venerantes . . . 67
Flos campi mundo floruit . . . 215
Fluctuantes per hoc mare . . . 136
Fons amoenus rigans 128
Fons praeclarissimus. 109
Fraterna gratanter. 56
Fulgens summa luce 297
Fulget dies triumphalis 221
Fulget virtus Gedeonis 299
Gaudeamus sub honore 217
Gaudeat et jubilet. 152
Gaude felix ecclesia 141
Gaude gaudens et laetare . . . 234
Gaude Lucionium 52
Gaude Maria mater 83
Gaude mater stirps electa . . . 83
Gaude Sion et laetare 43
Gaude Sion in filio 181
Gaude Sion laetabunda. 200
Gaude Sion laude plena 250
Gaudet chorus et laetatur . . . 196
Gaude Trecensis civitas 304
Gaudet Sion speciosa 26
Gaugerice gemma cleri. 181
Genovefae translatio 182
Glorietur Gallia 156
Gloriosi praesulis 272
Gloriosis cum modulis 185
Godonis praeconio 188
Grata solve plebs fidelis 47
Grates nunc omnes 16
Gratias et laudes Deo 278
Gratulemur salvatorem. 57
Gratuletur mater ecclesia. . . . 230
Gratuletur plebs fidelis. 316
Hac die solemni voces 262
Hac in die jucundemur. 292

	Seite
Hac in die plebs festiva	301
Hac in die plebs fidelis	287
Hac in die voce voto	259
Hac sacra solemnitate	270
Haec dies sanctissima	135
Haec est dies veneranda	203
Hanc diem tribus	23
Hodie coelorum	129
Hodierna die clara	34
Hodiernae lux diei	41
Hodiernae lux diei	253
Jam Leodegarii	238
Inclarescat melodia	154
Inclite martyr Romane	305
In coelesti hierarchia	86
In coelesti hierarchia	285
In concordi melodia	77
Incrementa dans virtutum	265
In excelsis gloria	40
Inferni fracto carcere	37
In Leodegarii	237
In natale viri tanti	147
In pastoris tui laude	180
In superna civitate	175
Interna cordis gaudia	231
Johannes evangelista	206
Johannes lux sanctorum	209
Jubilemus omnes una	211
Jubilemus salvatori	286
Jucunda lux eliminat	307
Jucundemur hodie	253
Juncta mente vocibus	47
Justus noster ut palma	294
Laetabunda vox erumpat	186
Laetabundi jubilemus	254
Laetabundus decantet	42
Laetabundus Edmundo	166
Laetabundus et jucundus	112
Laetabundus exsultet	199
Laetabundus exsultet	256
Laetabundus exsultet	267
Laetabundus exsultet	283
Laetabundus nunc cantet	42
Laeta dies et votiva	261
Laeta dies hodierna	236
Laetare virgo nobilis	84
Laetis tange fidibus	118
Lauda cohors clericalis	326
Laude multifaria	232
Laudemus apostolos	194
Laudemus Epiphanium	168
Laudent toto corde cleri	139
Laudes Christo decantemus	190
Laudes creatori canamus	248
Laudes decent praecursorem	202
Laudes Deo modulizet	151
Laudes justi attollamus	123
Laudes regi Christo	279
Laudes summi confessoris	260
Launomari patris pii	227
Laus angelorum	130
Laus solemnis laus devota	132
Laus tibi sit Christe	246
Laus tibi summe Deus	183
Laus tibi virgo Maria	99
Laus tua Deus	13
Linguae solve vinculum	251
Lucis novae claritas	155
Lumen vitae sanctis datum	163
Lux advenit veneranda	224
Lux illuxit nobis laeta	146
Lux insignis ardens ignis	34
Lux praeclara Katharinae	218
Magdalena gaudia	252
Magna dies magnum	120
Magne Deus Adonai	278
Magnificantes pater	325
Manus linguae lingua cordi	118
Margarethae collaudemus	244
Mariae virginitas	98
Martini praeconium	257
Mater Dei novo more	17
Mater dilecta dilecti	107
Mater sancta mater Dei	98
Mater Sion gloriosa	149
Melbodense claustrum gaude	125
Mellis stilla de spinis	65
Melos cordi consonum	329
Michael Gabriel Raphael	266
Miles mirae probitatis	253
Militi Sebastiano	307
Militis eximii	171
Mittit Dioscoro	140
Monte vernans in aprico	313
Multitudo gratiarum	64
Nato patris sine matre	222
Natus est nobis salvator	308
Nicolao gaudeat	277
Nicolaum confessorem	276
Nitet carnis munditia	275
Nos toto conamine	43
Nostram musica sume	204

	Seite
Novae lucis radio	154
O felices et beati	46
O felices et beati	192
Offerantur in hac die	134
Omni laude mente tota	198
O nive candidior	87
Oramus te aeterna spes	208
Orbis totus unda lotus	86
Orta lux mirifice	25
O rubens rosula	216
Pangat simul eja	161
Pangite celsa voce	30
Paranymphus salutat virginem	74
Participes sui facit	41
Pastoris nostri Patrocli	284
Petrum ligant vincula	289
Pius prudens et pudicus	214
Plantans rigat Britannia	320
Plaudat chorus coelicus	270
Plaudat urbs Cenomannica	214
Plaude plausu laetabundo	132
Plaude terra coelum gaude	196
Plebs fidelis concine	138
Plebs fidelis jubilat	241
Plebs fidelis manus corda	39
Plectrum linguae moderetur	170
Praecelsa celebrantes	19
Praesuli Remigio	298
Praesulis Audomari	135
Pro cunctis fidelibus	53
Psallat chorus et laetetur	239
Psallat Christo chorus iste	311
Psallat Christo parvula	197
Psallat ecclesia cantica	328
Psallat mens nostra	201
Psallat nostra concio	271
Pulsa labe cordium	97
Pulset astra vox sublimis	255
Pulsis luctus tenebris	169
Quinquagena lux illuxit	33
Qui per viam pergitis	79
Qui purgat crimina	21
Quod terrarum quod profundi	247
Radegundis reginae	295
Recordentur mentes piae	249
Regina coelorum gaude	82
Regis Oswaldi inclita	280
Regnum emit pro quo demit	164
Remorum metropoli	279
Renovantur hodie	315
Replet nova dies	24
Repraesentet ecclesia	184
Resultent astra dulciter	143
Rex aeterne rector mundi	288
Rosae pulchritudini	87
Rosa veris paradisus	78
Sacrosancto veneretur	195
Sacri festa confessoris	145
Salvantis saecla	198
Salve crux vitale lignum	26
Salve fratrum dux minorum	176
Salve maris luminosa	94
Salve mater o serena	91
Salve mater salvatoris	113
Salve parens	13
Salve regina pia virgo	69
Salve salus ecclesiae	96
Salve salutis janua	84
Salve sancta puritas	96
Salve templum maternale	72
Salve vera salus mundi	39
Salve virgo vitae via	107
Sancta Dei mater	117
Sancta virgo Dei mater	71
Sanctae Fidis in honorem	173
Sancti patris Benedicti	142
Sancti patris in honore	135
Sanctissimi militis	314
Sanctorum devotio	288
Sedentem in supremae	56
Sicut pratum picturatur	88
Sicut rosa speciosa	219
Singulis aptare syllabis	213
Solemni gaudio	172
Solemnizet plebs devota	301
Solitudo spontanea	121
Sonet vox ecclesiae	153
Sonet vox laetitiae	248
Sospitati dedit aegros	224
Speciales speciosae	323
Spiritales filii	189
Sponsa sponso desponsatur	48
Sponso festiva gratulans	211
Stella decens matutina	265
Stephani martyrium	310
Summa stirpe genita	20
Summe Deus omnium	59
Summi nutu Domini	250
Supernae matris filia	229
Supernorum civium	136
Super omnes una mitis	168
Surgente Christo	29

	Seite
Surge Petre coelitus	286
Sursum corda sublevemus	37
Sursum sonet laudis melos	36
Templum cordis expiemus	48
Templum pudicitiae	94
Te patrem ingenitum	38
Tibi Christe splendor patris	40
Tornacensis civitas	167
Trinae regi hierarchiae	267
Triumphali vestitos	172
Triumphanti verbo	223
Uni simul atque trino	144
Ut devote compleatur	143
Uvam calcat Ambianis	174
Vas decoris et honoris	106
Venerando confessori	242
Venerando praesuli	298
Veneremur regem regum	284
Venerentur Christiani	158
Veni mater veniae	93
Veni sancte spiritus	32
Veni sancte spiritus	122
Veni sancte spiritus	191
Veni Sion filia	176
Verbi Dei parens alma	108
Verbum legibus nullis	22
Verbum verbo incarnatur	74
Virens vitae virgula	113
Virginalis gaude chorus	245
Virginali thalamo	44
Virginis Mariae annua	45
Virgo benignissima	85
Virgo gaude speciosa	73
Virgo mitis mater pia	97
Virgo sancti spiritus	94
Voce clara plebs exsulta	258
Voce corde jubilemus	243
Voce cordis concinente	173
Voce jubilantis magna	35
Vox clamantis in deserto	203
Vox de caelo resultet	193

Nachträge und Berichtigungen.

Nr. 10. Findet sich ebenfalls in Sequent. ms. Praedicat. Cracoviens. s. n. saec. 15/16. mit folgenden Varianten: 3a, 1 Infinitus. — 5b, 1 Quae sunt vincla. — 6b, 3 famit.

Nr. 216. Ebenfalls in Miss. ms. Brugense saec. 15. Cod. Semin. Brugens 3 (48).

Nr. 257. Ebenfalls in Pass. ms. S. Huberti saec. 12. Cod. Namurcens. 15 add. saec. 12/13.

Nr. 282 ist irrtümlicher Weise an diese Stelle geraten und müfste auf Nr. 253 folgen.

Nr. 327. Ebenfalls in Miss. Virdunense imp. Parisiis 1509.

Nr. 360. Findet sich gleichfalls in Miss. ms. Bellae Vallis saec. 13. Cod. Carlopolitan. 243 mit folgenden Varianten: 5b, 4 pro injuria. — 6a, 3 est infamia.





Pierer'sche Hofbuchdruckerei. Stephan Geibel & Co. in Altenburg.




GretagMacbeth™ ColorChecker Color Rendition Chart